



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso


Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>





Národní knihovna ČR
Historické fondy

25 J 386

Národní knihovna



1003302239

XXV
J 386

6. 282



Chaker & Sona,

GROTIUS
EROTEMATICUS,

Sive
HUGONIS GROTII

In
Questiones Redacti

De
JURĒ
BELLI ac PACIS

LIB. III.

Dirigente
JOHANN. GEORG. SIMONE, D.

Accesserunt Indices Capitem,

Rerum & Verborum,
Una cum Dissertatione J. KL.

de Civitatum mutationibus.



Francofurti & Lipsie,
Sumptibus JOHANNIS MEYERI,
Anno M. DC. LXXXVIII.

GENEROSO. MAXIME Q. STRENUE.

DOMINO

DN. JOH. HENRICO.

DE. TIMÆIS.

HÆREDITARIO. IN.

MASWIZ.

CONSILJARIO. AULÆ.

REGIMINISQ. SAXO - MAGDEBURGI-

CO. BRANDENBURGENSI. NEC.

NON. VINARIENSIS.

GRAVISSIMO.

DOMINO. PATRONO.

ET. AMICO. SUO. NUNQUAM.

REGONCILIATO.

S. S. E. P. P. F.



Generose Patrone, A-
mice Magnifice,



In ea, quæ à tene-
bris instillantur ungui-
culis, non magis fir-
mum nancisci incre-
mentum poterunt,
quam si in florentiore ætate felici-
pictatis, morum ac doctrinæ tripli-
ci

DEDICATIO.

Si juncturâ nectantur, certè Tibi,
Domine per-quam strenue, per-
uasum habeas, nostram non in-
er fimeâ sterileſq; avenas con-
tractam amicitiam haud aliud
ortitam eſſe principium, quam
poſt funera viventem perpetuò
virtutem. Si enipa incunabula
noſtræ neceſſitatis recordor, vſq;
prima Philoſophiæ rudimenta
tibi ductu plurimum Reverendi
Pauli Scheineri, Superintenden-
tis Montis ab Eckardo dicti kon-
igè vigilantiffimi, nos junxere.
Si vitam Academicam, celeberrimus
Ille Senator Imperialis Ca-
meræ Spireniſis, (Illuſtrem no-
mine *Avianum*) participes nos
constantis & nunquam inter-

DEDICATIO.

curam, donec in mare fluvii current, inter antiquos cognitum fuit, quid? inter nostrates Tecum apertam habent Viri melioris notæ atque cordati. Sed quid ad versus Te Theonina proficiet rabies? idem quod insultantes maris fluctus contra suâ molestantem possunt scopulum, quod canis latrans contra Lunam. Serenissimus Noster Te æstimat, Te Decus & Ornamentum Eiusdem appellant Ministri; Ipsemet Te novi, Te in utraque Fortunâ probavi; Tu es honestus, candidus & magnanimus Vir. Faxit Deus, ut cum ignominia inimicorum Tibi inter nos Præcipilo panegyricum exhibere

re

DEDICATIO

re queam dudum optimè com-
meritum : Invidos interim su-
manebit dies , fatumque Perill-
incluctabile. Vale, Collèga fi-
delissime, æqui que consule tes-
seram hanc, chartaceam licet, a-
micitiæ nostræ infucatae publi-
cam, imò porrò favere perge illi
qui fuit, est, & erit

Generositat. T.

Jona, M. Septembr.

1687.

Observantiss. & amantiss.

J. G. Simon, D.



Ad Lectorem

Benevolum,



Peramus à Te, B. L.
nullo ferè negotio nos
veniam consecuturos
esse, qui præsentem Grotium E-
rotematicum, festinanter qui-
dem, sed in privatam tantum u-
tilitatem, Typographo publicè
venum exponere permiserimus;
si modò, quâ ratione res ita eve-
nerit, legeris. Conveneramus
invicem scientiâ Juris N. & G.
instrui. Cum verò multorum
maturans abitus Grotii libros de
Jure B. & Pacis absolvere non
pate-

AD LECTOREM

pateretur, & Jani Klenkii Institutiones, ex Iustocontractæ, nec in nostris, nec aliorum locorum tabernis, invenirentur, illas denudò prelo subjici curare confensimus, exoptantes simul, ut reliqua in Jure Naturæ scitu necessaria & in Grotii Libris contenta simili modo in quæstiones & responsiones redigerentur. Sed hic omnium animi desperabant sui honesti voti compotes fore, quippe nullus hanc operam tam brevi tempore perficiendam suscepturus esse videbatur, nec nobis ad onus humeris impar sufficiebant vires. Tandem *Vir Magnificus atq; Excellentissimus Dominus Johann. Georg. Simon,*
Ictus

AD LECTOREM

Fetus celeberrimus & Consiliarius Saxo-Vinariensis *Aulicus*, intercessit, nobisque addidit animos, pollicens suo auxilio succurrere, & animadvertere, ut verus, pro possibili, Grotii sensus e-rueretur. Hinc, venerandi Dni Præceptoris hortatu, relicta à Jano Klenkio, eo, quo ille incepit, modo continuare aggressi sumus, quæ laudatissimus Dn. Doctor noster peculiaribus postea discursibus illustrare promiserat. Si igitur, B. L. quæ minus placent, Tibi occurrent, reminiscere, quod primò res, eorum solum causâ, qui prædictis lectionibus interesse cupiebant, sit inepta ac confecta; dein-

de

AD LECTOREM.

de, quod Typographus defectum tantum Exemplarium Parisiensium, quæ etiam cum contentis salva manserunt, redintegrare voluerit, quorum loco ea, quæ offerimus, pari pretio Tibi comparare poteris. Interim B. L. vale, nosque Tuo favori commendatos habe.



Johann Jacob Müller / *Coburgò-Francus.*

Johann Georg Eckert / *Marcko Breitba-Francus.*

Johannes Balthasar Stand / *Rotbenburgò-Francus.*

Johann Henricus Krebs / *Meinnugensis-Francus.*

Adrianus Henric. Elfers, *Osnabr. Westph.*
Eberhard. Herm. Rosengarte / *Osnabr. Westphal.*

Caspar Joh. Brettnus / *Nebrâ-Thuring.*

Godofredus Stiefius, *Wratisl. Siles.*

Henrich Casp. Schmitz, *Susato-Guestphal.*

Gustav Martin Walther / *Rotbenb. Fr.*

SERENISSIMI ac CELSISSIMI
PRINCIPIS & DNI,
DOMINI

JOHANNIS ERNESTI,

D. S. J. C. & M.

CONSILIARIO

MAGNIFICO, CONSULTISSIMO
atque EXCELLENTISSIMO

DNO

JOHANNI GEORGIO SIMONI,

J. U. D.

celeberrimo, Amico & Factori

colendo,

S & O.

PA X dulcis, **B**ELLUM rabidum, contraria dura:
Jura doces **B**ELLI, **P**ACIS bona commoda mon-
stras.

Monstras, quod mundum **P**A X, **A**R S, **M**A R S rite
gubernent:

~~hic~~ **U**get sordes aulae, mox inquinet alter

~~hic~~ **P**arilem indignus quoque dignus honorem
adsciscant, **P**A X EST! **P**ACIS fiducia nusquam.

O miseris hominum mentes! quae tempore duro
attendunt minimè; quod **P**A X, **M**A R S, **A**R T E,
FA V O R E,

compescant Proceres, scandant fastigia rerum.

FR A U S, **A**M O R & **N**U M M I, cum cuncta ac-
quirere possint;

MA R S fugiat, **L**E X, **P**A X, **A**R S, sint modò cin-
gula nostra!

Vinaria, scribet.

d. 16. Jul. 1687.

Bernhardus Christian. Bernhardt,

Sereniss. Duc. sax. Vinar.

& Procuras Gamer.

VIR O

Magnifico, Nobilissimo, Consultissimo

D N O.

JOH. GEORGIO SIMONI,

Jcto celeberrimo, Consiliario Au-
lico Ducali Saxonico splen-
didissimo,

Domino & Fautori estimatissimo.

s. & O.

JOHANNES GEORGIUS SIMON,

ICTUS.

ἀναγγραμματοζόμενος

ANNON HUGO GROTIUS

SIC. ES. EMISI.

ἐξηγήσεις

ANNON, Simonidum Decus, HUGO
GROTIUS, ingens

Affers cui lumen, SIC redivivus erit
Bartolus ES. Fiunt ita *Jura & Pacis*
aperta

Et *Belli*, grates fert Themis ipsa Tibi.
EMISI vocem: *Vivat Salana*, docentem
Quem miratur, amat *DU X*, colit
alma Themis.

Quæ de *Jure* doces & *Belli & Pacis*
amantur:

Bellum Jure odi, *Pacis* amoq; bonum!

L. M^o f.

M. Joh. Scheller /

P & Adj. Drakend.



HUGONIS GROTHII
IN QVÆSTIONES REDACTI

De

JURE BELLI ac PACIS

PROLEGOMENA.

I.

AN conducit *Juris Gentium sci-*
entia? A. Et valdè queren-
dum, cum jus civile illustra-
re commentariis, aut con-
tractum ob oculos ponere aggressi sint
multi; quod Jus illud, quod inter Po-
pulos plures, aut Populorum Rectores
intercedit, sive ab ipsâ naturâ profe-
ctum, aut divinis constitutum legibus,
sive moribus & pacto tacitò introdu-
ctum, attingerint pauci, universim ac
certò ordine tractarit hactenus nemo.

§. I.

II. *An id tamen fieri interest humani*
generis? A. Et eò magis necessaria est
hæc opera, quod & nostro sæculo non
defunt,

Prolegomena.

defunt, & olim non defuerunt, qui hanc juris partem ita contemnerent, quasi nihil ejus, præter inane nomen, existeret. §. III.

III. *Quanam sunt illorum, qui hoc jus contemnunt, fundamenta?* R. *Varia.*

Nam in omnium fermè ore est Euphemi dictum apud Thucydidem, Regi aut Civitati imperium habenti nihil injustum, quod utile: cui simile illud, in summâ fortunâ id æquius, quod validius, & Rempublicam sine injuriâ geri non posse. Accedit, quod quæ inter Populos aut Reges incidunt controversiæ, fermè Martem habent arbitrum: Et bellum ab omni jure abesse longissimè, non tantùm vulgi, sed & prudentum opinio est, cum jus & arma sæpiùs inter se sint opposita. *cit. §.*

IV. *Quomodo describit ferociam Achillis Horatius?* R. Jura negat sibi nata, nihil non arrogat armis. *cit. §.*

V. *Quid fecit Antigonus senex?* R. Irrisit hominem, qui sibi urbes alienas oppugnanti commentarium de justitiâ adferebat. *cit. §.*

VI. *Quid Marius hæc de re sentiebat?*

Nega-

Negabat præ armorum strepitu leges à se posse exaudiri. *cit. §.*

VII. *Quid Pompejus dixit?* R. Armatus leges ut cogitem. *cit. §.*

IX. *Nonne & in Christianis scriptoribus ejus sensus quadam occurrunt?* R. Plurima, unum tamen Tertulliani pro multis sufficiat: Dolus, asperitas, injustitia, propria negotia præliorum. *§. IV.*

IX. *Interim hac Juris Gentium scientia quomodo dicitur Ciceroni?* R. Præstabilis, in foederibus, pactionibus, conditionibus, Populorum, Regum, exterarumque Nationum; in omni denique Belli Jure & Pacis. Hinc Euripedes hanc rerum divinarum & humanarum cognitioni præponit. *§. II.*

X. *Quomodo Carneades Juris Gentium existentiam oppugnat?* R. Jura, dicit, sibi homines utilitate sanxisse varia pro moribus, & apud eosdem pro temporibus sæpè mutata: jus autem naturale esse nullum. Omnes enim homines, & alias animantes, ad utilitates suas, naturâ duce ferri: proinde aut nullam esse justitiam; aut si aliqua, summam esse

Prolegomena.

esse stultitiam, quoniam sibi nocet alienis commodis consulens. §. V.

XI. *An sententia, quâ, naturam iniquum à justo secernere non posse adstruitur, hic admittenda?* N. Nam homo quidem animans est, sed eximium animans, multoque longius distans à cæteris omnibus, quam cæterorum genera inter se distant. §. VI.

XII. *Unde hoc probatur?* R. Perhibent hujus rei testimonium multæ actiones humani generis propriæ. *cit.* §.

XIII. *Qua sunt tales?* R. Inter eas est appetitus societatis, id est, communitatis, non qualiscunque, sed tranquillæ, & pro sui intellectus modo ordinatæ, cum his, qui sui sunt generis: quam οἰκείωσιν Stoici appellant. *cit.* §.

XIV. *Quomodo autem intelligendum, illud: naturâ quodq; animal ad suas utilitates ferri?* R. Hoc universè sumtum concedi non debet. *cit.* §.

XV. *Estne cæterarum animantium, quoddam utilitatum suarum studium?* A. Partim foetuum suorum, partim aliorum sibi congenerum respectu. §. VII.

XVI. *Quomodo verò hoc in illis procedit?*

Prolegomena.

cedit? R. Ex principio aliquo intelligente extrinseco; quia circa actus alios, istis nequiquam difficiliore, par intelligentia in illis non apparet. *cit.* §.

XVII. *An idem quoq; de infantibus dicendum?* A. In his enim ante omnem disciplinam ostendit se ad benè aliis faciendum propensio quædam, prudenter à Plutarcho observata: sicut & in eâ ætate misericordia spontè prorumpit. *cit.* §.

XIX. *Quid verò dicendum de homine perfecta ætatis?* R. Huic, cum circa similia similiter agit, cum societatis appetitu eccellente, cujus peculiare solus inter animantes instrumentum habet sermonem, inest facultas sciendi agendique secundum generalia præcepta. *cit.* §.

XIX. *An que huc conveniunt omniam sunt animantium?* N. Sed tantùm humanæ naturæ congruunt. *cit.* §.

XX. *Quisnam verò est fons ejus juris, quod propriè tali nomine appellatur?* R. Societatis custodia, humano intellectui conveniens. §. II.

XXI. *Quenam huc referuntur?* R. Alieni

Prolegomena.

eni abſtinentia, & ſi quid alieni habeamus, aut lucri inde fecerimus, reſtitutio, promiſſorum implendorum obligatio, damni culpâ dati reparatio, & pœnæ inter homines meritum. *cit.* §.

XXII. *Quid verò ab hâc juris ſignificatione fluit?* R. Altera largior: Homo enim ſupra cæteras animantes non tantum vim obtinet ſocialem, ſed & iudicium ad æſtimanda, quæ delectant aut nocent, non præſentia tantum, ſed & futura, & quæ in utrumvis poſſunt ducere. §. IX.

XXIII. *Quid in his humane nature convenit?* R. Pro humani intellectus modo iudicium rectè conformatum ſequi; neque metu, aut voluptatis illecebrâ corrumpi aut temerario rapi impetu. *cit.* §.

XXIV. *Quod ſi quid tali iudicio planè repugnat?* R. Hoc contra jus naturæ humane eſſe intelligitur. *cit.* §.

XXV. *Quidnam porrò huc pertinet?* R. Prudens diſpenſatio in elargiendis iis, quæ cuique homini aut cœtui propria ſunt. §. X.

XXVI.

Prolegomena.

XXVI. *Da mihi dispensationis hujus exemplum?* R. Cum v. g. nunc sapientior minus sapienti, nunc propinquus extraneo, nunc pauper diviti, prout actus cujusque & rei natura fert, præponitur. *cit. §.*

XXVII. *Annon hac est juris propriè strictèq; sic dicti pars?* N. Cum jus illud propriè nominatum diversam longè naturam habeat, in eo positam, ut, quæ jam sunt alterius, alteri permittantur aut impleantur. *cit. §.*

XXVIII. *Annon hac prædicta sunt juris natura, etiamsi daremus, (quod tamen sine summo scelere dari nequit) non esse DEUM, aut non curari ab eo negotia humana?* A. Nam ratio partim, partim traditio perpetua nobis hujus contrarium inievit. *§. XI.*

XXIX. *Unde verò id confirmari potest?* R. Ex argumentis multis & miraculis ab omnibus sæculis testatis. *cit. §.*

XXX. *Quid exinde sequitur?* R. Ipsi DEO, ut opifici, & cui nos nostraque omnia debeamus, sine exceptione parendum nobis esse. *cit. §.*

XXXI. *Quomodo DEUS se & optimum*

Est potentissimum ostendit? R. Multis modis, ita, ut sibi obedientibus præmia reddere maxima, etiam æterna, quippe æternus ipse, possit, & voluisse credi debeat. *cit. §.*

XXXII. *Num id disertis verbis promissit?* A. Quod, ut Christiani, indubitata testimoniorum fide convicti credimus. *cit. §.*

XXXIII. *Unde porrò ortum suum habet jus?* R. Ex liberâ DEI voluntate. *§. XII.*

XXXIV. *Num huic nos subicere debemus?* A. Id enim ipse noster intellectus nobis irrefragabiliter dicitur. *cit. §.*

XXXV. *An jus naturæ, vel illud sociale, vel quoddam laxius ita dicitur, DEO adscribi potest?* A. Etiam si ex principiis homini internis profluat, DEUS tamen ipse, ut talia principia in nobis existent, voluit. *cit. §.*

XXXVI. *Quid Chrysippus & Stoici de hoc sentiebant?* R. Juris originem non aliunde petendam esse dicebant, quam ab ipso Jove. *cit. §.*

XXXVII. *Unde jus Latinis dicitur?* R. Probabiliter à Jovis nomine. *cit. §.*

XXXIIX.

XXXIIX. *An & quomodo DEUS illa principia conspicua fecit?* R. Datis legibus positivis; etiam illis, quibus alioquin imbecillior est ad ratiocinandum vis animi. §. XIII.

XXXIX. *Num idem DEUS in diversis trahentes impetus, qui nobis ipsis, quiq; aliis consulunt, vagari vetuit?* A. Illos scil. vehementiores addictius regendo & sine ac modo coercendo. *cit.* §.

XL. *An etiam historia sacra, prater id, quod in preceptis consistit, affectum illum socialem excitat?* A. Idque non parum eo, quod nos docet, ab iisdem primis parentibus ortos homines omnes, ita, ut eo quoque sensu dici rectè possit, quod alio dixit Florentinus, l. 3. ff. de J. & J. cognationem inter nos à natura constitutam; cui consequens sit, hominem homini insidiari nefas esse. §. XIV.

XLI. *Quinam inter homines quasi Dii dicuntur?* R. Parentes, quibus proinde non infinitum, sed sui generis obsequium debetur. *conf. Nov. 118. c. 3. cit. §.*

XLII. *Num juris est nature stare patris?* A. Necessarius enim erat inter homines

Prolegomena.

mines aliquis se obligandi modus; neque verò alius modus naturalis fingi potest. §. XV.

XLIII. *An ab hoc ipso fonte jura civilia fluxerunt?* A. Nam qui se cœtui alicui aggregaverant, aut homini hominibusque subjecerant, hi aut expressè promiserant, aut ex negotii naturâ tacitè promisisse debebant intelligi; secuturos se id, quod aut cœtus pars major, aut hi, quibus delata potestas erat, constituisent. *cit.* §.

XLIV. *Annon ergò quod Carneadi dicitur, utilitas justi prope mater & æqui, verum est?* N. Si accuratè loquamur, tum quoad jus naturale, tum quoad civile. §. XVI.

XLV. *Quare quoad jus naturale?* R. Quia hujus juris mater est ipsa humana natura, quæ nos, etiamsi re nulla indigeremus, ad societatem mutuam appetendam ferret. *cit.* §.

XLVI. *Quare quoad jus civile?* R. Quia hujus mater est ipsa ex consensu obligatio. *cit.* §.

XLVII. *Nonne verò ex naturali jure vim suam habet?* A. Inde enim natura hujus

Prolegomena.

hujus quoque juris quasi proavia dici potest. *cit. §.*

XLIX. *An ergò nullus in utroq; jure utilitati locus est relictus?* R. Naturali juri utilitas accedit: Juri autem civili occasionem dedit. *cit. §.*

XLIX. *Unde probari potest prius?* R. Inde quod voluit Naturæ Auctor nos singulos & infirmos esse, & multarum rerum ad vitam rectè ducendam egentes, quò magis ad colendam societatem raperemur. *cit. §.*

L. *Unde posterius?* R. Quia consociatio aut subjectio utilitatis alicujus causâ cœpit institui. Deinde &, qui jura præscribunt aliis, in eo utilitatem aliquam spectare solent, aut debent. *cit. §.*

LI. *Num hæc utilitas singulas solùm civitates respicit?* N. Sed & inter civitates aut omnes, aut plèrasque, ex consensu jura quædam nasci potuerunt & nata apparet, quæ utilitatem respicerent non cœtuum singulorum, sed magnæ illius universitatis. *§. XVII.*

LII. *Quomodo vocatur hoc jus?* R. Gentium, quoties id nomen à jure naturali distingvimus. *cit. §.*

LIII.

Prolegomena.

LIII. *Annon stulti hominis foret, alienis consulendo commodis, sibi ipsi nocere?*

N. Nam, sicut stultus non est civis, qui in civitate jus civile sequitur, etiamsi ob ejus juris reverentiam, quædam sibi utilia omittere debeat; ita nec stultus est populus, qui non tanti facit suas utilitates, ut propterea communia populorum jura negligat. §. XIII.

LIV. *Annon verò à Jure Civitatis ad jus gentium conclusio videtur incongrua?*

N. Par enim in utroque est ratio. *cit.* §.

LV. *Quomodo?* R. Sicut civis, qui jus civile perfrumpit utilitatis præsentis causâ, id convellit, quò ipsius posteritatisque suæ perpetuæ utilitates continentur; sic & populus, jura naturæ gentiumque violans, suæ quoque tranquillitatis imposterum rescindit munimenta. *cit.* §.

LVI. *Sed parum utilitatis promittere videtur juris hujus observatio?* R. Etiamsi nulla ex hac spectaretur utilitas, sapientiæ tamen, non stultitiæ, esset eò ferri, ad quod à naturâ nostrâ nos duci sentimus. *cit.* §.

LVII.

Prolegomena.

LVII. *An igitur universaliter verum est, metu accipienda injuria repertas leges, ac vi quadam homines ad justitiam colendam adigi? N.* Id enim ad ea duntaxat instituta ac leges pertinet, quæ ad faciliorem juris executionem reperta sunt. §. XIX.

LIIX. *An ex hoc fundamento factum est, ut multi per se infirmi, ne à validioribus opprimerentur, ad instituenda ac communibus viribus tuenda judicia conspirarent? A.* Ut nimirum, quibus singuli pares non erant, his universi prævalerent. *cit.* §.

LIX. *Ergone hoc demum sensu commode accipi potest, quod dicitur, jus esse id, quod validiori placuit? A.* Ut intelligamus, sine suo externo carere jus, nisi vires ministras habeat. *cit.* §.

LX. *Num verò jus quodvis hoc pacto omni caret effectu? N.* Quamvis à vi sit destitutum. §. XX. *add. qu. 38.*

LXI. *Ecquis ille est? R.* Varius. Justitia securitatem affert conscientiæ, injustitia tormenta ac laniatus: justitiam probat, injustitiam damnat proborum consensus: quod verò maximum est, hæc

Prolegomena.

hæc Deum inimicum, illa faventem habet. *cit.* §.

LXII. *An horum effectuum etiam in hac vitâ quandoque vis est?* A. DEUS enim judicia sua ita post hanc vitam reservat, ut sæpè eorum vim etiam in hac vitâ repræsentet. *cit.* §.

LXIII. *Quare multi in civibus, non in eorum rectoribus, exigunt justitiam?* R. Quia solùm respiciunt utilitatem, quæ evidens est in civibus, qui singuli ad sui defensionem sunt invalidi; at magnæ civitates omnia, quæ ad vitam rectè tuendam necessaria sunt, in se completi videntur. §. XXI.

LXIV. *An etiam complectuntur?* N. Nam nulla civitas est tam valida, quæ non aliquando aliorum extra se ope indigeat, vel ad commercia vel etiam ad arcendas multarum externarum gentium junctas inter se vires. §. XXII.

LXV. *Per quid hæc obtinentur?* R. Per fœdera. *cit.* §.

LXVI. *An hæc sunt valida, si jus intra fines civitatis concluditur?* N. Sed omnis eorum vis tollitur. Omnia enim incerta sunt, simul à jure recessum est. *cit.* §.

LXVII.

Prolegomena.

LXVII. *An etiam ista communitas, quæ genus humanum in se continet, jure aliquo indiget?* A. Quia, si nulla communitas sine illo conservari potest, quod exemplo latronum clarum redditur, nec etiam illa, quæ omnium maxima est. Quare ne patriæ quidem causâ foeda sunt facienda. §. XXIII.

LXVIII. *Per quod civitas quasi jubetur extra territorium etiam justitiam exercere?* R. Per id, quod ipsa inter se neminem patitur imperare, nisi qui jus habet. *cit.* §.

LXIX. *Qua est beatissima civitas?* R. Non ea, cujus fines hasta & gladio terminantur, sed quæ justitiam pro finibus habet & militari fortitudini justitiam anteponit. §. XXIV.

LXX. *Quare hac illi est anteponenda?* R. Quia illa per hanc regi debet. *cit.* §.

LXXI. *Quid est fortitudo?* R. Est virtus pro æquitate pugnans. *cit.* §.

LXXII. *Qui fines justitiæ à regibus poni debent?* R. Non fines imperii, cum ipsi totius humani generis rationem habeant. Inde Minois nomen apud posteros

Prolegomena.

steros invisum est, æquitatem imperii sui finibus terminantis. *cit.* §.

LXXIII. *An jura in bello cessant?* N. Nam, sicut ne suscipi potest, nisi ad juris consecutionem, ita nec susceptum geri, nisi intra juris & fidei modum. §. XXV.

LXXIV. *Contra quos suscipiuntur bella?* R. Contra eos, qui judiciis coërceri nequeunt. Judicia enim vigent adversus eos, qui invalidiores se sentiunt, in eos autem qui pares se putant, bella sumuntur. *cit.* §.

LXXV. *Quid igitur requiritur, ut bella sint recta?* R. Ut non minori religione exercentur, quam judicia exerceri solent. *cit.* §.

LXXVI. *Quæ leges spectanda in bello?* R. Perpetuæ & omnibus temporibus accommodatæ, quæ Natura dicit, aut Gentium consensus constituit; Non civiles illæ, & judiciariæ & pacis propriæ. §. XXVI.

LXXVII. *Ad quem finem?* R. Ut bella justè non minùs, quam fortiter suscipiantur & finiantur. *cit.* §.

LXXIIX.

Prolegomena.

LXXIX. *Nullane, præter justum, inde utilitates proveniunt ?* R. Tàm justitiæ conscientia, quæ maximam in bellis vim habet, ita ut historiarum scriptores victoriam huic causæ præcipuè adscribant; Quàm conciliatio amicitiarum, quibus, ut singuli, ita & populi ad multas res opus habent, ex hoc fonte oritur. §. XXVII.

LXXIX. *Videmus tamen etiam iniquarum molitionum prosperos successus ?* R. Satis est quod causæ æquitas suam quandam eamque magnam habet vim ad agendum, quanquam ea vis, ut in rebus humanis accidit, sæpè aliarum causarum opposita ab effectu impediatur. *cit.* §.

LXXX. *Ergò causam huic operi dederunt vitia hominum ?* A. Peccantium scil. circa hoc jus tàm in excessu quàm defectu. §. XXVIII. & XXIX.

LXXXI. *Qui sunt illi ?* R. Qui per orbem christianum, vel barbaris Gentibus pudendam belli licentiam, usurpant; Levibus aut nullis de causis ad arma procurrunt, quibus semel sumtis,
b nullam

Prolegomena.

nullam jam divini, nullam humani juris reverentiam cordi habent, planè quasi uno edicto ad omnia scelera emissio furore. *cit. §. XXIIIX.*

LXXXII. *Qui hi?* R. Qui hujus immanitatis conspectu, Christiano omnia arma interdiciunt, ad quos accedunt Johannes Ferus & Erasmus. *cit. §. XXIX.*

LXXXIII. *Quomodo ergò his succurrendum?* R. Medicina utrisque adhibenda, tùm ne nihil, tùm ne omnia credantur licere. *cit. §.*

LXXXIV. *Qui hoc commodè fieri poterit?* R. Artis formam operi imponendo. §. XXX.

LXXXV. *Quare hoc hæctenus non factum?* R. Quia curatum satis non est, ut ea, quæ ex constituto veniunt, à naturalibus rectè separentur; nam naturalia, cum semper eadem sint, facile possunt in artem colligi: Illa autem, quæ ex constituto veniunt, cum & mutantur sæpiùs, & alibi alia sint, extra artem posita sunt. *cit. §.*

LXXXVI. *Quomodo vera Justitia Sacerdotes naturalis & perpetua Jurisprudentia*

Prolegomena.

dentia partes tractandas suscipiunt ? R.
Si semotis iis, quæ ex voluntate liberâ
ortum habent, alius quidem de legibus,
alius de tributis, alius de iudicium offi-
cio, alius de voluntatum conjecturâ,
alius de factorum faciendâ fide tracta-
ret, posset deinde ex omnibus partibus
collectis corpus confici. §. XXXI.

LXXXVII. *Quæ verò Methodus hic ab
Autore traditur ? R.* Ille, quam viam
ineundam censeret, se ipsâ potius,
quàm verbis, ostendit in hoc opere.
§. XXXII.

LXXXIIX. *Hoc opus quid continet ? R.*
Partem Jurisprudentiæ longè nobilissi-
mam. *cit.* §.

LXXXIX. *In quot libros dividitur ? R.*
In tres. §. XXXIII. *Et seqq.*

XC. *Primus liber quid tractat ? R.* Au-
tor primo libro, præfatus de Juris ori-
gine, generalem examinavit quæstio-
nem, sitne bellum aliquod justum : de-
indè ad noscenda publici privatiq;
belli discrimina explicandam habuit
vim ipsam summi Imperii, quî eam po-
puli, quî reges solidam, quî ex parte,

Prolegomena.

quî cum alienandi Jure, quî aliter habeant : deinde & de subditorum in superiores officio dixit. *cit.* §.

XCI. *Quid liber secundus?* R. Omnes causas; ex quibus bellum oriri potest, quæ res communes sint, quæ propriæ; quod Jus personis in personas, quæ ex dominio nascatur obligatio, quæ successuum regiarum norma, quod Jus veniat ex pacto aut contractu; quæ fœderum, quæ Jurisjurandi tum privati tum publici vis atque interpretatio; quid ex damno dato debeatur, quæ legatorum sanctimonia, quale jus humani mortuos, & quæ denique pœnarum natura. §. XXXIV.

XCII. *Quid tertius?* R. Separat Auctor in illo id, quod in bello licet, & quod impunè fit, aut etiam apud populos externos pro jure defenditur, ab eo, quod vitio caret; descendit deinde ad pacis genera & omnes bellicas conventiones. §. XXXV.

XCIII. *Num opera pretium est, hoc argumentum tractare?* A. Quia hoc nemo totum tractavit, & qui tractarunt partes,

Prolegomena.

tes, ita tractarunt, ut multum reliquerint alienæ industriæ. §.XXXVI.

XCIV. *Quid apud veteres Philosophos hujus generis extat?* R. Nihil, neque apud Græcos, quos inter Aristoteles librum fecerat, cui nomen *δικαιώματα πολέμων*; neque apud eos, qui Christianismo recenti nomen dederunt, quod valdè optandum erat. *cit.* §.

XCV. *Quid Romani veteres hæc in parte præstiterunt?* R. Horum libri de jure feciali nihil ad nos sui, præter nomen transmiserunt. *cit.* §.

XCVI. *Quidnam autem illi, qui summas fecerunt casuum quos vocant, conscientia?* R. Ut de aliis rebus, ita & de bello, de promissis, de juramento, de repressaliis capita fecerunt. *cit.* §.

XCVII. *Num speciales libri præ temporibus Grotii de Belli Jure reperiuntur?* R. Deprehenduntur *partim* à Theologis scripti, ut à Francisco victoriâ, Henrico Gorichemo, Wilhelmo Matthæi; *partim* à Doctoribus Juris, ut Joanne Lupo, Francisco Ario, Joanne de Lignano, Martino Landensi. §.XXXVII.

XCIX. *Quid hi omnes de uberrimo hoc argumento dixerunt?* R. Paucissima, & ita plerique, ut sine ordine, quæ naturalis sunt juris, quæ divini, quæ gentium, quæ civilis, quæ ex canonibus veniunt, permiscuerint atque confuderint, *cit. §.*

XCIX. *Quid verò his omnibus defuit?* R. Maximè historiarum lux. §. XXXVIII.

C. *An non alii vitium hoc supplevere?*

R. Aggressi quidem sunt eruditissimus Faber in Semestrium capitibus nonnullis, sed pro instituti sui modo & testimoniis tantum allatis, diffusus; & ut definitiones aliquas exemplorum congeriem referrent, Balthasar Ayala, & plus eo, Albericus Gentilis. *cit. §.*

CI. *Quid de Gentili notandum?* R. Solet hic sæpè in controversiis definiendis sequi aut exempla pauca non, semper probanda, aut etiam auctoritatem novorum Jctorum in Responsis, quorum non pauca ad gratiam consulentium, non ad æqui bonique naturam, sunt composita. Sicque hic summa quædam genera, quo ipsi visum est modo,

Prolegomena.

modo, delineavit ; multos verò & nobilium & frequentium controversiarum locos ne attigit quidem. *cit. §.*

CII. *Quid in Ayalâ observandum?* R. Causas, unde bellum justum aut injustum dicitur, hic non attigit. *cit. §.*

CIII. *An itaq; modo notata abière indicta?* N. Sed fontes dijudicationum, etiam sunt indicati, unde facilè esset, etiamsi quid omissum esset, definire. §. XXXIX.

CIV. *Quibus auxiliis & quâ curâ hæc res est suscepta?* R. Primùm hæc cura fuit, ut eorum, quæ ad jus naturæ pertinent, probationes referrentur ad notiones quasdam tam certas, ut eas nemo negare possit, nisi sibi vim inferat. *cit. §.*

CV. *Num verò principia hujus juris per se patent atque evidentia sunt?* A. Si modò animum rectè advertas, scil. ad modum ferè eorum, quæ sensibus externis percipimus; qui & ipsi benè conformatis sentiendi instrumentis, & si cætera necessaria adsint, non fallunt. *cit. §.*

Prolegomena.

CVI. *Quorum testimonia ad juris hujus probationem sunt adhibita?* R. Philosophorum, Historicorum, Poëtarum; postremò & Oratorum. §. XL.

CVII. *Num illis indiscretè est credendum?* N. Solent enim Sectæ, argumento, causæ servire. *cit.* §.

CVIII. *Quid si multi diversis temporibus ac locis idem pro certo affirmant?* R. Hoc ad causam universalem referri debet. *cit.* §.

CIX. *Quenam est hæc causa universalis in his questionibus?* R. Hæc alia esse non potest, quam aut recta illatio ex naturæ principiis procedens, aut communis aliquis consensus; illa jus naturæ, hic jus gentium indicat. *cit.* §.

CX. *Unde horum discrimen est intelligendum?* R. Non quidem ex ipsis testimoniis, (passim enim scriptores voces juris naturæ & gentium permiscent) sed ex materiæ qualitate. Quod enim ex certis principiis naturalibus certa argumentatione deduci non potest, & tamen ubique observatum apparet, sequitur,

Prolegomena.

quitur, ut ex voluntate liberâ ortum habeat. *cit. §.*

CXI. *Nam solum inter jus natura & gentium discrimen à se invicem faciendum? N. Sed & laborandum, quomodo à Jure Civili discernatur. §. XLI.*

CXII. *An & in ipso gentium jure discrimen reperitur? A. Aliud enim est id, quod verè & ex omni parte jus est; aliud quod duntaxat effectum quendam externum, ad instar illius primitivi juris, parit. cit. §.*

XIII. *Quinam sunt illi effectus? R. Nempe ne vi resistere liceat, aut etiam, ut ubique vi publicâ, utilitatis alicujus causâ, vel ut incommoda gravia vitentur, defendi debeat. cit. §.*

XCIV. *Num etiam separanda sunt ea, quæ juris sunt strictè ac propriè dicti? A. Et exinde restitutionis obligatio oritur, & ea, quæ juris gentium esse dicuntur, quia aliter agere cum alio aliquo rectæ rationis dictato pugnat. cit. §.*

CXV. *Quis inter Philosophos principem obtinet locum? R. Aristoteles, idque meritò, sive tractandi ordinem, sive*

Prolegomena.

sive distingvendi acumen, sive rationum pondera consideraveris. §. XLII.

CXVI. *Sed annon principatus ille ab aliquot hinc seculis in tyrannidem abiit?*

A. Ita, ut veritas, cui Aristoteles fidelem navavit operam, nullâ jam re magis opprimatur, quam Aristotelis nomine. *cit. §.*

CXVII. *Quâ libertate veteres Christiani hoc in puncto usebantur?* R. Hi in nullius Philosophorum sectam juraverant, non quod eis assentirentur, qui nihil percipi posse dicebant, quo nihil est stultius; sed quod nullam esse sectam putarent, quæ omne verum vidisset, & nullam, quæ non aliquid ex vero. *cit. §.*

CXVIII. *Quid igitur ex his depromebant?* R. Veritatem sparsam per singulos, per sectasque diffusam in Corpus colligebant, idque existimabant nihil esse aliud, quam verè Christianam tradere disciplinam. *cit. §.*

CXIX. *Quare ab Aristotele discessere & Platonici nonnulli, & Christiani veteres?* R. Ideò, quod ille naturam ipsam
virtu-

Prolegomena.

virtutis in mediocritate affectuum actionumque posuerit. §. XLIII.

CXX. *Hoc semel positum, quo ipsum abduxit?* R. Ut (1.) & virtutes diversas, puta liberalitatem & parsimoniam, in unam compingeret; & (2.) veritati daret opposita minimè ex æquo respondentia, jactantiam & simulationem; & (3.) quibusdam rebus vitii nomen imponeret, quæ aut non existunt, aut vitia per se non sunt, ut contemptum voluptatis & honorum, & iræ adversus homines vacuitatem. *cit.* §.

CXXI. *Num rectè fundamentum hoc universaliter est positum?* N. Idque apparet ex justitiâ, cui oppositum *nimum & parum*, cum in affectibus & sequentibus eos actionibus invenire non posset, in rebus ipsis, circa quas justitia versatur, utrumque quæsit. §. XLIV.

CXXII. *Quale hoc est vitium?* R. Desilire primò de genere in genus alterum, quod in aliis ipse Aristoteles merito culpatur: deinde minus suo accipere. *cit.* §.

CXXII.

Prolegomena.

CXXIII. *Annon posterius adventitium potest habere vitium?* A. Et quidem ex eo, quod quis pro rerum circumstantiis sibi ac suis debeat. *cit. §.*

CXXIV. *An pugnât cum justitiâ?* N. Quia tota in alieni abstinentiâ posita est. *cit. §.*

CXXV. *Num adulterium ex libidine, eades ex irâ propriè ad injustitiam perzinet?* A. Cum injustitia non aliam naturam habeat, quam alieni usurpationem. *cit. §.*

CXXVI. *Num refert, ex avaritiâ illâ, an ex libidine, an ex irâ, an ex imprudente misericordiâ proveniat, an ex cupiditate excellendi, unde maxime injuria solent nasci?* N. Nam qualiacunque incitamenta contemnere hâc tantùm de causâ, ne societas humana violetur, hoc justitiæ proprium est. *cit. §.*

CXXVII. *Annon verum est, virtutibus nonnullis accidere, ut affectus moderentur?* A. Ast hoc non idè, quod id fit virtuti omni proprium atque perpetuum, sed quia recta ratio, quam virtus ubique sequitur, in quibusdam modum

Prolegomena.

modum sequendum dicitur, in quibusdam ad summa incitat. §. XLV.

CXXIIX. *Num DEUM nimium colere possumus?* N. Superstitio enim non eo peccat, quod DEUM nimium colat, sed quod perversè : sic æterna bona perversè, non nimium, appetere possumus ; æterna mala perversè, non nimium, formidare : peccata perversè, non nimium odisse. *cit. §.*

CXXIX. *Verène itaq; dicitur, esse quædam, quorum amplitudines nullis finibus cobibeantur?* A. Quæ, quanto majora auctioraque sunt, etiam tanto sunt laudatiora. *cit. §.*

CXXX. *Quà libertate Aristoteles magni est faciendus?* R. Eà, quam ipse sibi in suos magistros, præsertim in Platonem, veri studio, indulgit. *cit. §. add. §. ult. Prolegom.*

CXXXI. *Quem usum habent historia?* R. Duplicem : exempla enim suppeditant & judicia. §. XLVI.

CXXXII. *Quomodo exempla?* R. Hæc, quò meliorum sunt temporum ac populorum, eò plus habent autoritatis :
ideò.

Prolegomena.

ideò Græca & Romana vetera cæteris sunt præferenda. *cit. §.*

CXXXIII. *Quomodo judicia?* R. Jus naturæ aliquo modo inde probatur: jus verò gentium non est, ut aliter probetur. *cit. §.*

CXXXIV. *Quale pondus habent Poëtarum & Oratorum sententia?* R. Non tantum, ut historicorum: & nos sæpè iis utimur, non tàm ut inde adstruamus fidem, quàm ut his, quæ dicere volumus, ab ipsorum dictis aliquid ornamenti accedat. §. XLVII.

CXXXV. *An discrimen reperitur inter leges, quas à DEO afflati homines aut scripserunt, aut probarunt?* A. Scilicet inter legem antiquam & novam. §. XLIX.

CXXXVI. *Num rectè nonnulli antiquam legem urgent pro ipso jure naturæ?* N. Multa enim ejus veniunt ex DEI voluntate liberâ, quæ tamen cum verò jure naturæ nunquam pugnant, & eatenus argumentum inde rectè ducitur, dummodò distingvamus accuratè Jus DEI, quod DEUS per homines interdum

Prolegomena.

dum exsequitur, & jus hominum inter se. *cit.* §.

CXXXVII. *Qualem hic præterea nonnulli committunt errorem?* R. Quod post novi fœderis tempora nullum antiqui fœderis usum esse putent. *cit.* §.

CXXXIIX. *Quanam verò sententia est verior?* R. Illa, quod novi fœderis ea sit natura, ut, quæ ad virtutes morum pertinentia præcipiuntur in veteri fœdere, eadem & ipsum, aut majora, præcipiat. *cit.* §.

CXXXIX. *Quomodo percipienda librorum ad antiquum fœdus pertinentium sententia?* R. Hic non parùm conferre nobis possunt Hebræi scriptores, ii maximè, qui & sermones & mores patrios habuerunt percognita. §. XLIX.

CXL. *Annon aliunde disci potest, quid Christianis liceat, quam ex novo fœdere?* N. In illa enim sanctissimâ lege major sanctimonia præcipitur, quam solum per se jus naturæ exigit. §. L.

CXLI. *An & quedam commendantur magis, quàm præcipiuntur?* A. Ut à præceptis declinare sciamus nefas & poenæ ob-

Prolegomena.

obnoxium ; item ad summa quæque contendere generosi esse consilii , & suâ non carituri mercede. *cit. §.*

CXLII. *Quid sunt Synodici Canones , qui recti sunt ?* R. Collectiones ex generalibus legis divinæ pronuntiatis, ad ea, quæ occurrunt, aptatæ. *§. LI.*

CXLIII. *Quid monstrant hi ?* R. Aut quod divina lex præcipit , aut ad id, quod DEUS svadet, hortantur. *cit. §.*

CXLIV. *Quod officium veræ Ecclesiæ Christianæ est ?* R. Ea, quæ sibi à DEO tradita sunt, tradere, & eo, quo tradita sunt, modo. *cit. §.*

CXLV. *An & mores apud Christianos illos veteres , & qui tanti nominis mensuram implebant , recepti, aut laudati, merito pro Canonibus valent ?* A. *cit. §.*

CXLVI. *Quorum secunda , post hos , Auctoritas est ?* R. Eorum , qui suis quique temporibus pietatis & doctrinæ fama inter Christianos floruerunt , neque gravis cujusquam erroris notati sunt. *cit. §.*

CXLVII. *An & hi, quæ dicunt, magnâ cum asseveratione, & quasi comperta, momentum*

mentum non exiguum habere debent? A. Ad interpretanda, quæ obscura videntur, in sacris literis, eoque majus, quo & plurium apparet consensus, & propius acceditur ad primæ puritatis tempora, cum nec dominatus adhuc nec coitio ulla primitivam veritatem adulterare potuit. *cit. §.*

CXLIX. *Quinam bis successerunt? R.* Scholastici, qui, quantum ingenio valeant, sæpè ostendunt. *§.LII.*

CXLIX. *In qualia bi secula inciderunt? R.* In infelicia & artium bonarum ignara, quo minus mirum, si inter multa laudanda, aliqua & condonanda sunt. *cit. §.*

CL. *An ubi in re morum consentiunt, vix est, ut errent? A.* Quippe perspicaces admodum ad ea videnda, quæ in aliorum dictis reprehendi possunt. *cit. §.*

CLI. *Quid præbent in hoc ipso tam diversa tuendi studio? R.* Laudabile modestiæ exemplum, rationibus inter se certantes, non, qui mos nuper adeo li-
E teras

Prolegomena.

teras inquinare cœpit, convitiis, turpi foetu impotentis animi. *cit.* §.

CLII. *Quot sunt Juris Romani scientiam profitentium genera?* R. Triâ. §. LIII.

CLIII. *Quodnam est primum?* R. Eorum, quorum opera in Pandectæ, Codicibus Theodosiano & Justiniano, & in Novellis Constitutionibus apparent. *cit.* §.

CLIV. *Quos habet secundum?* R. Eos, qui Irnerio successerunt, Accursium, Bartolum, & tot alia nomina, quos penes diu fori Regnum fuit. *cit.* §.

CLV. *Quosnam tertium complectitur?* R. Eos, qui humaniores literas cum legum studio conjunxerunt. *cit.* §.

CLVI. *Quibus multum deferendum?* R. Primis; nam & rationes sæpè optimas suppeditant, ad demonstrandum, id, quod Juris est naturæ; & eidem juri, neque minùs Gentium Juri, testimonium sæpè præbent. *cit.* §.

CLVII. *Quo modo?* R. Sic, ut ipsi non minùs, quàm alii, nomina hæc sæpè misceant, imò & jus Gentium sæpè
votent

vocent id, quod quorundam duntaxat populorum est, nec tanquam ex condito, sed quod alii aliorum imitatione, aut fortuito receperunt. *cit.* §.

CLIX. *Cum quibus tractant sæpè ea promiscuè & indiscretè, que verè sunt Juris Gentium?* R. Cum his, quæ Juris sunt Romani, ut ex titulo de captivis & postliminio apparet. *cit.* §.

CLIX. *Quid secunda Classis, Juris divini & historia veteris incuriosa, definire voluit?* R. Omnes Regum populorumque controversias ex legibus Romanis, assumtis interdum Canonibus. §. LIV.

CLX. *An & his quoq; temporum suorum infelicitas impedimento sæpè fuit, quo minùs rectè leges illas intelligerent?* A. Licet satis solertes alioqui, ad indagandam æqui bonique naturam. *cit.* §.

CLXI. *Quomodo verò maxime audiendi?* R. Cum tali consuetudini, quæ nostrorum temporum Jus Gentium facit, testimonium perhibent. *cit.* §.

Prolegomena.

CLXII. *An tertii ordinis Magistri, qui Romani Juris finibus se includunt, & in jus illud commune aut nunquam, aut non, nisi leviter, exspatiantur, ullum habent usum?* N. Scholasticam enim subtilitatem cum legum & Canonum cognitione conjunxerunt, ita, ut à Controversiis etiam Populorum ac Regum non abstinuerint, Hispani duo Covarruvias & Vasquius: *hic magna libertate, modestius alter, nec sine exacto quodam judicio.* §. LV.

CLXIII. *Qui historias magis eidem legum Studio inferere aggressi sunt?* R. Galli, quos inter magnum obtinent nomen Bodinus & Hottomanus, ille perpetuo opere, hic sparsis quaestionibus, quorum & pronunciata & rationes saepe nobis inquirendi veri suppeditabunt materiam. *cit.* §.

CLXIV. *Quae sibi Autor in hoc opere maxime proposuit?* R. (1.) Ut definiendi rationes redderet quam maxime evidentes. (2.) Ut, quae erant tractanda, certo ordine disponeret. (3.) Ut, quae eadem

eadem videbantur, nec erant, perspicuè distingveret. §. *LVI.*

CLXV. A quibus verò abstinuit? R. Ab iis, quæ sunt alterius tractationis, ut, quæ docent, quid ex usu sit facere. §. LVII.

CLXVI. Utilitatem tamen in nonnullis locis fecit mentionem? R. Sed obiter tantum, & ut illa à justa quæstione apertius distingveret. cit. §.

CLXVII. Ad quam artem hac pertinent? R. Ad Politicam. cit. §.

*CLXVIII. An ad sæculi nostri controversas, aut quæ nascitura previderi poterant, respexit? N. Sed, sicut figuras à corporibus semotas Mathematici considerant, ita & ille, in jure tractando, ab omni singulari facto abduxit animum. §. *LIX.**

*CLXIX. Quo dicendi genere usus est? R. Conciso & docenti conveniente, ne, ad multitudinem rerum adjungendo verborum copiam, Lectori fastidium pareretur. §. *LIX.**

CLXX. Qua porro ex isto dicendi genere utilitas evenit? R. Ut uno conspe-

Prolegomena.

ctū habeant, qui negotia publica tractant, & quæ incidere solent controversiarum genera, & principia, unde dijudicari possunt. *cit. §.*

CLXXI. *Quæ verba veterum Scriptorum adduxit?* R. Quæ aut cum auctoritate, aut venustate singulari dicta ipsi videbantur. §. LX.

CLXXII. *Quando Græca adjecit?* R. Si sensus sententiæ Latino sermone non percipi poterat, aut brevis erat sententia. *cit. §.*

CLXXIII. *Sed liberiùs de aliorum scriptis & sententiis dijudicavit?* R. Ideò eandem in se omnibus libertatem concedit, promptus interim ad sequendum, si eum erroris conviecerint.

§. LXI. *add. supr. qu. 130.*



INDEX



INDEX CAPITUM.

LIB. I.

CAP. I.

Quid bellum, quid jus. pag. 1.

II.

An bellum unquam justum
sit. 16

III.

Belli partitio in publicum & pri-
vatum, summi imperii expli-
catio. 22

IV.

De bello subditorum in superio-
res. 41

V.

Qui bellum licite gerant. 50

LIB.

INDEX
LIB. II.
CAP. I.

*De belli causis, & primùm de
defensione sui & rerum.* 53

II.

*De his, quæ hominibus commu-
niter competunt.* 64

III.

*De Acquisitione originariâ re-
rum: ubi de mari & flumini-
bus.* 82

IV.

*Derelictione præsumtâ, & eam,
secutâ occupatione: & quid ab
usucapione & præscriptione
differat.* 90

V.

*Acquisitione originariâ juris in
personas: ubi de jure paren-
tum: de matrimoniis, collegi-*

is;

CAPITUM.

is; jure in subditos ac servos.

102

VI.

*Acquisitione derivativâ factô
hominis, ubi de alienatione im-
perii, & rerum imperii.* 125

VII.

*Acquisitione derivativâ, qua fit
per legem: ubi de successione
ab intestato.* 131

IIIX.

*Acquisitionibus, qua vulgo di-
cuntur juris gentium.* 146

IX.

*Quando imperia vel dominia
desinant.* 154

X.

*De obligatione, qua ex dominio
oritur.* 160

XI.

Promissis. 166

XII.

INDEX

XII.

Contractibus. 181

XIII.

Jurejurando. 195

XIV.

Promissis, contractibus, & juramentis eorum, qui summum imperium habent. 207

XV.

Fœderibus ac sponsionibus 216

XVI.

Interpretatione. 226

XVII.

Damno per injuriam dato, & obligatione, que inde oritur. 243

XVIII.

Legationum jure. 252

XIX.

Sepultura jure. 262

XX.

Pœnis. 266

XXI.

CAPITUM.

XXI.

Communicatione poenarum. 303

XXII.

Injustis causis. 317

XXIII.

Dubiis causis. 324

XXIV.

*Monita de non temerè etiam,
ex justis causis bello suscipi-
endo.* 330

XXV.

*De causis belli pro aliis suscipi-
endi.* 335

XXVI.

*De causis justis ut bellum gera-
tur ab his, qui sub alieno im-
perio sunt.* 342

LIB.

INDEX
LIB. III.

CAP. I.

*Quantum in bello liceat, regula
generales ex jure natura: ubi
Et de dolis, Et mendacio. 350*

II.

*Quomodo jure gentium bona sub-
ditorum pro debito imperan-
tium obligentur: ubi de re-
pressaliis. 368*

III.

*De bello justo, sive solenni jure
gentium: ubi de indictione.
374*

IV.

*Jure interficiendi hostes in bello
solenni, Et aliâ vi in corpus.
383*

V. Rebus

CAPITUM.

V.

Rebus vastandis eripiendisque.

391

VI.

Jure acquirendi bello capta.

394

VII.

Jure in captivos.

406

VIII.

Imperio in victos.

411

IX.

Postliminio.

414

X.

*Monita de his, qua fiunt in bello
injusto.*

424

XI.

*Temperamentum circa jus inter-
ficiendi in bello justo.*

428

XII.

Circa vastationem & similia.

435

XIII.

Res captas.

441

XIV.

INDEX

XIV.

Captos. 446

XV.

Imperii acquisitionem. 451

XVI.

*Ea, quæ jure gentium postlimi-
nio carent.* 456

XVII.

De his, qui in bello medii sunt. 460

XIIX.

*Quæ in bello publico privatim
fiunt.* 464

XIX.

Fide inter hostes. 469

XX.

*Fide publicâ, quâ bellum finitur:
ubi de pacis pactione, sorte,
certamine condicto, arbitrio,
deditione, obsidibus, pignori-
bus.* 480

XXI.

CAPITUM.

XXI.

Fide manente bello : ubi de induciis, com meatu, captivorum redemptione. 508

XXII.

Fide minorum potestatum in bello. 520

XXIII.

Fide privatâ in bello. 525

XXIV.

Fide tacitâ. 530

XXV.

Conclusio, cum monitis ad fidem & pacem. 533



Ex vita S. LUDOVICI
Regis Francorum descripta à
Joinvillio, ex Actis Collegii Ra-
tionalium in urbe
Parisiensi.

SI qua controversia aut actio in te mo-
veatur, inquire in veritatem tam con-
tra te, quàm pro te. Si quid alieni babe-
re te animadvertas, quod aut te, aut ma-
jores tuos cepisse constet, fac illicò restitu-
atur. Cave bellum geras adversus Chri-
stianum quemquam, nisi ex multorum
consilio, & ita si bellum evitare non possis.
Quod si bellum habeas, abstine ab Ecclesi-
asticis & iis, qui tibi nihil nocuere. Si in-
ter subditos tuos bellum aut rixa orian-
tur, fac eos ad concordiam reducas
quamprimum fieri potest. Sape specta
quid Bailivi, prepositi, & alii officiales
tui faciant, & in eorum actus inquire,
ut si quid corrigendum sit, id corrigas.
Fac nullum turpe peccatum regnet
in regno tuo.

Hugo.



HUGONIS GROTII
IN QUÆSTIONES REDACT

De

JURE BELLI ac PACIS
LIBER PRIMUS.

CAPUT I

Quid bellum, quid jus.



CONTROVERSIÆ
eorum, quos nulla juris
civilis tenet communio,
(quales sunt qui in gen-
tem nondum coierunt, &
qui inter se diversarum
sunt gentium; tum privati, tum reges
ipsi, quique par regibus jus obtinent; si-
ve illi optimates sint, sive populi liberi)
aut ad belli aut ad pacis tempora perti-
nent. Sed quia bellum pacis causâ sus-
cipitur, & *nulla est controversia; unde non
bellum oriri possit*; occasione bellici juris,
quæcunque tales incidere solent con-

A. tres

troverſiæ rectè tractabuntur , ipſum de-
inde nos bellum ad pacem, ut finem ſu-
um, deducet. §. I.

Quæritur I. *Quid eſt bellum?* R. *Status*
per vim certantium , qua talium.
§. II. n. 1.

II. *Cur dicitur ſtatus?* R. Ut diſtin-
guatur à certatione , prælio , aliisque
bellicis actibus , quibus ad tempus abſti-
netur , *bello manente. cit. n.*

III. *An hac belli definitio omnia bello-
rum gênera comprehendit?* A. Neque e-
nim privatum bellum hic excluditur, ut
quod reipſa prius eſt publico , & haud
dubiè cum publico communem habet
naturam , quæ propterea eoque proprio
nomine ſignanda eſt. c. n.

IV. *Unde originem traxit nomen belli?*
R. Ex voce veteri duellum. Duellum
autem à duobus dictum, ſimili ſenſu, quo
pacem unitatem dicimus. c. §. n. 2.

V. *Includiturne belli juſtitia in allatâ*
definitione? N. Quia hoc ipſum tantum
quæritur, ſitne aliquod bellum juſtum, &
quod bellum juſtum ſit ; diſtingui autem
debet id, quod quæritur, ab eo de quo
quæritur. c. §. n. 3.

VI.

Vī. *Quid jus hoc loco significat ?* R. Id, quod est justum, sive non injustum. §. III. n. 1.

VII. *Quid est injustum ?* R. Quod repugnat naturæ societatis ratione utentium. Sic humanæ societati repugnat hominem homini insidiari; aut detrahere sui commodi causâ. *cit. n.*

VIII. *Quotuplex est hoc jus ?* R. Duplex, *rectorium, & æquatorium. c. §. n. 2.*

IX. *Quid est rectorium ?* R. Quod est inter eos, qui regunt, & qui reguntur: patrem scilicet & liberos, dominum & servos, regem & subditos, Deum & homines. *c. n.*

X. *Quid æquatorium ?* R. Eorum, qui inter se vivunt ex æquo: fratrum, civium, amicorum, fœderatorum. *c. n.*

XI. *Quæ est altera juris significatio ?* R. Quatenus refertur ad personas, notans *moralem qualitatem* ad habendum aliquid, aut agendum. §. IV.

XII. *Sed quid si rem sequatur hoc jus ?* R. Nihilominus personæ competit; ut servitutes prædiorum, quæ jura realia dicuntur; comparatione facta ad alia *mèrè personalia. c. §.*

XIII. *Quotuplex est ea?* R. Duplex, facultas & aptitudo. cit. §.

XIV. *Quid est facultas?* R. Jus propriè & strictè dictum, quod jurisperitis explicatur nomine *Sui*. §. V.

XV. *Quae sub eâ continentur?* R. Potestas, in se, ut libertas; & in alios, ut patria, dominica: dominium, plenum; vel minùs pleno, ut usufructus: & creditum, cui debitum respondet. c. §.

XVI. *Quotuplex est haec facultas?* R. Duplex, vulgaris, & eminent. §. VI.

XVII. *Quaest illa?* R. Quae usus particularis causâ comparata est. c. §.

XIIX. *Qua haec?* R. Quae vulgari superior, communitati competit in partes, & res partium, boni publici causâ. Sic regia potestas sub se habet patriam ac dominicam; & regis dominium in singulorum res majus est, quàm dominorum singularium, boni publici causâ. c. §.

XIX. *Quid est aptitudo?* R. Dignitas, cui quod est æquale, dicitur conveniens. §. VII.

XX. *Qua justitia respicit facultatem?* R. Propriè & strictè sumpta, sive expletrix, quae vulgò commutativa. §. VIII. n. i.

XXI. *Quæ aptitudinem?* R. *Attributrix, vulgò distributiva, comes earum virtutum quæ aliis hominibus utilitatem adferunt; liberalitatis, misericordix, providentiæ rectoricis.* *cit. n*

XXII. *An hæc species differunt inter se proportione arithmeticâ & geometricâ?* N. *Sed materiâ, circa quam versantur.* *c. §. n. 2.*

XXIII. *An etiam dicta proportio geometrica in attributrice locum habet?* R. *Sæpe, non semper, nec per se.* *c. n.*

XXIV. *An eo differunt, quod hæc versetur circa res communes, illa circa res singulorum?* N. *Nam si quis leget aliquid de suo, solet uti attributrice justitiâ: & civitas fungitur officio expleticis, cum reddit de communi, quod civium quidam impenderunt in publicum.* *c. §. n. 3.*

XXV. *Quid jus prætere a significat?* R. *Legem moralem, & agendi normam: sive regulam actuum moralium, obligantem ad id, quod rectum est.* *§. IX. n. 1.*

XXVI. *Cur dicitur actuum moralium?* R. *Ut distinguatur ab arte, & lege physicâ: quarum illa dirigit artificiales; hæc naturales, sive eos qui solo naturæ*

instinctu eliciuntur, sine scientiâ & voluntate; & propter quos causa efficiens eorum nec laudatur moraliter, nec vituperatur. *Proleg. §. VII. & XII. b. e. §. XI. n. 2.*

XXVII. Cur obligatio requiritur? R. Quia ea est de essentiâ legis: cum juris & legis nomine non veniant, quæ non obligant; ut suasiones, consilia, &c. *§. IX. n. 1.*

XXIIX. Cur additur ad rectum, non ad justum? R. Quia jus hâc notione non pertinet ad naturam solius justitiæ, sed & virtutum aliarum. *c. n.*

XXIX. Quomodo hoc jus dividitur? R. In naturale, & voluntarium. *c. §. n. 2.*

XXX. Quid est jus naturale? R. Dictatum rectæ rationis, indicans alicui actui inesse moralem bonitatem, aut malitiam, ex ipsius actus convenientiâ aut inconvenientiâ cum ipsâ naturâ rationali, *f. X. n. 1.*

XXXI. Unde hoc jus justum est? R. Ex se, & necessario: actusque, de quibus tale dictatum exstat, sunt debiti, aut illiciti, per se: i deoque ab ipso authore naturæ Deo præcepti, vel vetiti necessario, *cit. §. n. 2.*

XXXII.

XXXII. *Quæ sunt dicenda juris naturalis non proprie, sed reductivè ?* R. Ea, quibus jus naturæ non repugnat, quæque carent injustitiâ. *cit. §. n. 3.*

XXXIII. *Quæ per abusivem ?* R. Quæ ratio judicat esse honesta, quamvis non debita necessariò. *c. n. 3.*

XXXIV. *An jus naturæ tantum agit de his, quæ existunt citra voluntatem humanam ?* N. Sed & de multis, quæ illius voluntatis actum consequuntur. Sic, dominio per voluntatem humanam introducto, jus naturæ dicitur, nefas esse, eripere alteri, quod illius est dominii. *c. §. n. 4.*

XXXV. *An jus naturæ est immutabile ?* A. Quia non potest à naturâ rationali deleri, nec augeri, abrogari, aut dispensari. *c. §. n. 5.*

XXXVI. *An est respectu Dei ?* A. Deus enim efficere non potest, ut res non sit id, quod est : ut bonum sit malum ; aut contra. *c. n. 5.*

XXXVII. *An non hoc repugnat potentie divinæ ?* N. Ea enim non extenditur ad involventia contradictionem. Deus enim seipsum nequit abnegare. *c. n. 5.*

XXXVIII. *Videtur tamen aliquando*

mutari? R. Sed videtur tantum, cum imago quædam mutationis fallit incautos; quando scilicet mutatur ipsa res, de quâ jus naturæ statuit. *cit. §. v. d.*

XXXIX. *An non est mutatum divisione rerum?* N. Quia jure naturali non fuerunt omnia communia positivè, sed tantum negativè; quatenus eo nihil expressè sancitur de rerum divisione: item permissivè, non imperativè. *Conf. L. II c. 2. §. 2. n. 1.*

XL. *An non introductione servitutis?* N. Quia naturaliter omnes homines non ultra liberi sunt, quàm extra culpam aut injuriâm fuerint: quâ commissâ, libertatem tolli non repugnat juri naturæ. *Vid. L. III. c. VII. §. 1.*

XLI. *An homicidium non fuit licitum, adeoque jus natura mutatum, cum Deus Abrahamo precepit occidere filium innocentem?* N. Hoc enim homicidium propriè dictum non fuisset: quia occisio illa imperabatur ab eo, qui jus vitæ & necis absolutissimum habet in omnes homines, quibus vitam adimere potest etiam non antecedente delicto, quod jus Dei in homines majus est eo jure, quod nos

ex

ex divinâ concessione habemus in bestias, &c. cit. §. n. 6.

XLII. *An mutabatur, cum Deus Hebrais præcipiebat auferre res Ægyptiorum?* N. Hoc enim furtum non erat; cum ablatio illa præciperetur ab omnium rerum domino, qui pro suo lubitu dat, aufert, ac transfert dominia. cit. n.

XLIII. *An quedam sunt juris naturalis non simpliciter, sed pro certo rerum statu?* A. Talis enim est communis rerum usus ante dominium introductum: itemque jus per vim sua consequendi, ante leges positivas. c. §. n. 7.

XLIV. *An à jurisconsultis rectè dicitur jus immutabile aliud homini esse commune cum animantibus mutis, aliud ei proprium?* N. Quia juris propriè dicti capax non est nisi naturâ utens ratione; quæ sola capax est præceptorum generalium. §. XI. n. 1.

XLV. *Nobis tamen cum aliis animantibus communes sunt actus ipsi, de quibus jus nature constituit?* R. Ad ipsius juris naturam nihil refert, utrum actus illi sint communes; ut edere, bibere, generare, pro-

prole educare, &c. *an nobis proprii*; ut Deum colere, &c. *cit. §. n. 2*

XLVI. *Muta verò animantia sequuntur quoque legem naturæ?* R. Sed physicam, instinctum scilicet naturalem & animale, per quem cæco impetu naturaliter feruntur in finem, ab auctore naturæ cunctis agentibus præscriptum: non verò legem moralem, instinctumve rationalem, quæ toto cælo differunt. *c. n. jung. Proleg. §. VII. & XI.*

XLVII. *Quomodò probatur, aliquid esse juris naturalis?* R. Dupliciter, à priori, vel à posteriori. *§. XII. n. 1.*

XLVIII. *Quomodò à priori?* R. Ostendendo, rei alicujus convenientiam, aut disconvenientiam cum naturâ rationali ac sociali. *c. n. 1.*

XLIX. *à posteriori?* R. Colligendo juris naturalis id esse, quod tale esse creditur ab omnibus gentibus, aut moratoribus omnibus. *c. n. 1.*

L. *Cur dicitur moratoribus?* R. Quia quædam nationes efferatæ sunt, & factæ inhumanæ, ex quibus non oportet ab æquis iudicibus æstimatione factâ humanæ naturæ convitium fieri, & quod na-

naturale est, spectandum in his subjectis, quæ benè secundum naturam se habent, non in depravatis. c. §. n. 2.

LI. *Quid si dicatur nullum esse jus naturæ?*
R. Tolleitur ipsa natura rationalis, & omnis æquitas. *Proleg. §. V. seqq. & §. XX. in fin*

LII. *An utilitas non est mater omnis justitiae & equitatis?* N. Sed ipsa natura humana, quæ nos ad societatem appetendam ferret, quamvis nullâ re indigeremus. *Proleg. §. XVI. & XXI.*

LIII. *Sed tamen huic juri sua adest utilitas.*
R. Voluit auctor naturæ, nos esse singulos & infirmos, & ad vitam commodè ducendam egentes multorum; quo magis ad societatem colendam rapere-mur. *Proleg. §. XVI.* ●

LIV. *An non verò & muta animantia, & ipsi homines, naturæ duce, ad suas tantum utilitates feruntur?* N. Illorum enim quædam utilitatum suarum studium aliquatenus temperant, respectu fatuum suorum, aliorumque sibi congenerum, Et falsò id dicitur de hominibus rationis usum habentibus. *Proleg. §. VII. & b. c. §. XI. n. 1.*

LV. *Quare?* Quia inest illis principium

um internum illustrius, cui quæ conveniunt, sunt humanæ naturæ congruentia, non item reliquorū animalium. *Proleg. §. VII.*

LVI. Quid ex eo sequitur? R. Inter homini propria esse appetitum societatis, & tranquillæ, ac pro sui intellectus modo ordinatæ communitatis, cum his qui sui sunt generis. Ejusque societatis custodiam, humano intellectui convenientem, fontem esse juris naturalis. *Proleg. §. VI.*

LVII. Homines tamen pterosquo magis ab utili moveri videmus, quàm à justo? R. Sed perversos, & inordinatum affectuum motum, non rectæ rationis dictamen sequentes. Absurda autem est ab eo, quod perverse fit, ad id, quod rectè fieri debeat, argumentatio. *Prol. §. XVI.*

LIX. An utilitas est mensura juris? N. Quia hoc concessio, omne utile esset honestum ac licitum: nihilque esset honestum ac debitum, nisi quod, quia, & quatenus idem esset utile. Quo nihil absurdius & humanæ naturæ incongruentius dici potest. *c. §.*

LIX. An injustitia erga homines supponit

nit leges humanas? N. Sepositâ enim lege humanâ, homo injuriam facere potest homini, & humanæ societati. Sic non existente lege humanâ, quâ homicidium prohibeatur, hominem innocentem occidens non modò injurius est in hominem alterum, sed & in ipsam societatem humanam: adeoque peccat contra jus naturæ, quod per injustitiam violatur: imò peccaret, quamvis id lege humanâ permitteretur vel imperaretur. *Conf. Proleg. §. VI. L. 2. c. 1. §. 9. n. 3.*

LX. Quid est jus voluntarium? R. Quod ex voluntate ducit originem; aliis dictum legitimum, positivum, constitutum. §. XIII.

LXI. Unde hoc justum est? R. Non ex se, aut necessario; sed ex arbitrio & liberrimâ voluntate legem ferentis. *cit. §.*

LXII. Quotuplex id est? R. Duplex, divinum, & humanum. *c. §.*

LXIII. Quid est humanum? R. Quod oritur à voluntate humanâ. *c. §.*

LXIV. Quotuplex hoc est? R. Triplex, civile, civili arctius, & civili latius. §. XIV. n. 1.

LXV. Quid est civile? R. Quod proficiscitur à potestate civili, id est eâ, quæ civitati præest. *c. n.*

LXVI. Quid est civitas? R. Cætus perfectus liberorum hominum, juris fruendi & communis utilitatis causâ sociatus. *c. n.*

LXVII. Quid est jus arctius civili? R. Quod quidem non venit à potestate civili, sed tamen ei subjectum est. Estque varium, continens in se præcepta patriæ dominica, & similia. *c. n.*

LXVIII. Quid latius patens civili? R. Jus gentium propriè dictum: quod diversæ gentes inter se observant in commerciis, foederibus, bello, &c. *c. n.*

LXIX. Unde hoc jus accipit vim obligandi? R. A voluntate gentium omnium, aut multarum. *c. n.*

LXX. Cur additur, aut multarum? R. Quia extra jus naturæ, vix ullum reperitur commune cunctis gentibus. Imò sæpe in unâ parte orbis terrarum est jus gentium, quod alibi non est: ut jus de captivitate, servitute, &c. *c. n.*

LXXI. Quomodo probatur aliquid esse juris gentium? R. Usu continuo, ac testimonio peritorum, præcipuè historicorum illustrium. *c. §. n. 2.*

LXXII. Quid est jus voluntarium divinum

sum? R. Quod ex voluntate divinâ ortum habet. §. XV. n. 1.

LXXIII. Unde hoc justum est? R. Ex solâ summi legislatoris Dei voluntate: e jusque actus ideò, eatenus, ac tamdiu debiti sunt, aut illiciti; quia, quatenus, & quamdiu à Deo præcipiuntur, aut ventantur. *cit. n.*

LXXIV. Quotuplex id est? R. Aut datum est humano generi, omnes obligans homines: aut uni tantum populo Hebræo, hunc solum obligans. c. §. n. 2.

LXXV. An alienigenæ fuerunt obligati jure Hebræo? N. Quia obligatio extra jus naturæ venit ex voluntate legem ferentis, quæ non extenditur ad alios. §. XVI. n. 2. *seqq.*

LXXVI. An Christi adventu in carnem ab obligatione legis Mosaicæ, quæ lex est, propriè liberati sumus? N. Quia obstricti, ut Gentiles, rigore legis istius non fuimus, non enim datur abrogatio eorum respectu, quorû non datur obstrictio. c. §. n. 7. 8.

LXXVII. Quomodo Christiani argumenta petere possunt ex lege Hebræâ? R. Non est contra jus naturæ, quod eâ lege præcipitur. §. XVII. n. 2. *Facit hûc distinctio per missionis & Lex imperfecta L. 2. c. 5. §. 16.*

LXXIX. Qui deinde ? R. Christianis legislatoribus nunc licere leges ferre ejus sensus, cujus sunt leges per Moſen latae: niſi ſi quæ ſint leges, quarum tota ſubſtantia pertineat ad tempus Chriſti exſpectati, & Evangelii nondum revelati: aut niſi Chriſtus ipſe conſtituerit contrarium. *cit. §. n. 3*

LXXIX. Qui tertio ? R. Nunc etiam, ſi non amplius, à Chriſtianiſſis eſſe præſtandum, quod lege Moſis præceptum eſt, pertinens ad eas virtutes, quas Chriſtus à ſuis diſcipulis exigit. *c. §. n. 4.*

LXXX. An lex de Sabbatho & lex de decimis Chriſtianiſſis obligant ? A. Cum oſtendant, ne minus ſeptima temporis parte ad cultum divinum; nec minus fructuum decima in alimenta eorum, qui in ſacris rebus occupantur, ſeponant. *§. XVII. n. 4.*

CAP. II.

An bellare unquam juſtum ſit.

I.

A *Nome bellum repugnat juri naturæ ?*
 N. Nec enim primis naturæ adverſatur, nec iis, quæ prima illa conſequeuntur. *§. I. n. 1.*

II. *Quæ sunt ea prima naturæ?* R. Instinctus illi naturales per quos animal, simulatque natum est, sibi ipsi conciliatur, & commendatur ad conservandum se ipsum; ac diligendum statum suum, omniaque hunc statum conservantia: itidemque alienatur à sui interitu, ac omnibus iis quæ interitum adferre videntur. *cit. n.*

III. *Quæ sunt ea consequentia?* R. Quæ sequuntur post hæc cognita, notio scilicet convenientiæ rerum cum ipsâ ratione: in quâ convenientiâ positum est honestum. *cit. §. n. 2.*

IV. *Sed si inter hæc duo pugna oriatur?* R. Quamvis prima naturæ commendent nos rectæ rationi, ipsa tamen recta ratio charior nobis esse debet quam illa sint à quibus ad hanc venerimus, idèdque eam convenientiam in qua honestum est propositum pluris faciendam, quam ad quæ sola primùm animi appetitio ferebatur, censemus. *cit. n.*

V. *Quomodo hoc examen instituendum?* R. Primò videndum quid illis naturæ iniitiis congruat, deinde veniendum ad illud quod dignius est, quanquam ex primis oriatur. *cit. n.*

VI. *An una eademque ratione semper sumitur honestum?* N. Sed pro materia diversitate, modo in puncto consistit, modo liberius habet spatium, ita ut æque laudabiliter fieri ac omitti possit, in quo posteriori genere maximè occupari solent leges tum divinæ tum humanæ id agendo ut quod per se laudabile tantum erat etiam deberi incipiat. *c. §. n. 3.*

VII. *An inter prima natura reperitur aliquid bello repugnans?* N. Sed omnia ei favent: convenit enim belli finis, conservatio vitæ & bonorum: retentio item & acquisitio rerum ad vitam utilem. *cit. §. n. 4.*

IIX. *An autem vi licet uti ad eum finem obtinendum?* A. Si sit necesse. *cit. n.*

IX. *An ea non est à primis natura dissentanea?* N. Nam animantibus singulis ideò vires à naturâ datæ sunt, & instrumenta, ut sibi tuendis juvandisque sufficiant: dentes, cornua, ungulæ, alæ, pedes &c. *cit. n.*

X. *An recta ratio & natura societatis humanæ vim omnem inibent?* N. Sed tantum injustam, quia societas eò tendit ut suum cuique salvum sit, ope & conspiratione communi. *cit. §. n. 5.*

XI. *An autem sibi licet prospicere & consulere?* A. Alieno jure non sublato, nec violato. *cit. §. n. 6.*

XII. *An hoc locum nunc tantum habet, postquam introducta sunt dominia?* N. Sed etiam habuisset, etiamsi hæc suam formam non accepissent. Nam vita, membra, libertas mansissent cuique propriae, quæ ab alio non fuissent impetita, sine injuriâ, occupanti quoque jus facillime in rebus in medio positis uti, eaque abstrahere; quod jus eripere volentes ei fecissent injuriam. *c. §. n. 5.*

XIII. *An ex historiâ sacrâ probari potest non omne bellum adversari juri naturæ?* A. Quia licitum fuit Abrahami bellum, pro Sodomitis gestum, sine jussu speciali Dei; adeoque solo naturæ jure dictante. *§. II. n. 1.*

XIV. *Nonne idem probant bella Israëliitarum cum septem populis damnatis?* N. Hæc enim Dei bella in sacris literis proprie nominantur, quippe Dei jussu non humano arbitrio suscepta, cum fuerit tibi mandatum speciale ad exsequendam rem à Deo judicatam in populos maximorum criminum reos. *c. n.*

XV. *Cur Deus leges de modo belli gerendi populo suo præscripsit?* R. Ut ostenderet iustum bellū etiam sine mandato speciali suo esse posse; qua etiā ratione causam septem populorum ab aliorum iustā causā distinxit prætereundo ibidem tacitè iustas causas belli suscipiendi tanquam naturaliter satis manifestas. *cit. §. n. 2.*

XVI. *An jure gentium bella damnantur?* N. Cum ab eō certa bellorum forma sit introducta; quam formam habentia bella peculiare effectus sequuntur. §. IV. *ibid. 2.*

XVII. *An jure voluntario divino?* N. Abraham enim bellavit, non ignorans jus Noë datum. Moses arma opposuit Amalecitis, sine mandato speciali. Supplicia capitalia fuerunt à piis exercita in homicidas aliosque facinorosos. §. V. n. 1. & 6. *cum seqq.*

XVIII. *An lege Evangelicā?* N. Quia I. Tim. II. docetur gratum esse Deo ut reges fiant Christiani, reges maneant, reliquisque Christianis vitam præstent tranquillam, quod sine gladio fieri nequit; quem reges non frustra gerunt, sed nostro bono; vindices ad iram quibus.

buscunque peccantibus , ad Rom. XIII. 4. Joannes item Baptista non jussit abire militiâ milites viam salutis quærentes. Paulus usus est militum præsidio adversus Judæorum insidias. Cornelius centurio mansit miles. §.VI. n. 1. 2. 5. 11. & 9.

XIX. Præcipimur tamen non resistere injurioso , percutienti maxillam præbere alteram , tunicam rapienti pallium in super dare , diligere inimicos ? R. His non tollitur vindicta publica , sed privata : sermones hi non sunt ad magistratus , sed privatos : non agitur de quacunque injuriâ gravi , sed leviori : vetatur contendi judicio propter tunicam , aliaque faciliè recuperabilia ; non verò vetantur parentes , tutores , magistratus defendere id , sine quo liberi , pupilli , subditi sustineri nequeant : nec rectores in fontes animadvertere , aut occidere ; adeoque prædationibus ac latrociniis occurrere. §. IIX. n. 3. seq. & n. 9. cum seqq.

XX. An in his præceptis Christus inter pretem tantum egit legis per Mosem data ? N. Aliud enim sonant verba toties repetita : *Audistis dictum fuisse veteribus : Ego vero dico vobis ,* quæ oppositio ostendit ,

dit, illud *veteribus* significare ad veteres, non à veteribus, qui Mosi tempore vixerunt. §. VI. n. 3.

XXI. *An bella probata sunt ab Ecclesia?*

A. Militantes enim nunquam rejecti sunt à baptismo, neque excommunicati, aut Ecclesiâ ejecti: imò multi martyribus adscripti leguntur. §. X. n. 2. seqq.

XXII. *Attamen Christiani evitarunt sæpius militiam?* R. Factum id est ob temporum circumstantias, quæ vix ferebant militiam exerceri sine actibus quibusdam cum Christiana lege pugnantibus. cit. §. n. 4. 7. & 8.

CAP. III.

Belli partitio in publicum & privatum summi imperii explicatio.

I.

Quotuplex est bellum? R. Triplex, publicum, privatum, & mixtum. §. I. num. 1.

II. *Quid est publicum?* R. Quod geritur jurisdictionem habentis auctoritate cit. n. 1.

III. *Quid privatum?* R. Quod geritur auctore jurisdictionem non habente. cit. n. 1.

IV. *Quid mixtum?* R. Ex alterâ parte publicum, ex alterâ privatum. *cit. n. 1.*

V. *An aliquod bellum privatum est licitum?* A. Quia juri & æquitati conveniens est injuriam à se arcere; etiam vi, si opusest: ut dictum. *cit. §. n. 2.*

VI. *An sese defendendi licentia sublatæ est per constitutionem judiciorum?* N. Sed tantum restricta nimia, quæ ante judicia valebat. *cit. n. 2.*

VII. *An ea judicia sunt contra naturam?* N. Ipsa enim æquitas & ratio naturalis dictant honestius esse, & humanæ naturæ convenientius, res ab iis cognosci, quorum nihil interest, quàm homines singulos id manu exsequi, quod jus putant. *cit. n. 2.*

VIII. *An ea judicia cessant aliquando?* A. Idque momentaneè, vel continuè. *§. II. n. 1.*

IX. *Quando momentaneè?* R. Cùm judex non potest expectari sine certissimo periculo, aut damno. *cit. n. 1.*

X. *Quomodo continuè?* R. Jure, vel facto. *cit. n. 1.*

XI. *Quando jure?* R. In locis non occupatis, mari, solitudine, insulis vacuis,

aliisve in quibus nulla civitas est. *cit. n. 1.*

XII. *Quando factò?* R. Cum subditi non audiunt judicem, aut cum judex aperte rejicit cognitionem. *cit. n. 1.*

XIII. *An bellum privatum licitum est judicio cessante?* A. Quia lex vetans suum sine judicio consequi, locum habet, ubi est copia judicii. *cit. §. n. 2.*

XIV. *An id probatur lege Hebræâ?* A. Quia Exod. XXII. 2. conceditur occisio furis nocturni. *cit. n. 2.*

XV. *Quid si lex tantum hoc permittat?* R. Quia lex tam accuratè distingvit, non solum impunitatem videtur inducere, sed jus etiã naturæ explicare. *§. II. num. 2.*

XVI. *An Deus eòsque patientiam à nobis exigere potest, ut privatim in periculum adducti nos potius occidi permittere debeamus, quàm aggressorem occidere?*

A. Deo enim summo & absolutissimo omnium domino plus juris est in vitam nostram, quàm nobis ipsis. *§. III. n. 1.*

XVII. *An talis patientia exigitur lege Evangelicâ?* N. Quia sciente, vidente, consentiente Christo, Apostoli armati iter fecerunt, se defendendi causâ. *cit. num. 1.*

XVIII. *Dictum tamen, diligite proximum sicut vos ipsos, ne resistite injurioso, ne rependite malum pro malo; Petroque prohibitum gladium stringere?* R. Non jubemur diligere proximum supra nos ipsos: adeoque non vetamur nobis potius quam alteri consulere, ubi par malum imminet: nec damnatur justa defensio, sed ulciscendi cupiditas; etiam in Petro, cui necesse non erat seipsum, aut socios, aut Christum defendere. *cit. n. 1.*

XIX. *Sed ut nobis potius, quam aliis consulamus, videtur tantum locum habere in bonis aequalibus?* R. In morali iudicio non æstimandum illud periculum, in quod ipsum se quis conjicit, & unde se potest eximere. §. III. n. 3.

XX. *Quotuplex est bellum publicum?* R. Duplex, solenne, & minus solenne. §. IV. n. 1.

XXI. *Quid est solenne?* R. Quod utrinque geritur auctore eo, qui in civitate summam habet potestatem, & cui ritus quidam adsunt solennes: quæ ita conjunctim requiruntur, ut alterum sine altero non sufficiat. *cit. n. 1.*

XXII. *Quid minus solenne?* R. Quod

ri-

ritibus illis carere potest, & geri in privatos, & auctorem habere quemvis magistratum. *n.2.*

XXIII. *An omnis magistratus jus habet belli gerendi?* A. Si res spectetur extra leges civiles, ut scilicet plebem sibi creditam tueatur, & exerceat jurisdictionem. *cit. n.2.*

XXIV. *Quid de eo leges civiles?* R. Omnium ferè populorum legibus cautum est, ne bellum geri possit, nisi summæ potestatis auctoritate: cum ex bello tota civitas veniat in periculum. *cit. n.2.*

XXV. *An igitur minori magistratui nunquam jus armorum est?* R. Licet ei, qui præest jurisdictioni per apparitores suos cogere paucos imparentes, quoties ad eam rem copiis majoribus opus non est. *n.3.*

XXVI. *Si ita præsens sit periculum, ut tempus non ferat eum consuli, qui supremum in civitate jus habet?* R. Tunc necessitas porriget exceptionem. *cit. n.3.*

XXVII. *Si qui tali casu se magistratui opponunt?* R. In pœnas incidunt contumaciam adversus supra se positos. §. V. *num. 1.*

An,

XXIIX. *An, ubi mandatum de bello inchoando non extat, sufficit conjectura voluntatis?* R. Ante omnia videndum, quid Princeps, ubi res moram fert, aut dubiam habet deliberationem, se inconsulto fieri cupiat: Aliàs si ejus rei judicium quisque magistratus ad se trahat, periculis occurri non posset. §. V. n. 3.

XXIX. *Quae sunt summae potestatis?* R. Concedere ac tollere leges, tam circa sacra (quatenus eorum cura civitatis est) quam profana: pacem, bellum, foedera facere: exigere vectigalia, iisque similia: dominium eminens exercere in cives & eorum res, bono publico: res inter singulos controversas dijudicare: constituere magistratus aliosque curatores. §. VI. n. 2.

XXX. *Quae est summa potestas?* R. Cujus actus non subsunt juri alterius, ita ut alterius voluntatis humanae arbitrio irriti reddi possint. §. VII. n. 1.

XXXI. *Quod est tatis potestatis subiectum?* R. Est commune, vel proprium. cit. n. 1.

XXXII. *Quid est commune?* R. Ipsa civitas. cit. n. 1.

Qui-

XXXIII. Quinam destituuntur hac potestate? R. Populi qui concesserunt in alterius populi ditionem, non enim hi sunt civitas per se, aut cœtus perfectus, sed membra tantum minus digna perfectæ civitatis: qualia membra familiæ sunt servi, tales erant provinciæ Romanorum. *n. 2.*

XXXIV. An unum potest esse caput plurimum populorum, qui tamen singuli perfectum cœtum constituunt? A. Quia extinctâ domo regnatrice, imperium revertetur ad singulos seorsim, sic idem Rex esse potest Romanorum, Germanorum, Hungarorum, Bohæmorum, &c. *cit. n. 2.*

XXXV. Quomodo verò unum idemque caput esse potest diversorum corporum? R. Alia est moralium, quàm physicorum ratio; eadem enim persona, diverso modo considerata, caput esse potest plurimum corporum moralium. *cit. n. 2.*

XXXVI. Si plures civitates archissimo fœdere colligantur inter se, an singula desinunt retinere statum perfectum civitatis? N. Si singulæ sibi reservent summum in sua dominium, suas leges & jura, libertatem, ac majestatem: quod in se-

septem fœderatis Belgico Germaniæ populis videre est. *cit. n. 2.*

XXXVII. Quod est subjectum proprium summa potestatis ? R. Persona una, vel plures, cœtum aliquem constituentes ; in monarchiâ rex, in aristocratiâ senatus, in democratiâ conventus majoris partis populi. n. 3.

XXXVIII. An ubique, & semper summa potestas est penes populum, ita ut reges ei coercere liceat ac punire, quoties imperio suo malè utuntur ? N. Quia bello acquiri potest jus aliunde non pendens : & populo sui juris licet se uni aut pluribus ita addicere, ut regendi sui jus in eum aut eos planè transcribat, nullâ ejus juris parte retentâ. §. VIII. n. 1.

*XXXIX. At vix tale quid præsumitur, cum ex eo sequi possint multa incommoda ? R. Non quæritur, quid præsumendum, sed quid fieri possit, neque ulla unquam gubernandi forma sine incommodo est, populusq; eligere potest eam, quâ vult. *cit. n. 1. & 2.**

XL. Cur verò populus tale jus à se abdicaret ac aliî traderet ? R. Si adductus invitæ periculum aliâ lege qui se defendat

reperire non potest: aut inopiâ pressus aliter copiam habere nequeat, unde se sustentet: si sit eo ingenio, ut regi, quam regere rectius norit: aut si is sit civitatis status, ut sine unius imperio salvus esse non posse videatur. Quibus casibus Campani & Cappadoces Romanis, Ægyptii suis regibus, Romani suo principi Augusto sese subjecerunt. n. 3. 4. 5.

XLi. An unius tantum imperio convenit jus non aliunde pendens? N. Idem enim jus est procerum, qui exclusâ plebe civitatem regunt: & in omni democratiâ semper aliqui à publicis deliberationibus arcentur. Quidam etiam populi populos alios sub se habent, non minus addictos sibi, quam si regibus parerent. n. 6. 7.

XLii. An populus regem constituens non est constituto superior? N. Ut enim talis constitutio ab initio est liberæ voluntatis, ita postea necessitatis effectum habet. n. 13.

LXiii. An non omne regimen comparatum est eorum causâ, qui reguntur? N. Regimen enim domini in servos est per se regentis causâ, ut & regis in devictos

ctos bello : regimen maritale mutuae societatis. n. 14.

XLIV. Quomodo se res habet in imperiis plerisque ? R. Respicitur per se utilitas eorum, qui reguntur : cum fruendae justitiae causâ reges constituti dicantur. *cit. n. 14.*

XLV. An in illis populus non est rege superior, cum tantum subsit ei tanquam tutori ? N. Quamvis enim tutela & imperium pupilli ac civium causâ reperta sint, ea tamen sunt jura ac potestates in pupillos ac cives ipsos. *cit. n. 14.*

XLVI. Amoveri tamen potest tutor rem pupillarem male administrans. R. Sed à judice superiore, qualem rex non habet. *cit. n. 14.*

XLVII. An igitur imperantibus impune licet, quod libet ? R. In imperiis non datur progressus in infinitum ; adeoque omninò sistendum est in aliquâ personâ, aut cœtu, non habente judicem superiorem : cujus itaque peccata Deus sibi curæ esse testatur ; ea aut vindicans, aut tolerans in pœnam & explorationem populi. *cit. n. 14. in fin.*

XLVIII. Populi tamen puniti leguntur

ob

ob regum peccata? R. Non ideo, quod regem suum non reprimerent, aut punirent; sed quod vitiis ejus tacite consentirent. Imò & Deus summo suo dominio potuit uti, tollendo eos in poenam regis, cujus supplicium est orbari subditis. n. 16.

XLIX. Quid sentiendum de mutuâ subjectione, ut sc. Populus bene imperanti Regi subjiciatur, male autem imperans Rex populo? R. Hæc rejicienda: Cum bonitas aut malitia actûs, præsertim in civilibus, quæ sæpè obscuram habent disceptationem, apta non sint ad partes distingvendas, utpote quarum obtentu, (hinc Rege, inde populo cognitionem ad se trahente) summa confusio & perturbatio introduceretur. §. IX. n. 1. & 2.

L. An ex nomine & externâ specie potest judicari de summâ potestate? N. Quia sæpè confunduntur nomina principatus, regni, alteriusve regiminis; sæpè diversa superiorum nomina significant: in civitatibus quoque liberis insignia regis majestatis tribui solent principibus. §. X. n. 1. & 3.

Li. An

LI. *An discrimen summi imperii, & summo minoris petendum est ex imperii delatione per electionem, aut successionem?* N. Successio enim non est imperii titulus qui formam ei assignet, sed tantum veteris continuatio; quâ idem jus ab electione alicujus familiae coeptum, in eadem continuatur succedendo: adeoque tantum defert successio, quantum electio prima tribuebat. n. 5.

LII. *An summum imperium haberi potest jure temporario?* A. Nam tali habuerunt Romani dictatores, qui intra suum tempus omnes actus exercebant, eodem jure quo ii qui optimo jure reges essent. §. XI. n. 1.

LIII. *An jure usufructuario?* A. Tam jure habetur à Regibus plerisque, tam primo electis, quam qui electis ordine legitimo succedunt. cit. n.

LIV. *An etiam pleno jure proprietatis?* A. Ut qui justò bellò id sibi acquisiverunt; aut in quorum ditionem populus aliquis, majoris mali vitandi causa, ita se dedit ut nihil exciperetur. cit. n. 1.

LV. *An & illi summum habent Imperium, qui jus acceperunt, quòvis tempore*

C

revo-

revocabile? N. Horum enim singuli actus irriti possunt reddi ab his, qui potestatem revocabiliter dederunt. §. XI. num. 3.

LVI. *Qui fieri id potest ut imperia sint in imperantis patrimonio, cum liberi homines in commercio non sint?* R. Sicut libertas personalis excludit dominium; ita libertas civilis regnum, aliamve ditionem propriè dictam: & sicut aliqui dicuntur non esse sui juris, ob subjectionem privatam; ita & aliqui populi non sunt suæ potestatis, ob subjectionem publicam. §. XII. n. 1.

LVII. *An populi bello quesiti aliquando regi quesiti dici possunt?* A. Rex enim exercitum aluisse potuit ex privatâ substantiâ, aut ex fructibus patrimonii principatum sequentis: nam & fructus ii sunt ipsius proprii, quamvis in ipsum patrimonium non nisi usumfructum habeat. n. 3.

LIIX. *An rex potest populum alienare?* R. Non propriè alienantur homines, sed jus perpetuum eos regendi: quod alienari potest ab eo qui jure proprietario habet imperium, sic Salomo Phœnicum regi dedit urbes viginti. n. 2. & 3.

LIX. *Si regnum sit voluntate populi de-
latum?* R. Non est præsumendum eam
fuisse ejus voluntatem ut regi permitte-
retur imperii alienatio: §. XIII. n. 1.

LX. *Quænam imperia habentur plene,
quæ non plene?* R. Hoc modo pleraque
summa, illo multa non summa; adeoque
marchionatus & comitatus facilius
quam regna vendi ac testamento relin-
qui videmus. §. XIV.

LXI. *Quorum est tutela, cum rex et a-
te, aut morbo impeditur suâ fungi potesta-
te?* R. In regnis patrimonialibus, eorum
quos pater aut propinqui elegerint; in
aliis, quibus lex publica eam mandat;
aut eâ deficiente, consensus populi. §. XV.
num. 1.

LXII. *Quid si Rex pariter privato jure
fundorum sit dominus?* R. Hoc imperio
extrinsecum est, nec ad ejus naturam
pertinet. cit. §. n. 2.

LXIII. *An imperium desinit esse sum-
mum, si imperaturus aliqua promittat
Deo, aut subditis?* N. Quamvis etiam ad
imperii rationem pertineant; quia nec
paterfamilias, aut maritus, familiæ aut
uxori aliquid promittentes imperio

privantur; sic Persarum Reges summè imperantes jurare solebant. §. XVI. n. 1. & 3.

LXIV. *Quid tunc de plenitudine habendi dicendum?* R. Illa coarctatur, sive obligatio duntaxat cadat in exercitium actus, sive etiâ directò in ipsam facultatem. cit. §. n. 2.

LXV. *An, cum additur, ut regno cadat, si fidem fallat?* N. Sed erit habendi modus imminutus per conditionem, & imperium simile temporario. Sic Sabæorum rex regiâ exiens lapidari poterat, & tamen liberrimâ potestate imperabat. n. 4.

LXVI. *An summum imperium est divisibile?* R. Est unum quid ac per se indivisum, constans ex partibus suprâ memoratis, additâ summitate indivisibili. Fieri tamen potest ut populus actus quosdam sibi reservet, in regis electione; aliosque regi deferat pleno jure. §. XVII. n. 1.

LXVII. *Quando id fit?* R. Si expressè instituatür partitio: si populus liber futuro regi quid imperet per modum præcepti manentis: si addatur aliquid quo

quò intelligatur regem cogi posse, aut puniri. *cit. n. 1.*

LXIX. *An fit potestatis partitio, cum reges acta quedam sua nolunt esse rata, nisi probentur à Senatu, aliòve cœtu? N.* Hæc enim ipsorum imperiò rescindi intelliguntur, qui ipsi sibi hoc pactò cavent, ne quid pro verà voluntate habeatur, quod fallaciter est impetratum. Sic Antiochus volebat ne sibi parerent, si quid legibus adversum jussisset. §. XLIX. *num. 1.*

LXIX. *An summè imperantes possunt esse plures, ut plures? N.* Tunc enim possent plurium istorum imperata esse contraria. Cum tamen naturæ repugnet obligatio aut coactio contraria circa idem. *cit. n. 1.*

LXX. *Diversa tamen sunt actiones, judiciales, militares, ecclesiastica. R.* Non tamen hujus diversitatis respectu summum imperium dividitur. Aliàs enim idem homo, à diversis diversum jussus, parere teneretur omnibus: aut ordo erit inter imperantes, & alter alterò superior, cui cedere tenetur inferior. *cit. n. 1.*

LXXI. *An non summum imperium esse potest penes regem & ordines divisim?*
 N. Sed tantum penes solos ordines, aut penes id corpus quod constituitur ex rege & ordinibus simul sumptis, *cit. n. 1.*

LXXII. *An regnum immediate dividitur in plenum, & merum principatum?*
 N. Variæ enim sunt regnorum species interjectæ, cum regum potestates variè limitentur. §. XX. n. 1.

LXXIII. *An summum imperium habere potest inæqualiter fœderatus, qui majestatem alterius revereri tenetur?* A Si liber maneat, nec alterius potestati subjiciatur, ut in fœdere Ætolorum cum Romanis erat. §. XXI. n. 1.

LXXIV. *An verò alter non est alterò superior, ac alter sub imperiò ac ditione alterius?* R. Est superior auctoritate ac dignitate, non potestate; alterque tantum est in parte, ac fide, ac sub patrocinio: quod non tollit libertatem ac summum imperium. Sic Lacedæmonii manebant liberi, Romanis conferentes operas sociales. n. 2.

LXXV. *Ast in historicis Superiori in fœdere vox imperandi, Inferiori verò parendi*

rendi tribuitur? R. Extra tempus conventus in rebus *communibus*, etiam ubi foedus est æquale, princeps foederis sociis imperat; In rebus verò *propriis* Superioris postulata imperia dicuntur, non ex jure, sed effectus similitudine.
§. XXI. n. 8.

LXXVI. *Quid præstandum à fœderatò, si contra fœdus fecisse dicantur subditi alicujus, qui est in fide alterius?* R. Tenetur punire eum qui nocuit: aut dedere ei cui est nocitum: ac operam dare ut illata damna rescarciantur. n. 4.

LXXVII. *An hoc tantum locum habet inter fœderatos inaequaliter?* N. Sed & inter æquales, eosque qui nullo fœdere tenentur. cit. n. 4.

LXXVIII. *An socio jus est in socii subditum?* R. nullum jus prehensionis, aut punitionis. Itaque à vinculis liberatus legitur Decius Magius Campanus, ab Annibale vinctus contra jus foederis. cit. n. 4.

LXXIX. *Si accusentur ipsi populi, aut reges?* R. Socio jus est cogendi socium ut stet foederis legibus: ac eum puniendi, si steterit. n. 5.

LXXX. *An hoc proprium est inæquali fœderi?* N. Sed & locum habet in æquali. *cit. n. 5.*

LXXXI. *Si litigent inter se socii qui in fide sunt ejusdem populi aut regis?* R. Plerumque convenitur, ut controversiæ tales disceptentur apud fœdere superiorem. *n. 6.*

LXXXII. *Quid fit inæquali fœdere?* R. Controversiæ deferri solent ad conventum sociorum, quos res non tangit, aut ad arbitros, aut fœderis principem, tanquam arbitrum communem. *cit. n. 6.*

LXXXIII. *Si subditi conquerantur de injuriis eorum, in quorum potestate sunt?* R. Sociis nullum est jus cognoscendi. In eo enim societas à civitate differt, quod fociis curæ sit, ne in illos injuria committatur; non verò ne sociæ civitatis cives inter se committant injurias. Sic justè conqueruntur Herodis filii, quod pater eos accusaret apud Augustum, cum ipsi competeret jus puniendi, ut regi & patri. *n. 7.*

LXXXV. *An extra casum necessitatis hoc inæquale fœdus. suadendum?* N. Quia accidere plerumque solet, ut qui superior

rior

rior est in fœdere, si is potentiâ multum antecellat, paulatim Imperium, propriè dictum usurpet, præsertim si fœdus sit perpetuum, & cum jure præsidia inducendi in oppida. §. XXI. n. 10.

LXXXV. *An summum habere possunt imperium, qui certum quod pensitant?*

A. Sive id faciant ad injurias redimendas, sive ad comparandam tutelam: quanquam infirmitatis confessio delibet aliquid de dignitate, ut factum à regibus Hebræorum ac vicinarum gentium, post Antonii tempora. §. XXII.

LXXXVI. *An qui nexu feudali vincuntur?* A. Nec enim personalis obligatio imperii summi jus adimit regi, aut populo: nec jus in rem desinit esse summum. §. XXIII. n. 1. 2. 3.

CAP. IV.

De bello subditorum in superiores.

I.

Q*uamvis possunt bellum gerere?* R. Privati in privatos; ut viator in latronem: summum imperium habentes, in eos, qui itidem id habent; ut David in regem

regem Ammonitarum : privati, in eos, qui imperiò summò utuntur, at non in se; ut Abraham in regem Babylonæ & vicinos : qui summum habent imperium, in privatos sibi subditos; ut David in partem Isbosethi; aut non subditos, ut Romani in piratas. §. I. n. 1.

II. *An ab iis, qui summa potestatis auctoritate agunt, arma in inferiores sumi possunt?* A. Nam nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimur; Et sic non illi, sed Principes, quorum jussu agunt, arma gerunt. *cit. n. 2.*

III. *An ab inferiori arma licitè sumuntur adversus summam potestatem, aut agentes ejus auctoritate?* N. Civili enim societate constitutâ prohibitum est jus illud resistendi promiscuum, naturâ licitum : cum illa societas finem suum aliter consequi non posset: ideoque tam variis legibus ac pœnis prospectum est majestati. §. II. n. 1.

IV. *Si quid imperatur juri naturali præceptisq; divinis adversum?* R. Non est faciendum quod jubent; Deo enim, quàm homini magis obediendum, ut Apostoli dixerunt. §. I. n. 3.

V. *Si nobis eam ob causam inferatur injuria?* R. Ea toleranda est potius, quàm vi resistendum. *cit. n. 3.*

VI. *Quid de eò lex Hebræa?* Talis inobediens mortis damnatur supplicio, §. III.

VII. *Quid Christus?* R. Hic voluit à suis non minorem obedientiam summis potestatibus deberi, quàm ab Hebræis debebatur Hebræis regibus, præceptò de dandò Cæsari, quæ essent Cæsaris, §. IV. n. 1.

VIII. *Quid Paulus?* R. Hic ad Rom. XIII. vult subjectionem cum non resistentiâ: quia Deus ordinem illum imperandi approbat ut à se institutum: & quia id inservit nostro bono, publicæ scilicet tranquillitati, in quâ singulorum quoque comprehenditur. *cit. n. 1.*

IX. *Si verè nimiâ formidine, iracundiâ, aliisve affectibus aliquando transversim agantur rectores, quò minus rectam ineant viam, quæ ducit ad tranquillitatem?* R. Id habendum inter minùs frequentia, quæ interventu meliorum pensantur. n. 3.

X. *An idem docet consuetudo veterum Christi*

Christianorum? A. quanquam enim pessimi sæpè homines imperium Romanum tenuerunt, nec defuerunt, qui iuvandæ reipubl. obtentu sese iis opponerent, nunquam tamen Christiani conatibus eorum sese adjunxerunt. §. V. n. 1.

XI. *An magistratibus minoribus jus est resistendi summarum potestatum injuriis?*

N. Ipsi enim privati sunt respectu superiorum: eorumque gubernandi facultas ita subjicitur summæ potestati, ut quidquid faciant contra hujus voluntatem, id eâ facultate defectum sit, adeoque habendum pro actu privato. §. VI. num. 1.

XII. *Quid de eo Paulus?* R. Summis potestatibus subjectam vult omnem animam, adeoque & inferiores magistratus. n. 3.

XIII. *An subditi mori præoptent, quàm ullò casu vim superiorum armis arceere?*

R. Si resisti nequeat, nisi cum maximâ Reipublicæ perturbatione, aut exitiò plurimorum innocentium, tunc charitas hoc commendat. cit. n. 2.

XIV. *An obligatio nullam Superiorum injuriam repellendi, ex lege humanâ est,*

AN

an verò ex divinâ? R. Quoniam homines non ex præcepto Dei, sed spontè adducti experimento infirmitatis familiarum segregum adversus violentiam in societatem civilem coierunt, unde orta potestas civilis; utique ex lege humana proficiscitur, quàm tamen Deus, ut salubre hominum institutum approbavit. *cit. n. 3.*

XV. *Si grave sit ac certum periculum?*

R. Indiscriminatim damnandi non sunt singuli, aut pars populi minor, ultimò necessitatis præsidio ita utens, ut interim non deserat communis boni respectum. §. VII. n. 1. & 4.

XVI. *An David peccavit circum se*

armatos habens ad vim arcendam? N. Eos enim non adhibuit, nisi, postquam certò compererat, Saullem vitæ suæ imminere, neque verò urbes invadit, nec pugnandi captavit occasiones, sed varias quærens latebras, & regis personæ pepercit, & popularibus suis noluit nocere. *cit. n. 4.*

XVII. *An Maccabæi peccârunt opponendo sese Regi suo Antiocho?* N. In summo enim certissimoque periculo intra
sui

sui defendendi terminos ita se continuerunt, ut in loca devia quærendæ securitatis ergò secedentes arma non nisi oppugnati expedirent. *cit. n. 5.*

XIIX. *An in bello subditorum adversus Superiores Regis persona est parcendum?*
 A. cum, dicente Davide, nemo insons esse possit, qui manus Regi suo inferret. *cit. n. 6.*

XIX. *An Regi licet maledicere?* N. Falsa enim maledicta ne in privatum quidem licet jacere, in Regem ergò veris quoque abstinendum: Nam Diis non maledices, & Principi in populò tuò non maledices. *cit. n. 7.*

XX. *An tale quid licitum Christianis?*
 R. Ubi superiores Christianis mortem intentant ob religionem, Christus fugam concedit iis, quos officii necessitudo nulli alligat loco; ultra fugam nihil. *n. 8.*

XXI. *An igitur nullo casu datur jus belli adversus regem aut principem?* R. Principes sub populo non tantum vi repelli possunt, sed & puniri morte, si peccent in rem publicam; quod contigit Pausania Lacedæmoniorum regi. §. VIII.

XXII.

XXII. *An datur in regem, qui abdicavit imperium, aut habet pro derelictò?*

A. Nam post id tempus omnia licent in eum, quæ in privatum. §. IX.

XXIII. *An in eum, qui agit negligentius?* N. Quia hic non statim censendus est imperium habere pro derelictò. *cit. §. in fin.*

XXIV. *An regnum amittit, qui id alienat, aut alteri subicit?* R. Si regnum deferatur electione, aut lege successorîâ, talis actus nullus est, nullumque habet juris effectum. §. X.

XXV. *Si tamen id etiam tradere aut subicere moliatur?* Ei resisti potest: populus enim potest obstare, ne mutetur imperium habendi modus. *cit. §. in fin.*

XXVI. *An qui verè hostili animò feratur in exitium totius populi?* A. Quia is eò ipsò regnum abdicat: imperandi enim voluntas cum voluntate perdendi non consistit, ut si in unius populi gratiam alterum velit perditum. §. XI.

XXVII. *An qui regnum committit ex felonîâ; aut ex clausulâ in imperii delatione appositâ, quâ subditi obedientie vinculo solvuntur, si rex hoc aut illud fecerit?*

rit? A. Quia tunc recidit in privatam personam. §. XII.

XXIIX. *An regi partem tantum imperii habenti potest resisti, pro eâ parte quæ ipsius non sit?* A. Quia eatenus imperium non habet. §. XIII.

XXIX. *An item se in delatione imperii, libertas resistendi reservata sit certis tantum casibus?* A. Semper enim retenta intelligitur aliqua libertas naturalis, & imperiò regiò exempta: etiam si eò pacto pars imperii non possit retenta censeferi. §. XIV.

XXX. *An parendum invasori alieni imperii, quamdiu durat injustè possidendi causa?* A. Aliquando: cum omninò probabile sit regem, senatum, vel populum, imperandi jus habentem, malle rata esse quæ imperat, quàm legibus iudiciisque sublati summam induci confusionem: sic Cicero Syllanas leges improbens, eas servandas censet, ne civitas legibus soluta dissolvatur. §. XV. n. 1.

XXXI. *Si non sint adeò necessaria, ac pertineant ad raptorem in iniquâ possessione confirmandum?* N. Si absque gravi periculo possit non pareri. n. 2.

XXXII. *Si*

XXXII. *Si imperium arripuerit in justo bello, cuique juris gentium requisita non adsint, solâque vi retineat possessionem?*
R. Manet belli jus, si nulla pactio sit secuta, aut fides data: ac proinde licet in eum, quod in hostem, qui à quolibet etiam privato potest occidi. §. XVI.

XXXIII. *An id licet ex lege antecedente?*
A. Si eâ cuique conceditur potestas occidendi eum, qui certum aliquod sub aspectum cadens ausus fuerit: puta qui privatim utatur satellitio, arcemve invadat, indemnatum civem necet, magistratum sine justis suffragiis creet, injussu populi magistratum getat, statum popularem tollat, quales apud Græcos & Romanos fuere libertati consulentes. §. XVII.

XXXIV. *An ex mandato ejus, qui jus habet imperandi?* **A.** Sive is rex sit, sive populus, sive senatus, sive tutor; sic Jojada, tutor Joasi, regno depulit Athaliam. §. XVIII.

XXXV. *An extra hac id licitum privato?* **N.** Fieri enim potest, ut jus habens, malit invasorem in possessione relin-

D

qui,

qui, quàm periculosis & cruentis motibus occasionem dari. §. XIX. n. 1.

XXXVI. *Quid ei faciendum in jure controverso?* Judicium sibi sumere non debet, sed sequi possessionem: sic Christus jubet Cæsari tributum solvi, quia ejus referebat imaginem, adeoque in possessione erat. §. XX.

CAP. V.

Qui bellum licite gerant.

I.

Q*uot in voluntatis actionibus esse solent efficientium genera?* R. Tria, ut in aliis rebus, principales, adjuvantes, & instrumenta. §. I.

II. *Qua est causa principalis effectrix in bello?* R. Plerumque is cujus res agitur: in privato privatus; in publico potestas publica, maximè summa. cit. §.

III. *An & pro aliis nihil morventibus bellum moveri ab alio potest?* A. cit. §. vid. Lib. II. c. XXV.

IV. *An quisque sui juris est vindex?* A. Naturaliter; ideoque manus nobis data. cit. §.

V. *An*

V. *An aliquis igitur alieni juris vindex esse potest?* A. Alteri enim prodesse non modo licitum est, sed & honestum. §. II. n. 1.

VI. *Quæ sunt hominum inter se vincula quæ ad mutuam opem invitant?* R. Diverfa: nam & cognati ad opem ferendam coeunt, & vicini inelamantur, & qui civitatis ejusdem sunt participes. *cit. loc.*

VII. *Hiscæ verò vinculis deficientibus?* R. Sufficit humanæ naturæ communio: cum ab homine nihil humani sit alienum; justumque bonumque sit injuriâ oppressos pro viribus defendere. *num. 2.*

VIII. *Quæ Respublicæ dicuntur beatæ?* R. in quibus alienas injurias quisque ex fundamento & jure socii suas existimat. *cit. n. 2.*

IX. *Quæ sunt instrumenta?* R. Quæ ita suâ voluntate agunt, ut ea pendeat ab alterâ. Quale instrumentum filius est patri, servus domino, subditus imperanti: sunt enim eorum partes, hi ex lege, ille naturaliter. §. III.

X. *An naturaliter omnes subditi bello possunt adhiberi?* A. Sed quosdam lex arcet specialis: quæ tamen intelligenda est cum summæ necessitatis exceptione; sic servi olim Romæ excipiebantur, nunc passim Clerici. §. IV.

XI. *An Clerici bello interesse teneantur?* R. Neg. idque hodiè eò magis ex concessione privilegii.

• cit. §.



HUGO-



HUGONIS GROTII
 IN QUESTIONES REDACTI
 De
JURE BELLI ac PACIS
 LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

*De belli causis, ac primum de defen-
 sione sui & rerum.*

I.

Quot sunt bellorum causa? R. Du-
 plices, utiles, & justæ; illæ sub
 ratione utilis movent, hæ sub ra-
 tione justæ. §. 1. n. 1.

II. Estne discrimen inter has & belli
 principia? A. Voces enim confundi, sæ-
 pè & belli occasio nomine causæ venire
 solet. cit. n.

III. Qualia sunt bella sine justâ causâ
 suscepta? R. Injusta, sive privata fuerint
 sive publica. n. 3.

IV. Quæ est justa causa? R. Injuria,
 nulla alia. n. 4.

V. Quot sunt belli fontes? R. Quot
 actio-

actionum forensium. Nam bellum incipit ubi deficiunt judicia. §. II. n. 1.

VI. *Quotuplices dantur actiones?* R. Ob injuriam non factam, aut factam. *cit. n.*

VII. *Quomodo ob non factam?* R. Cum petitur cautio de non offendendo, item damni infecti, & alia interdicta ne vis fiat. *cit. n.*

VIII. *Quomodo ob factam?* R. Ut ea reparetur, aut puniatur. *cit. n.*

IX. *Quomodo ut reparetur?* R. Reparandum spectat id quod nostrum est vel fuit, aut quod nobis debetur. *cit. n.*

X. *Quomodo nobis debetur?* R. Ex pactione, maleficio aut lege; quò referenda quæ ex quasi contractu & quasi maleficio dicuntur. *cit. n.*

XI. *Quomodo datur actio ob injuriam factam, ut puniatur?* R. Factum ut puniendum parit accusationem & judicia publica. *cit. n.*

XII. *Quæ igitur est prima, justi belli causa?* R. Injuria nondum facta quæ petit corpus, aut rem. §. II. n. 3.

XIII. *Quomodo justa belli causa est corporis defensio?* R. Si impetatur vi præ-

præsente, cum periculò vitæ non aliter vitabili, etiam cum interfectione periculum inferentis. §. III.

XIV. *An hoc jus defensionis oritur ex injustitiâ, aut peccatò ejus unde periculum est?* N. Sed per se, ac primariò nascitur ex eò quod natura quemque sibi commendat. c. §.

XV. *An jus resistendi tollitur, si quis bonâ fide militet, sive me putet alium, quàm sim, sive agitetur insaniâ aut infamniis?* N. Etiam si periculum inferens peccatò careat: sufficit enim quod ego non tenear id pati quod ille intentat, non magis quàm si aliena bestia periculum intentaret. c. §.

XVI. *An transfodi aut obteri possunt innocentes qui interpositi defensionem, impediunt aut fugam, sine quâ mors evadi non potest?* A. Si solam naturam spectemus: cum apud hanc minor sit respectus societatis, quàm cura propriæ salutis. §. IV. n. 1.

XVII. *An & lege Evangelicâ?* N. Quia hæc alterum nobis æquat. cit. loc.

XVIII. *An in verâ defensione homo occiditur ex intentione?* N. Quia mors illa

hic non eligitur, ut aliquid intentum, primario sicut in punitione judiciali, sed ut unicum quod eò tempore suppetit. n. 2.

XIX. *Impetitus verò hoc facit volens.*

R. Sed tamen, etiam illò tempore quò hoc facit, debet malle tale quid facere quò alter absterreatur, aut debilitetur, quàm quo intereat. cit. n.

XX. *Quid igitur destinato facere licet?* R. Id unde mors aggressoris sit secutura, si alia salutis ratio non suppetat. cit. n.

XXI. *Quale periculum hic requiritur?*

R. Præfens & quasi in puncto. §. V. n. 1.

XXII. *An facinus occupari potest, si insidiator arma arripiat?* A. Si appareat eum id facere occidendi animo: nam in moralibus punctum non invenitur sine aliquâ latitudine; metus verò qualiscunque non sufficit ad jus occupandæ interfectionis. cit. n.

XXIII. *Quod si quis vim quidem præsentem non intentet: sed compertus sit conjurâsse, aut insidiari, venenum struere, moliri falsam accusationem, falsum testimonium, judicium iniquum?* R. Hic non

non potest interfici, si aliter evadi periculum potest; aut non satis certum est aliter evadi non posse; plerumque enim interposita temporis mora ad multa remedia & multos casus patet.

NUM. 2.

XXIV. *Quid dicendum de periculo mutilationis membri?* R. Illud intentans occidi potest, si aliter vitari nequeat; quia damnum membri, præsertim è præcipuis grave est, & vitæ quasi æquiparabile: adde quod vix sciri queat an non post se trahat mortis periculum. §. VI.

XXV. *An idem licet pro pudicitia?* A. Quia communis æstimatio, & lex divina pudicitiam vitæ adæquant. §. VII.

XXVI. *An laudabilius est occidi quàm occidere, etiam respectu persone multis utilis?* A. Nisi officium ejus sit vim ab aliis arcere; quales sunt focii itineris, eâ lege contracti, & rectores publici. §. VIII.

XXVII. *An evenire potest ut invasor occidi nequeat sine peccato?* A. Lege divinâ, si nimirum vita ejus sit multis utilis; ut rex, cujus persona sancta dicitur. §. IX. n. 1.

XXVIII.

XXHX. *An & lege natura?* A. Ex præcepto charitatis. Lex enim hæc non ea tantum spectat, quæ dicitur expletrix justitiæ; sed in se etiam continet actus prudentiæ, fortitudinis, aliarumque virtutum, in certis circumstantiis etiam debitos. *cit. n.*

XXIX. *An non vero rex innocentem, insultans ipsò factò rex esse desinit?* N. Nam imperia non amittuntur delinquendo, nisi lex id statuatur: at talis nullibi reperitur, summam enim confusione[m] induceret. *n. 2.*

XXX. *Nonne eum Regem, quo in presenti tempore privatus ego amplius non indigeo, si mihi innocenti injustè vitam crepturus est, nec alia defensionis copia suppetit, possum occidere?* N. Nam falsum est, amicitiam ex solâ indigentia ortam esse, cum spontè & naturâ nostrâ ad eam feramur. *n. 3. add. Proleg. §. VI.*

XXXI. *Nonne autem omnia imperia spectare debent parentium utilitatem?* N. quod ex antedictis patet; imò hoc concessò universim, potest tamen utilitas in parte deficere, non deficiente toto. *cit. n.*

XXXII.

XXXII. *Tamen singuli salvam volunt rempublicam propter se ipsos?* R. Sed salvam eam velle debemus nostri & aliorum causâ. Charitas autem sæpè monet, ac interdum imperat, ut meo unius bono multorum bonum præferam. n. 2. 3.

XXXIII. *Si mihi periculum immineat accipiendæ alapæ, aut mali similis, an mihi jus est id arcendi cum eade inimici?* A. Si mera justitia expletrix respiciatur, nec etiam charitas obstat per se. §. X. num. 1.

XXXIV. *Mors verò & alapæ sunt inæqualia?* R. Sed quia ille parat me afficere injuriâ, is mihi eò ipsò jus dat adversus se in infinitum, quatenus malum illud aliter à me arcere nequeo. cit. n.

XXXV. *An idem licet; lege Evangelicâ?* N. Christus enim jubet alteram alapam accipere potius quàm adversario nocere. cit. n.

XXXVI. *Quomodo igitur naturâ est permissum, cum Deus, qui ipsamet natura est, non permittat?* R. Si Deus, qui supra naturam liberè agit, jus habet leges præscribendi, de iis, quæ naturâ suâ indefinitæ sunt, multò magis præcipere potest

potest id, quo naturâ honestum est, quamvis non debitum. §. X. n. 1.

XXXVII. *An ad honorem recuperandum licet accidere fugientem, qui alapam iniegit?* N. Honor est opinio de excellentiâ; at talem ferens injuriam ostendit se excellenter patientem; eoque honorem auget magis quàm minuit pusilli autem est animi ferre non posse contumeliam. n. 2.

XXXIIX. *An licita est defensio cum interfectione, etiamsi quis fugere possit sine periculo?* R. Non saltem jure divinô; nec fuga est verè ignominiosa sapienti, sed stultè id opinantibus. n. 3.

XXXIX. *Quid dicendum de rebus aliis per quas vera aestimatio non leditur?* R. Idem quod de alapâ dictum. cit. n.

XL. *An occidi potest is, qui talia de nobis dixit, quæ credita nostram existimationem apud bonos delibarent?* N. Imò ne quidem lege naturæ; quia interfectio ista non est modus aptus ad tuendam existimationem. cit. n.

XLI. *An ad res nostras conservandas raptor potest interfici, jure natura?* A. Si ita opus sit: nam quæ inter rem & vitam

vitam est inæqualitas, ea compensatur innocentis favore, ac odiò raptoris; sic telò prosterni potest fur cum re mea fugiens. §. XI.

XLII. *An huic non obstat charitas?* R. Non obstat per modum præcepti; nisi res sit quæ minimum valeat, ac propterea contemni mereatur. *cit. §.*

XLIII. *Quid de eo lex Hebræa?* R. Hæc prohibet aliquem directè rerum causâ interficere. §. XII. n. 1.

XLIV. *Quid igitur licet?* R. Si in periculum vitæ adducar, licet mihi id avertere, cum periculò vitæ alienæ. *cit. n.*

XLV. *Sed si me ipsum in vita discrimen adduxerim, dum rem meam cupio retinere, aut occupatam extorquere, aut furem capere?* R. Nihil obstat. In his enim nihil potest mihi imputari, qui verfer in actu licito: nec cuiquam faciam injuriam; cum utar meo jure. *cit. n.*

LXVI. *Quando fur nocturnus occidi potest?* R. Si repertus fuerit cum aliquò instrumentò, quò nocere possit. n. 2.

XLVII. *An quia noctu discerni nequeat fur ne sit, an sicarius? aut quod noctu res minus videatur posse recuperari, quia fur*

fur ignotus sit? N. Sed quia noctu vix est copia testium adhibendorum: atque ideò si fur occisus reperiatur faciliùs creditur dicenti furem à se interemptù vitæ tuendæ causâ. n. 1. 2.

XLIX. *Quid si testes adfuerint, ex quibus constet, interfectorem non fuisse adductum in vitæ periculum?* R. Cessabit ista præsumptio defensionis necessariæ; ac proinde homicidii tenebitur is, qui occidit. n. 3.

XLIX. *Quid de his lex Evāgelica?* R. Vult rem esse omittendam, si servari nequeat sine periculo cædis faciendæ: nisi fortè talis aliqua res sit, ex quâ vitâ nostrâ & familiæ nostræ dependeant, quæ non possit judiciò recuperari. §. XIII. n. 1.

L. *Quare?* R. Cum coram Deo à peccatò liberi esse nequeamus, si pro rebus, quas contemni oportet, humano polluti sumus sanguine. cit. n.

LI. *An lex civilis, permittens furem interfici à privatò, id ab omni culpâ liberum præstat?* R. Tollit pœnam; sed non dat jus: quia lex non habet jus necis in omnes cives ex quòvis delictò; sed de-
mum

mum ex delictò tam gravi, ut mortem mereatur. §. XIV.

LII. *Quomodo singularis dimicatio licite suscipi potest à privatis?* R. Si invalor alteri concedat licentiam dimicandi, alioquin eum occisurus sine dimicatione. §. XV.

LIII. *An item, si magistratus duos mortem meritos inter se committat?* A. Quia licet illis spem salutis arripere. cit. §.

LIV. *An verò hoc factò magistratus peccat?* A. Satius enim est forte moriturum eligi, si supplicium unius sufficiat. cit. §.

LV. *Quomodo hæc ad bellum publicum aptanda?* R. Habitâ aliquâ ratione diversitatis: cum enim in privatò jus sit momentaneum, cessans, ubi est judicii copia; publicum tractum habet, & perpetuo fovetur novis injuriis accedentibus: quia non oritur nisi ubi judicia non sunt, aut cessant. Præterea in privatò fermè defensio mera consideratur, cum publica jus etiam ulciscendi habeant. §. XVI.

LVI. *An jure gentium, arma rectè sumuntur ad imminuendam potentiam crescentem,*

scientem, qua nimium aucta nocere possit?
 N. Vim enim pati posse, jus non tribuit
 ad eam inferendam. §. XVII. v. cap. 22. §. 5.

LVII. *Unde igitur petendum est prest-
 djum adversus incertos metus?* R. Non
 à vi, sed à divinâ providentiâ & innoxia
 cautione. cit. §.

LIX. *An justè defenduntur bellum,
 promeriti?* N. Sed qui peccavit primùm
 offerre debet satisfactionem ei quem
 læsit, viri boni arbitrato: quâ rejectâ,
 pia demùm erunt arma. §. XIX. n. 1.

CAP. II.

*De his qua hominibus communi-
 ter competunt.*

I.

Q*uot modis aliquid nostrum est?* R. Ali-
 quod communi hominum jure, aliud
 nostrò singulari. §. I.

II. *Quotuplex est jus hominibus com-
 mune?* R. aut directè est in rem corpo-
 ralem, aut ad actus aliquos. cit. §.

III. *Quotuplices sunt res corporales?*
 R. Aut vacuæ sunt à proprietate, aut jam
 aliquorum propriæ. cit. §.

IV. Quo-

IV. *Quotuplices sunt à proprietate vacua?* R. Aliæ tales sunt, ut propriæ fieri nequeant, aliæ ut possint. *cit. §.*

V. *Quale est proprietatis sive dominii exordium?* R. Statim à mundò conditò, atque iterùm post diluvium reparatò, Deus humano generi generaliter contulit jus in res hujus inferioris naturæ: quò factum, ut statim quisque hominum ad suos usus accipere possit, quod vellet; & consumere, quæ consumi poterant. *§. II.*

VI. *An non erat quedam proprietas?* R. Talis usus juris universalis erat vice proprietatis: quò enim quisque sic arripuerat, id alter ei non poterat eripere, nisi per injuriam. *cit. §.*

VII. *An apud ullam gentem communio unquam reperitur?* A. Quidam enim Americæ populi ex simplicitate eximiâ per multa secula sine incommodo in eò more perstiterunt. *cit. §. m. 1.*

VIII. *Quòdam erat simplicitatis illius argumentum?* R. Nuditas, quæ tamen ad libidinem erga se invicem eos minimè instimulabat; erat quippe in illis ignorantio magis vitiorum, quàm cognitio virtutis. *cit. n. 5.*

IX. *Annon communio est ibi, ubi vivunt inter se homines in mutuâ quadam & eximiâ charitate?* A. Sic primò vixerunt Esseni, homines innocentissimi, deinde Christiani, ac nunc quoque non pauci, qui vitam degunt asceticam. *cit. n.*

X. *An in hac vitâ simplici perseverant homines?* N. Sed verò postea diversa studia, artes, rerum distributiones ac dominia orta sunt: ita ut terræ etiam ipsæ non in gentes modo sed & in familias dividerentur. *cit. §. 2. & 3.*

XI. *Quodnam symbolum cultus divini erat primis hominibus?* R. Arbor vitæ, secundum tradita Hebræorum, quibus quoque adstipulatur Apocalypsis. *cit. n.*

XII. *Quis fuit eorum victus?* R. Vivebant facillè ex his, quæ sine industriâ spontè suâ terra proferebat. *cit. n.*

XIII. *Annon DEUS homines creavit rectos i. e. simplices?* A. Sed ipsi postea sibi quæsiverunt cogitationes multas, ut Salomo docuit. *cit. §. n. 2.*

XIV. *Quinam exceperunt hos homines simplices?* R. Callidi, qui varia, non tamen multum ad vitam conducibilia, adin-

adinvennerunt. Ingenio enim usi sunt non tam ad fortitudinem ac justitiam, quam ad voluptatem. *cit. n.*

XV. *Quæ artes sunt antiquissima?* R. Agricultura & Pastura, quæ in primis fratribus Caino & Abelo apparuerunt, non sine aliquâ rerum distributione. Inde ex studiorum diversitate æmulationis, tandem Abeli occisio. *cit. n.*

XVI. *Quando successit vitæ genus gâgânticum i. e. violentum, quale est eorum, quos χείροδιμα Græci vocant?* R. Cum boni malorum consortio contaminarentur. *cit. n.*

XVII. *Quomodo vixerunt homines mundo per diluvium purgato?* R. Pro ferinâ illâ successit cupidus voluptatis, cui inserviit vinum, unde & illiciti amores. *cit. n. 2. in fin.*

XIIX. *Quid præcipue priorum hominum concordiam rupit?* R. Generosius illud vitium ambitio, ex suggestione diaboli, qui eos eò produxerat. *cit. §. n. 3.*

XIX. *Quodnam erat ambitionis hujus signum?* R. Turris Babylonica. *cit. n.*

XX. *Quid porro discordiam illam auxit?* R. Quod mox alii alias terras partitio possiderent. *cit. n.*

XXI. *An non communio mansit inter homines vicinos?* N. quoad pecora, salvâ interim pascuarum communiōe: quia tanta erat in exiguō hominum numero latitudo terrarum, ut sine incommodō ullō, ad multorum usus sufficeret. *cit. n.*

XXII. *Ad quem tūm temporis spectabant putei?* R. Ad eos, qui primi eos occupando suos fecere. *cit. §. n. 4.*

XXIII. *Qua fuit causa, ob quam à primâ communione discessum est?* R. Cū homines, non contenti vesci spontè natis, vitæ genus exquisitius delegissent, industria opus fuit, quam singuli rebus singulis adhiberent. *cit. n.*

XXIV. *Cur fructus in commune non conferebantur?* R. Obstitit primò locorum, in quæ homines discesserunt, distantia; deindè justitiæ & amoris defectus. *cit. n.*

XXV. *Quid exinde effectum est?* R. Ut nec in labore, nec in consumptione fructuum, quæ debebat, æqualitas servaretur. *cit. n.*

XXVI. *An solo actu animi res ioverunt in proprietatem?* N. Sed pactō quodam

expresso, per divisionem, aut tacito, per occupationem : simulatque enim, communio displiceret, nec esset instituta divisio, convenit inter omnes ut quisque id haberet proprium quod occupasset. *cit. §. n. 5.*

XXVII. *An mare potest in jus proprium abire, sumptum sub ratione integri, aut precipuarum partium?* N. Quia cessat hic causa ob quam à communione decessum est ; cum magnitudo maris ad usum omnibus populis sufficiat. §. III. n. 1.

XXVIII. *An aer potest in jus proprium abire?* N. Ejus enim usus non est, nisi ad aucupia. *cit. n.*

XXIX. *An assignari potest alia ratio?* A. Quia occupatio non procedit nisi in re terminatâ : adeoque liquida nequeunt occupari ; cum per se non terminentur, nisi ut contenta in re aliâ : mare verò non potest à terrâ contineri. *cit. §. xum. 2.*

XXX. *An non dici potest mare fuisse divisum?* N. Cum enim tertæ dividerentur, incognitum erat mare maximâ sui parte ; adeoque de eo dividendo

do gentes convenire non poterant.
cit. n.

XXXI. *An nunc per divisionem abire potest in jus proprium?* N. Nam quæ communia omnium fuerunt, & in primâ divisione divisa non sunt, ea non jam divisione fiunt propria, sed occupatione: non enim dividi possunt, nisi postquam propria esse ceperunt. *cit. §. n. 3.*

XXXII. *Quæ sunt ea, quæ propria fieri possunt, sed nondum facta sunt?* R. Talia sunt loca multa inculta adhuc, insulæ in mari, feræ, pisces, aves. §. IV.

XXXIII. *Quotuplex est occupatio?* R. Duplex, altera per universitatem, altera per fundos. *cit. §.*

XXXIV. *Per quos fieri solet prior?* R. Per populum, aut populo imperantem. *cit. §.*

XXXV. *Per quos altera?* R. Per singulos: magis tamen assignatione, quam occupatione liberâ. *cit. §.*

XXXVI. *Si quid universim occupatum, in singulos dominos descriptum non est, an id ideo censeri debet vacuum?* N. Manet enim in dominio primi occupatoris, puta populi, aut regis, cujus generis sunt

sunt flumina, lacus, stagna, silvæ, montes asperi. *cit. §.*

XXXVII. *Cum jure natura, & gentium, liberum sit feras, pisces & aves venari, an hoc lege civili prohiberi potest? A.*

Ab eò qui imperium habet in terras & aquas; Lex enim civilis potest libertatem naturalem circumscribere, & vetare quod naturaliter permittitur; atque vi suâ antevertere ipsum dominium, naturaliter acquirendum. *§. V.*

XXXIX. *An hâc lege tenentur etiam exteri? A.* Quia ad gubernationem populi moraliter necessarium est, ut alicujus populi institutis se reddant conformes illi, qui territorium ejus intrant, adeoque ei vel ad tempus se miscent. *cit. §.*

XXXIX. *An jure natura aut gentium venari licet? A.* Tamdiu scil. quamdiu lex civilis nulla intercedit, atque hanc observare jus naturæ dicitur. *cit. §.*

XL. *An ergò naturalia mutari possunt? N.* Venatio enim naturalis est non simpliciter, sed pro certò rerum statu, id est, si aliter cautum non sit. *conf. Lib. 2. cap. 8. §. 5.*

XLII. *An hominibus communiter competit jus aliquod in res eas, quæ jam factæ sunt aliquorum propria?* A. Proprietas enim non ita penitus absorpsit omne jus quod nascebatur ex communi rerum statu, ut in gravissimâ necessitate non revivisceret jus illud pristinum rebus utendi, tanquam si communes mansissent: cum in omni lege summa necessitas excipiatur. §. VI, n. 1. & 2.

XLII. *Quæ creditur mens fuisse eorum, qui primi dominia singularia introduxerunt?* R. Ut quam minimum ab æquitate naturali recedatur. *cit.* n. 1.

XLIII. *Quomodo?* R. Si quando cibaria deficiunt in navigatione, lege naturæ debet in commune conferri quod quisque habet: orto incendio, dissipare mihi licet ædificium vicini, mei defendendi causâ: funes item ac retia descindere, in quæ navis mea impulsæ est. *cit.* §. n. 3.

XLIV. *An furtum committit, qui aliunde sumit, quod ad vitam suam necessarium est?* N. Quia res omnes propriæ factæ videntur, cum juris primævi benignâ receptione. *cit.* §. n. 4.

XLV. *Cnr*

XLV. *Cur famelicus furtum non committit, cum edulia subtrahit?* R. Tùm, quia dominus illorum ex charitatis regulâ egenti dare tenetur; tùm etiam rem non ut alienam, sed ut propriam, consumsit, cum vitam qualibet ratione retinere liceat. *cit. n.*

XLVI. *An hoc intelligendum est sine cautione?* N. Sed omni modo prius tentandum est, an aliâ ratione necessitas possit evadi; puta magistratum ad eundem, aut videndo an usus rei precibus possit obtineri. §. VII.

XLVII. *Si possessor ipse pari necessitate teneatur?* R. In pari causâ melior est conditio possidentis, §. VIII.

XLVIII. *An facienda restitutio?* A. Ubi fieri poterit, quia hic quidem fuit jus utendi; non verò plenum, at cum onere restituendi ubi cessaret necessitas, §. IX.

XLIX. *Quomodo bellum pium gerenti licet occupare locum qui situs sit in solo pacato?* R. Si certum sit periculum ne hostis eum invadat, ac inde damna det irreparabilia: si nuda tantum loci custodia sumatur, jurisdictione & fructibus
verò

vero domino relictis : si id fiat custodiae reddendae animo, simulac illa necessitas cessaverit ; sic cum Graeci navibus indigerent, consilio Xenophontis ceperunt transeuntes, mercibus intactis, pretio nautis soluto, ac datis alimentis. §. X.

L. *Quodnam periculum certum esse dicitur ?* R. Ubi constat non tantum de potentiâ, sed & de animo ; & quidem ita constat, ut certum id sit eâ certitudine, quæ in morali materiâ locum habet. *conf. L. II. cap. XXII. §. 5.*

LI. *Quomodo ex veteri communione restat jus utilitatis innoxia ?* R. Ita ut alimenta perdere non liceat, ubi ipsi plus satis habemus ; nec fontem occultare aut obturare, postquam ipsi quantumlibet potaverimus : nec alia quaedam utilia negare alteri quæ sine nostro incommodo possumus ei communicare. §. XI.

LII. *An flumen dici potest proprium ?* A. Qua flumen, ejusque populi intra cujus fines fluit ; vel ejus in cujus ditio- ne populus est : ita ut in flumine nascen- tia ejus sint, eidemque liceat molem ei injicere. §. XII.

LIII. *An*

LIII. *An item commune?* A. Quatenus aqua profluens est, ut bibi possit ac hauriri. *cit. §.*

LIV. *An terra & flumina, & si qua pars maris in alicujus populi proprietatem venit, patere debent his, qui transitu opus habent ad causas justas?* A. Quia dominii auctores censendi sunt introduxisse dominium cum receptione usus qui prodesset his, nec aliis noceret. §. XIII.

LV. *Quibus casibus?* R. Si qui finibus suis pulsi terras quærunt vacuas: si qui commercium expetunt cum gente sepositâ: si qui justò bellò repetunt quod suum est, sic Moses innoxium transitum ab Idumæis ac Emorrhæis petiit; qui cum negaretur justum bellum intulit Emorrhæo. *cit. §. n. 1. & 2.*

LVI. *Quid ulterius in transitu exercitus prestare debet?* R. Ut justum pretium persolvat, si qua re opus habeat. *cit. n.*

LVII. *An transitus prius postulari debet?* A. Nam & qui fores alienas pulsat, non intrat, nisi domini permissu. *cit. §. n. 3.*

LIX.

LIX. *Quid si transitus negetur? Propria autoritate vindicare potest; sic Agesilaus, postulato transitu, Regi Macedonum consultanti respondit: Consul- tet, nos interea transibimus. cit. n.*

LIX. *An transitum negare licet metu multitudinis transeuntium? N. Quia jus meum tuo metu non tollitur: suntque varii cavendi modi; ut si copiae transmittantur manibus divisis, aut inermes; si praesidia conducantur impensis transeuntis, aut obsides dentur, &c. cit. §. num. 4.*

LX. *An metu ab eo in quem transiens bellum justum movet? N. Eandem ob rationem. cit. n.*

LXI. *Si transire volens injustum bellum moveat, aut hostes meos secum ducat? A. Nam & fas esset ei in suo ipsius soloq occurrere, atque iter impendere. cit. n.*

LXII. *An mercibus etiam debetur transitus? A. Nemini enim jus est impedi- endi, quo minus quaeque gens commercium colat cum quaque gente seposita; id enim permitti, societatis humanae in- terest. cit. §. n. 5.*

LXIII. *An tuto satis mare omne navi- gatur?*

gatur? A. Idque ob commercium, quod ex naturalis societatis desiderio inter Nationes intercedit, dum mutuo aliarum copia, aliarum inopie succurritur. *cit. n.*

LXIV. *An non hoc damno cedit permittentibus?* N. Damni enim vice non debet reputari, si lucrum alicui decedat speratum, non debitum. *cit. n.*

LXV. *An ab eo qui in terrâ dominium habet vectigalia possunt imponi mercibus ita transcuntibus terrâ, amne, aut parte maris qua terra accessio dici potest?* N. Si onera nullum habent respectum ad eas merces; sic neque ab exteris transiuntibus exigere potest capitatio, civibus imposita ad reipubl. onera sustinenda.

§. XIV.

LXVI. *Si sustineantur onera ad prestandam mercibus securitatem, aut utilitates alias?* A. Dum modus cause non excedatur; inde enim tributi & vectigalis justitia pendet. Sic Salomo accepit vectigal equorum & neti quæ isthmum Syriacum transibant. *cit. §. n. 2.*

LXVII. *An pratervehentibus aut transiuntibus licere debet aliquantisper morari,*

ri, valetudinis aut aliâ quâ de causâ? A. Imò & tuguriolum momentaneum in litore ponere; nam & hoc est inter innoxias utilitates. Itaque Ilioneus rectè conqueritur, quod Trojani à Tyriis hospitio prohiberentur arenæ. §. XV.

LXIX. An perpetua habitatio concedenda est exteris, qui sedibus suis pulsè receptum querunt? A. Dum subeant imperium constitutum, & quæ alia ad vitandas seditiones necessaria sunt; ideoque dicit Æneas; socer arma Latinus habeto, imperium solenne socer. §. XVI.

LXIX. An iis postulantiibus concedi debet occupatio soli deserti ac sterilis? A. Quia non censetur occupatum quod non excolitur; sic à latinis Aboriginibus data sunt Trojanis septingentâ jugera duri atque asperrimi agri. §. XVII.

LXX. An occupantes solum desertum atq; sterile simul imperiam sibi acquirant? N. Sed veteri populo salvum manet. cit. §.

LXXI. Quotuplex est jus commune ad actus? R. Duplex, simpliciter, aut ex suppositione. §. XVIII.

LXXII. Quomodo simpliciter? R. Ad actus

actus tales quibus comparantur ad vitam commodam requisita; talium enim impedimentum humanæ societati contrarium est. Alimentorum scilicet, vestimentorum, medicamentorum: non voluptariorum & supervacaneorum. *cit. §.*

LXXIII. *An omnibus hominibus jus est ad ea comparanda æquo pretio?* A. Si non indigeant ipsi à quibus petitur; sic in summâ penuriâ frumenti venditio justè prohibetur. *§. XIX.*

LXXIV. *An in tali necessitate possunt expelli peregrini?* N. Si semel admissi sint, commune enim malum communitè est tolerandum. *cit. §.*

LXXV. *An æquum jus est ad sua vendenda?* N. Quia cuique liberum est statuere quid acquirere velit, aut non; sic vinum & alias merces exoticas olim non recipiebant Belgæ. *§. XX.*

LXXVI. *An in hoc jure etiam inest libertas ambiendi & contrahendi matrimonia?* A. Si virorum populus aliunde expulsus, alio advenerit; quia sine foemina ætatem agere plerorumque hominum naturæ repugnat: adeoque facultas

tas

tas uxores comparandi viris adimi non debet; Sic Romulus vicinos rogat, ne graventur homines cum hominibus sanguinem & genus miscere. §. XXI.

LXXVII. *Cur aetatem sine feminâ agere aliquatenus repugnat humana natura?*

R. Quia cœlibatus non nisi excellentibus animis convenit. *cit. §.*

LXXIIX. *Quâ ratione nituntur leges civiles, aliquorum connubia exteris negantes?* R. Quod temporibus, quibus sunt conditæ, nulli erant populi, quibus non fœminarum copia suppeteret. *cit. §. n. 2.*

LXXIX. *De quibus ergo connubiis agunt Leges civiles?* R. De iis, quæ iusta sunt, h. e. quæ speciales quosdam juris civilis effectus produciunt. *cit. n.*

LXXX. *Quomodo ex suppositione jus commune est ad actus?* R. Ita ut alicui jus sit ad tales actus quos populus aliquis promiscuè permittit externis: adeoque tales uni alicui populo negari non possunt sine injuriâ; Sic si exteris promiscuè licet alicubi venari, piscari, aucupari, margaritas legere, ex testamento capere, res vendere, conjugia con-

contrahere, &c. id uni populo negari non potest. §. XXII.

LXXXI. *Si delictum aliquod præcesserit?* R. His non fiet injuriâ, si quid negetur aliis concessum. *cit.* §.

LXXXII. *Quomodo hæc permissa intelliguntur?* R. Tanquam ex vi naturalis libertatis, nullâ lege sublata. §. XXIII.

LXXXIII. *An non per beneficium, relaxando legem?* N. Quia in beneficii negatione nulla est injuria. *cit.* §.

LXXXIV. *An alicui populo licet tam alio populo pacisci, ut is sibi soli vendat certos fructus, qui alibi non nascuntur?* A. Si emptor paratus sit, eos aliis vendere æquò pretiò; nam aliorum non interest, à quò emant, quæ desiderant. §. XXIV.

LXXXV. *An igitur lucrum alteri prævertere licet?* A. Maximè si causa subest, tutela, aut sumptus faciendi. *cit.* §.

LXXXVI. *An talis coemptio repugnat juri naturæ?* N. Eò, quo dictum, animò facta; solet tamen civili lege aliquando prohiberi, ob utilitatem publicam. *cit.* §.

*De acquisitione originariâ rerum, ubi
de mari & fluminibus.*

I.

Quot modis aliquid nostrum fit jure
singulari? R. Acquisitione originariâ,
aut derivativâ. §. I.

II. *Qui illâ?* R. Illâ olim etiam fieri
potuit per divisionem, cum genus ho-
minum coire poterat; nunc tantum
per occupationem. *cit.* §.

III. *Quid censendum de Servitutis con-
cessione, pignoris constitutione?* R. Nihil
his speciebus originariè acquiritur; cum
hæc jura virtute ipsâ insint in dominio
domini. §. II.

IV. *Quid si quid ipsi, ut in rerum na-
tura esset, fecimus?* R. Huc referri non
potest, cum naturaliter nihil fiat, nisi
ex materiâ prius existente; Quæ si no-
stra, continuabitur dominium; Si nulli-
us, occupationis genus est; Si aliena, na-
turaliter nobis solis non acquiritur.
§. III.

V. *Quanam possunt occupari?* R. Pro-
priè quæ nullius sunt. §. IV.

VI.

VI. *Qua in his occupantur?* R. Imperium, & dominium, quatenus ab Imperio distingvitur. *cit. §. n. i.*

VII. *Quae sunt materiae subjacentes imperio?* R. Primaria sive persona, & secundaria, sive locus, qui territorium dicitur. *cit. n.*

VIII. *Potestne imperio occupato, averti lege civili jus occupandi res mobiles?* A. Est enim hoc jus ex jure naturae permittente, non praecipiente. §. V.

IX. *Videtur tamen, ut id liceat, esse jus Gentium?* R. Etiam si hoc in aliquâ parte orbis terrarum receptum, non tamen habet vim pacti inter gentes, sed est jus civile; plurium gentium distributum, quod à singulis tolli potest. *cit. §.*

X. *An dominium tantum datur in eo, qui ratione utitur?* A. Si solum jus naturae spectemus. §. VI.

XI. *An infantes & furiosi dominia possunt accipere & retinere?* A. Jure gentium; ita ut personam illorum quasi sustentet genus humanum. *cit. §.*

XII. *Quale horum dominium?* R. Stans intra actum primum, non pertingens ad actum secundum. *cit. §.*

XIII. *An flumina potuerunt occupari?*

A. Ab iis, qui terras adjacentes occupavere. §. VII.

XIV. *At verò illa nec supra nec infra includuntur territorio, sed coherent cum aquâ superiori & inferiori, aut cum mari?* R. Hæc non obstant; sufficit enim partem majorem, id est latera, ripis esse clausam; & flumen quid exiguum esse comparatione terrarum. *cit.* §.

XV. *An mare potuit occupari?* A. Ab eò, qui terras ad latus utrumque possidebat. §. VIII.

XVI. *An & si supra pateat, ut sinus; aut supra & infra, ut fretum?* A. Dummodo non ita magna sit pars maris, ut cum terris comparata, videri non possit earum portio. *cit.* §.

XVII. *An à pluribus occupari potest?* A. Si duo vel plures mare intersitum voluerint occupare: quod enim uni populo; aut regi licet, idem licere videtur pluribus; nam sic occupata sunt, ac deinde divisa flumina, quæ duos populos interluunt. *cit.* §.

XIIX. *An à populis occupatum est?* R. In partibus cognitis Romano imperio, à pri-

à primis temporibus ad Justinianum usque, juris gentium fuit, ne mare à populis occuparetur; etiam quod jus piscandi attinet. §. IX. n. 1.

XIX. *Quid ergò dicendum ad dictum Celsi in l. 3. ff. Ne quid in loc. publ.* R. Celsum non loqui de littore, quatenus usus ejus navigantibus necessarius; Sed quatenus ad utilitatem assumitur, puta ad ædificium permanens. *cit.* §. n. 2.

XX. *An ex ratione naturali provenit, quod mare eo sensu non sit occupatū, aut jure non potuerit occupari?* N. Sed ex instituto; quia juri naturæ non repugnat, ut portio maris inclusa littoribus, fiat ejus populi eorumve, cujus quorumve sunt littora: dummodò ea pars maris, comparata ad territorium, non major sit, quàm maris diverticulum, comparatum ad magnitudinem fundi privati. §. X. n. 1. & 2.

XXI. *Si quibus in locis non receptum esset jus illud gentium de mari, an mare colligi posset occupatum esse ex eò solò, quod populus terras occupavit?* N. Quia non sufficit actus animi; sed requiritur externus, unde occupatio possit intelligi.

§. XI.

F 3

XXII.

XXII. *Si deinde omitteretur possessio, ex illâ occupatione nata?* R. Mare rediret ad veterem naturam, id est usum, communem. *cit. §.*

XXIII. *Qui mare occupavit, an potest impedire navigationem inermem & innoxiam?* N. Cum nec per terram talis transitus possit prohiberi; qui minus solet esse necessarius, & magis noxius. *§. XII.*

XXIV. *Quid dicendum de solo imperio?* R. Facilius potuit procedere, ut illud in maris partem occuparetur, sine aliâ proprietate; neque jus gentium obstat. Sic Archivi cum Atheniensibus exoptulant, quod suo mari transire permitterent hostes Spartanos. *§. XIII. n. 1.*

XXV. *Quâ ratione acquiritur imperium in maris portionem?* R. Eâdem, quâ alia imperia, ratione personarum, ac territorii. *cit. §. n. 2.*

XXVI. *Quomodo ratione personarum?* R. Si in aliquo maris loco se habeat classis, maritimus exercitus. *cit. n.*

XXVII. *Quomodo ratione territorii?* R. Quatenus ex terrâ cogi possunt, qui in proximâ maris parte versantur; nec minus

minus, quàm si in ipsâ terrâ reperirentur. *cit. n.*

XXIIX. *Quando vectigal æquum imponi potest navigantibus?* R. Quando quis in se recipit onus tuendæ navigationis, ac juvandæ per ignes nocturnos & brevium signa; quale fuit Romanorum vectigal Erythræum, ob sumptus exercitus maritimi, adversus piraticas excursiones. §. XIV.

XXIX. *Cum populus alteri populo se obstringit, ne ultra certum terminum naviget, an hoc docet maris occupationem, aut juris navigandi?* N. Populi enim pactis decedere possunt de jure quod sibi competit, & quod cum omnibus habent commune, in gratiam ejus, cuius interest; sic Ægyptiis aliquando non licuit mare rubrum intrare, navi longâ, & onerariâ plus unâ. §. XV. n. 1. & 2.

XXX. *Quot sunt agrorum genera?* R. Tria, divisum & assignatum, assignatum per universitatem, & arcifinium. §. XVI. num. 1.

XXXI. *Quid est primum?* R. Quod manu factos limites habet pro finibus, ut fossas, aggeres, muros, &c. *cit. n.*

XXXII. *Quid alterum?* R. Mensurâ comprehensum; puta per centurias, aut jugera. *cit. n.*

XXXIII. *Quid tertium?* R. Quod fines habet arcendis hostibus idoneos, id est naturales, flumina, montes, mare. *cit. n.*

XXXIV. *Cum flumen mutat cursum, an simul imperii terminus mutatur, & quæ flumen adjecit, an ea cedunt iis, quibus adjecta sunt?* R. In duobus primis agrorum generibus nihil de territorio mutatur: & si quid alluvio adjecit, id accedet occupantium imperio. *cit. v.*

XXXV. *Quæ ratio in arcifiniis?* R. Fluminis cursu paulatim mutato, mutantur & fines territorii: & quidquid alteri parti adjectum est, sub ejus est imperio cui adjectum est; quia eo animo populus imperium occupasse primitus creditur, ut flumen suâ medietate dirimeret eos, tanquam naturalis terminus. *cit. S. n. 2.*

XXXVI. *An idem habebit locum, si alveum mutaverit annis?* N. Nam flumen, etiam quâ determinat imperia, non consideratur nudè quâ aqua; sed quâ

quà tali fluens alveo, talibusque ripis inclusa: at alveo veteri deserto, non est idem quod fuit antè, & sicut si flumen exaruisse, imperii terminus maneret medietas alvei, qui proximè fuisset; ita mutato alveo idem observandum. §. XVII. n. 1.

XXXVII. *Quid censendum, si imperia ad flumen pertingunt?* R. In dubio ea arcifinia putanda, quia imperiis distinguendis nihil est aptius, quam id, quod non facillè transitur. cit. §. n. 2.

XXXIIX. *An totum flumen uni parti potest accedere?* A. Si ripæ alterius imperium ceperit serius, & jam occupato flumine: aut si res eum in modum definita sit pactionibus. §. XIX.

XXXIX. *Quomodo datur originaria, acquisitio eorum, quæ dominum habuerant, sed habere desierunt?* R. Si derelicta sint, aut domini defecerint: quia talia redierunt in eum statum, in quo primùm fuerant. §. XIX. n. 1.

XL. *Quid si superioritas dominium, eum imperio acquisitum, in privatos distribuat, ut tamen eorum particulare, à suo pendeat dominio generali?* R. Hoc casu

casu si quid dominio particulari carere incipit, non fit occupantis, sed ad superioritatis dominium generale redit. *cit.*, §. n. 2. & 3.

CAP. IV.

De derelictione præsumptâ, & eam secutâ occupatione.

I.

AN usucapio aut præscriptio propriè dicta locum habet inter populos diversos, eorumve rectores? N. Quia hoc jus est lege civili introductum. §. I.

II. *An tempus ex suâ naturâ vim ullam effectricem habet?* N. Nihil enim fit à tempore, quanquam nihil non fit in tempore. *cit.* §.

III. *Num hoc perpetuò sic observatur?*
A. Nisi quatenus res vel actus tenetur territorii legibus conventionalibus. *cit.* §.

IV. *Si id admittimus, annon maximum inde sequitur incommodum?* A. Controversiæ enim de regnis regnorumque finibus nullò unquam tempore extinguuntur: quod non tantùm ad perturbandos multorum animos & bella serenda

renda pertinet, sed & communi gentium sensui repugnat. *cit. §. in fin.*

V. *An derelictio presumta etiam locum habet in rebus publicis?* A. Nam apud omnes gentes in confessio est, possessiones publicas non minus quam privatas, multo tempore ita firmari, ut revelli nequeant. §. II.

VI. *Quid igitur hujus loco observatur?* R. Solent allegari longævæ possessiones. Sic Ammonitarum Regi, terras inter Arnonem & Jabocum & ab Arabum desertis ad Jordanem sitas sibi vindicanti, Jephthes objicit possessionem annorum, trecentorum. Lacones tanquam certissimum & apud omnes Gentes confessum ponebant, possessiones publicas non minus, quam privatas, multo tempore ita firmari, ut revelli nequeant; eoque jure repellebant eos, qui Messeniam repetebant. *cit. §.*

VII. *Quare juris effectus, qui ab animo pendent, non possunt tamen ad solum animi actum consequi, nisi is actus signis quibusdam indicatus sit?* R. Quia nudis animi actibus efficientiam juris tribuere, non fuerat congruum naturæ humanæ,

næ, quæ nisi ex signis actus cognoscere non potest. §. III.

VIII. *Cur actus interni meris humanis legibus non subjacent?* R. Quia, ut modò dictum, non est congruens naturæ societatis humanæ. *cit.* §.

IX. *Quam certitudinem habent signa de animi actibus?* R. Non mathematicam, sed probabilem tantum: nam & verbis aliud eloqui possunt homines, quam quod volunt & sentiunt, & factis simulare. *cit.* §.

X. *Quomodo igitur aliquid intelligitur derelictum?* R. Verbis, factis, & non factis. *cit.* §.

XI. *Qualibus verbis?* R. Quibus sufficienter indicantur actus animi, rem abdicantis. *cit.* §.

XII. *Qui factis?* R. Si aliquid abjiciatur; nisi sit ea rei circumstantia, ut censi debeat abjectum temporis causa, & requirendi animo: sic debitum remissum censetur chirographi redditione. §. IV. n. 1.

XIII. *Quomodo hereditas potest repudiari?* R. Non tantum verbis, sed & re & quovis indicio voluntatis. *cit.* n. 1.

XIV.

XIV. *An scientia habetur pro voluntate & consensu, si ego sum dominus alicujus rei, quam alter jam incepit possidere?* R. Sciens, si cum altero eam rem, quæ mea est, possidente, tanquam cum domino contrahat, jus suum remisisse meritò habetur. *cit. n. 1.*

XV. *An superior concedens inferiori vel imperans id facere, quod facere licitè non potest, nisi lege solvatur, lege solvisse eum intelligitur?* A. Venit enim hoc non ex Jure Civili, sed ex Jure naturali, quo quisque suum potest abdicare, & ex naturali præsumptione, quâ voluisse quis creditur, quod sufficienter significavit: quo sensu etiam acceptilationem rectè Juris Gentium esse dixit Ulpianus. *cit. §. n. 2.*

XVI. *Qui non factis?* R. Ut consentire videatur, qui præsens & sciens tacet, nisi circumstantiæ ostendant eum metu, vel alio casu impediri, quo minus loquatur. *§. V. n. 1.*

XVII. *An item qui rem suam scit ab alio teneri, nec quidquam contradicit multo tempore?* A. Nam is ideò tacuisse videtur, quod rem amplius esse nollet in suarum rerum numero: nisi alia causa manifestè appareat. *cit. n.*

XIX.

XIIX. *An simile quid apparet in consuetudine?* A. Semotis enim legibus civilibus; quæ certò tempore ac modò volunt eam introduci, potest illa à populo subditò introduci; ex eò, quòd ab imperante toleratur. *cit. §. n. 2.*

XIX. *An consuetudinis effectus ratione temporis in jure est definitus?* N. Sed arbitrarium est tempus, quantum satis est ut concurrat; ad significandum consensum. *cit. n.*

XX. *Quæ requiruntur in silentio, ut valeat ad præsumendam derelictionem?* R. Ut sit scientis, & liberè volentis: nam agere nescientis, est non agere; ideoque caret effectù & cessat conjecturà voluntatis, ubi apparet alia causa. *n. 3.*

XXI. *Quæ ratio temporis hic est habenda?* R. Magna: quia vix fieri potest; ut res ad aliquem pertinens nullò modò ad ejus notitiam perveniat multò tempore: cum tempus multas ejus occasiones subministret. *§. VI.*

XXII. *Quomodo tempus hic variat?* R. Ita ut ad hanc conjecturam minus temporis spatium sufficiat inter præsentēs;

tēs, quam inter absentes; etiam sepō-
tā lege civili. *cit. §.*

XXIII. *An incussus metus durare cre-
ditur perpetuò? N.* Cum tempus longum
multas occasiones adversus metum sibi
consulendi, per se, vel per alios suppedi-
tet. *cit. §.*

XXIV. *Quid si fines quis ejus exeat;
qui metuitur? R.* Ad minimum de jure
suo protestatio fiat, aut, quod potius
est, ad iudices & arbitros provocetur.
cit. §. in fin.

XXV. *An tempus excedens memoriam
sufficit ad rei derelictæ conjecturam? A.*
Quia tale tempus est moraliter infini-
tum: nisi validissimæ sint rationes in
contrarium. *§. VII.*

XXVI. *An idem tempus est, tempus me-
moriam excedens cum centenariò? N.*
Cum communis humanæ vitæ termi-
nus sint centum anni. *cit. §.*

XXVII. *Non credendum tamen, homi-
nes jactare, quod suum est: adeoq; ad eam
conjecturam non videntur sufficere actus
negativi, etiam cum magno temporis spa-
tio? R.* Sed credibile non est, aliquem
longo tempore nullam planè significa-
tionem

tionem edere, velle ejus rei, quam vult esse suam. §. VIII. n. 1. & 4.

XXIIX. *An imperantes cum sanguine innocentis populi & summa jactura dimicare possint?* N. Licet enim eorum imperia magni fieri soleant, magna tamen insimul sunt onera, quæ, non bene administrata, hominem divinæ iræ reddunt obnoxium. Ita laudatur ab Antiquis Antiochi dictum, qui Populo Rom. gratias egit, quod, nimis magnâ procuratione liberatus, modicis terminis uteretur. cit. §. n. 2.

XXIX. *Quis bonus vir ac civis dicens?* R. Qui præsentem Reip. statum, mutari non vult, utpote maxime periculosum. cit. §. n. 3.

XXX. *Nemo autem facile relinquit imperium.* R. At humanæ societatis interest, imperia constitui in certo, & extra controversiæ aleam: adeoque favorabiles putandæ sunt conjecturæ hanc juvantes. cit. n. 3.

XXXI. *An non verò hoc in solâ presumptione positum est?* N. Sed Jure Gentium introductum est, ut omnino dominium transferret possessio memoriam excedens,

dens, nec interrupta, nec interpellata, provocacione ad arbitrum: quia ad pacem communem hoc vel maximè interest; alias enim non possent extingvi contróversie de regnis eorumve limitibus. §. IX.

XXXII. *Quæ dicitur possessio non interrupta?* R. Quam unò & perpetuò tenere, juris semper usurpatò, & nunquam interruptò, habemus. *rit. §.*

XXXIII. *An nondum natis jus suum tacitè potest decedere tali derelictione?* R. Nullum est jus ejus qui nondum natus est: adeoque nulla ei fit injuria, si voluntatem suam mutet populus, à cujus voluntate jus regnandi proficiscitur; illà igitur voluntate mutatà, neque existente jure ejus qui possit expectare, parentibusque nascituri jus illud derelinentibus, jus imperandi derelictum potest ab alio occupari. §. X. n. 1. & 2.

XXXIV. *De quo jure hoc de nondum natis statutum est?* R. De naturali; nam per fictionem juris civilis eorum, qui nondum sunt, personam lex interim sustinet, atque ita impedit, ne quid adversum eos occupari possit: quod ta-

men leges velle non temerè censendæ sunt, quia privata ista utilitas publicæ valdè repugnat. *cit. §. n. 3.*

XXXV. *Quo tempore acquiruntur fenda illa qua non ex jure proximi possessoris, sed ex vi primitivæ investitura deferuntur?* R. Secundùm receptiorem sententiam longum tempus satis est. *cit. n. 3.*

XXXVI. *Quæ horum omnium ratio?* R. Quia nihil prohibet, quò minus lege civili jus tale introduci possit, quod undò actu alienari licitè non possit; possit tamen, ad vitandam dominiorum incertitudinem neglectu certi temporis amitti. *cit. §. n. 4.*

XXXVII. *Sed quomodo tunc consulitur posteris, si ve nondum natis & solùm existituris?* R. His salva potest manere actio personalis adversus eos, qui neglexerunt, aut eorum heredes. *cit. n.*

XXXIX. *An tantùm expressò consensu jus acquiritur regi adversus regem, & populo libero adversus populum liberum?* N. Sed & derelictione; quam apprehensio sequitur; & ex quâ vim novam accipit. *§. XI.*

XXXIX.

XXXIX. *An id, quod ab initio non va-
luit, ex post facto potest convalescere;*
Nisi causa nova, jus parere per se ido-
nea, intercesserit *cit.* §.

XL. *An alicujus populi verus rex amit-
tere potest regnum, & populo subjici?* A. sic
etiam qui reverâ non est rex, sed prin-
ceps tantum potest fieri rex cum sum-
mo imperio. *cit.* §.

XLI. *An ad ipsum jus imperii, & par-
tes ejus necessarias, etiam pertinet lex de
usucapione, aut prescriptione, condita ab
eo, qui summum habet imperium?* N. Quia
is non potest se obligare per modum le-
gis, ut superioris; nec præsumitur vo-
luisse: neque lex ulla civilis de præscri-
ptione summum imperium compre-
hendit. §. XII. n. 1.

XLII. *Quid requiritur in legislatore
& autore, ut quis obligetur?* Potestas &
voluntas, saltem præsumta. *cit.* §.

XLIII. *An quis suâ lege obligari possit?*
R. Non directè, sed per reflexionem; quâ
scil. pars est communitatis, ex æquita-
te naturali, quæ vult partes componi
ad rationem integri. *cit.* §.

XLIV. *Quomodo legum autorem hic*

consideramus? R. Non ut partem, sed ut eum, in quo virtus sit integri: agimus enim de summo imperio quâ tale. *cit.* §.

XLV. *Quid si materia & ratio legis sint universales, ut in æstimandis rerum pretiis?* R. Ibi legum autores censentur se quoq; comprehendere voluisse. *cit.* §.

XLVI. *An populus potest exprimere voluntatem suam, quò modò ac tempore imperium amitti possit, non utendo?* A. Scilicet in imperii delatione. n. 2.

XLVII. *An hæc voluntas posset infringi à rege?* N. Nequidem ab obtinente summum imperium; quia hoc non pertineret ad ipsum imperium, sed ad ejus habendi modum. *cit.* n.

XLVIII. *An non tamen aliqua subterventur cujusq; populi legibus civilibus, de usucapione & præscriptione factis?* A. Ea nêpe quæ non sunt de naturâ summi imperii, nec ad eam pertinent ut proprietates naturales; sed ab eâ naturaliter separari possunt, aut cum aliis communicari: sic aliqui subditi sibi acquisiverunt præscriptione, ut ab iis non possit appellari §. XIII.

XLIX. *An prorsus appellatio non datur, ubi*

Principes subditorum jus per prescriptionem habent, ne à se appelletur? N. Sed semper aliqua ab eis datur provocatio, per supplicationem scil. vel alium modum. *cit. §.*

L. *An populus se in libertatem pristinam vindicare potest?* A. quia quod vi partum est imperium vi potest dissolvi; quod autē ex voluntate est profectum, in eo pœnitere licet & mutare voluntatem. §. XIV. n. 1.

LI. *An semper licet subditis se vindicare in libertatem, cum possunt?* N. Cùm etiam imperia vi parta possunt accipere firmum jus, ex tacitâ voluntate: & voluntas, aut ex initio imperii constituti, aut ex post facto, potest jus dare quod imposterum à voluntate non pendeat; quod Cyrus dicebat regi Armenio, qui rebellionis suæ obredebatur desiderium libertatis pridem amissæ. *cit. n. 1.*

LII. *An regis patientia potest aliquando sufficere ad pariendam populo libertatem?* A. Longa scilicet, supra descripta: adeoque ex præsumptâ imperii derelictione. n. 2.

LIII. *An jura, que non habent quotidianum*

dianum exercitium, sed semel, ubi commodum erit, adeò facile amittuntur? N. Nisi ex quò tempore intercessit prohibitio aut coactio, eique paritum est cum sufficiente consensus significatione. §. XV.

LIV. *Num locum habet hoc etiam inter summa fortune homines?* A. Conveniens enim est non tantum juri civili, sed & rationi naturali. *cit. §.*

CAP. V.

De acquisitione originariâ juris in personas, jure parentum, matrimonii, collegii, jure in subditos ac servos.

I.

AN *est in personas jus quoddam acquiratur?* R. Non in res tantum, juxta *Rubr. cap. III. b. L. II.* sed & in personas. §. I.

II. *Quomodo acquisitione aliquid fit nostrum?* R. Vel originariè, vel derivativè. *cit. §. add. L. II. c. III. §. 1.*

III. *Quomodo originariè jus acquiratur in personas?* R. Ex generatione, consensu, & delictò. *cit. §.*

IV.

IV. *Quomodo ex generatione?* R. Hæc utrique parenti jus in liberos acquiritur. *cit. §.*

V. *Si contendant inter se imperia?* R. Patris imperium præfertur, ob sexus præstantiam. *cit. §.*

VI. *Quæ tempora in liberis distinguenda sunt?* R. Tria, primum est infantia, sive imperfecti judicii: alterum judicii perfecti, sed dum filius pars manet familiae: tertium postquam ex eâ familiâ excessit. *§. II. n. 1.*

VII. *Quale parentum jus est in liberis, in primo tempore?* R. Omnes liberorum actiones illorum dominio subsunt; cum enim regere se nesciant, regendi sunt à parentibus: quia naturaliter alius inveniri nequit, cui regimen competat. *cit. n.*

VIII. *An eò tempore filius aut filia capax est domini in res?* A. sed actu primo: nam exercitium impeditur, ob imperfectionem judicii. *cit. §. n. 2.*

IX. *An naturale est, ut res omnes liberorum acquirantur parentibus?* N. Sed ex lege civili quorundam populorum. *cit. n.*

X. *An hic naturaliter distinguuntur pater à matre, filii emancipati à non-emancipatis, naturales à legitimis?* N. Quia natura ignorat hæc discrimina. *cit. n.*

XI. *Quanam liberorum actiones subsunt parentum imperiis, in secundò tempore?* R. Eæ quæ aliquid momenti habent ad statum familiæ; æquum enim est, ut pars conveniat, cum ratione integri. §. III.

XII. *Quid de cæteris actionibus dicendum?* R. Liberos in illis habere facultatem moralem agendi; ita tamen ut semper studeant parentibus placere. *cit. §.*

XIII. *An irritum est, quod contra fit?* N. Quia hoc non est debitum ex vi facultatis moralis; sed ex pietate, observantiâ, & gratiæ rependendæ officio. *cit. §.*

XIV. *An in utroque tempore completitur quoque jus coercendi?* A. Quatenus liberi ad officium cogendi sunt, aut emendandi. §. IV.

XV. *An jus hoc patri perpetuò competit?* A. Imperium enim paternum ita sequitur ipsam patris personam ac *æterno*
ut

ut avelli transferrique in alium non possit. §. V.

XVI. *An pater potest filium oppignorare & vendere?* A. Si sit necesse: nec suppetat alia ratio eum alendi; quia natura jus dat ad id sine quò nequit obtineri, quod ipsa imperat; quod ex veteri Thebanorum lege fluxit ad alios populos, quæ primo ad ipsos per Phænices venerat ab Hebræis. *cit.* §.

XVII. *Quid dicendum de filiorum actionibus, in tertio tempore?* R. Eos esse sui juris in omnibus: semper tamen manente pietatis & observantiæ debito; hujus enim causa est perpetua. §. VI.

XIIX. *An regum actus irriti dici possunt eò quod parentes habeant?* N. Quia sunt sui juris. *cit.* §.

XIX. *Quenam est alia potestas parentum in liberos?* R. Quidquid est extra hæc, id totum est à lege voluntariâ; sic Hebræi patres dissolvebant vota liberorum, & peculiaris erat Romanorum potestas in filios, non emancipatos. §. VII.

XX. *An potestas patria Hebræis erat perpetua?* N. Sed durabat, quemdiu liberi pars erant domus paternæ. *cit.* §.

XXI.

XXI. *Quæ erat Rom. potestas patria?*
R. Illa competebat in filios, quantumvis
familia propria capita erant. *cit. §.*

XXII. *Qualis erat pristina conditio li-
berorum apud Rom.?* Habebant se ad in-
star servorum, ita, ut neque suorum bo-
norum ipsi essent domini, sed parentes,
donec manumitterentur eodem modo, quod
mancipia solebant. *cit. §.*

XXIII. *Quò respexere Leges Rom. in
sanctione hujus juris?* R. Tum ad eam,
quæ à naturâ est, eminentiam; tum ad
labores, quos pro liberis parentes susti-
nent. *cit. §.*

XXIV. *Cur liberos parentibus sine ex-
ceptione subjectos esse voluerunt?* R. Ob
confidentiam naturalis parentum amo-
ris. *cit. §.*

XXV. *Quomodo jus in personas oritur
ex consensu?* R. Illud venit aut ex con-
sociatione, aut ex subjectione. §. IIX. n. 1.

XXVI. *Quæ consociatio est maximè na-
turalis?* R. Conjugium. *cit. n. 1.*

XXVII. *An in eò imperium est commu-
ne?* Sed maritus est caput uxoris, in re-
bus conjugii & familia; nam uxor fit
pars familia maritalis. *cit. n.*

XXIIX.

XXIIX. *Quod jus præterea maritis conceditur naturaliter?* R. Constituenti de domiciliò. *cit. n. 1.*

XXIX. *Quid juris ultra maritis conceditur?* R. Lege Hebræa jus rescindendi quævis vota uxoris; apud Populos nonnullos jus vendendi bona uxoris. *cit. §.*

XXX. *An hoc est à naturâ?* N. Sed ab instituto. *cit. §.*

XXXI. *Quid est de naturâ conjugii?* R. Naturaliter est talis cohabitatio maris cum foemina, quæ foeminam constituat sub oculis quasi & custodiâ maris; nam tale consortium, & in mutis quibusdam animantibus videre est. *cit. §. num. 2.*

XXXII. *Quid huic accedit in homine?* R. Fides, quâ foemina se mari obstringit. *cit. n.*

XXXIII. *An alia requiruntur ut conjugium subsistat?* R. Non lege naturæ, sed civili. *§. IX. n. 1.*

XXXIV. *An lege divinâ, ante promulgationem Evangelii?* N. Nullum enim talis requisiti vestigium exstat. *cit. n. 1.*

XXXV. *An non prohibita fuit polygamia?*

mia? N. Nam viri sancti plures unâ uxores habuêre, nec propterea sunt increpiti; imò in lege præcepta quædam dantur, his, qui plures unâ habeant. Deut. xvii. ac DEUS Davidi imputat, quod uxores ei complures dedisset. *cit. n.*

XXXVI. *Regi tamen præscribitur ne plures habeat 2. Sam. xii.*? R. Non istic prohibentur plures unâ; sed tantum nimia copia, sic & prohibetur ibi nimia copia equorum, &c. *cit. n.*

XXXVII. *An viro licitum fuit uxorem dimittere?* A. Quia dimittere eam volenti leges præscriptæ leguntur. Deut. xxiv. *cit. §. n. 2.*

XXXVIII. *An alteri dimissam ducere licuit?* A. Quia id nemini prohibebatur, præter dimittentem, & principem sacerdotem. *cit. n.*

XXXIX. *Cur libertas ad alium maritum transeundi, ipsò naturali jure est restricta?* R. Ne inde oriri possit prolis confusio. *cit. §.*

XL. *An conceptò, nec dum editò, partu ritè potuit nubere apud Hebræos fœmina vidua?* Inter utrumque matrimonium tres menses interponi jubentur. *§. lxx. n. 2.*

XLI.

XLI. *Quid de his lex Christi?* R. Ea hanc de conjugio inter Christianos ad perfectiorem redegit formam, unam uxorem uni marito addicens; ac adulterii reos pronuncians & qui dimittit uxorem non adulteram, & qui dimissam ducit. *cit. §. n. 3.*

XLII. *Nonne verò Christus dicit in rerum primordio virum unum uxorem unam habuisse?* A. Sed, non dicit, nefas fuisse habere plures. *cit. n.*

XLIII. *Sed ab homine separari vetat Christus, quod Deus conjunxit?* R. Dignissimam scilicet, lege novâ materiam desumens ex eò, quod optimum ac Deo gratissimum est, quamvis id non sit necessarium. *cit. n.*

LXIV. *An omnia, qua juri nature repugnant, irrita etiam sunt jure nature?* N. Sed ea demum, in quibus deest principium, dans validitatem actui, aut in quibus vitium durat in effectu. Apparet hoc ex exemplo donationis prodigæ. *§. X. n. 1.*

XLV. *Quid per principium indigitari solet?* R. Jus illud, quod facultas moralis dicitur, simul cum voluntate sufficiente

ciente ad producendum jus. *cit. n. 1.*

XLVI. *An consensus parentum requiritur ad validitatem conjugii, lege natura?* N. Quia ducens uxorem & matura debet esse ætatis, & extra familiam abire; ita ut in hac re non subjiciatur regimini familiari. *cit. n. 1.*

XLVII. *Nonne tamen officio filiorum, conveniens est, ut ille impetretur?* A. Nisi voluntas eorum sit manifestè iniqua; si enim filii parentibus debent reverentiam in omnibus, certè eam debent in eo negotio, quod ad gentem totam pertinet: non tamen hæc filio jus adimunt, aut ejus actum efficiunt nullum. *cit. n.*

XLIX. *An à Romanis tantum constitutum, ut nuptiæ, ubi consensus deficit patris, irritæ sint?* A. Cum non ex natura, sed ex juris conditorum voluntate sit. *cit. §. n. 2.*

XLIX. *An matris quoque consensus requiritur?* N. Huic enim tantum reverentia debetur, sicque suo dissensu matrimonium irritum non facit. *cit. n.*

L. *In sacris autem literis legimus, liberos in contrahendis nuptiis auctoritatem parentum secutos?* R. Non tamen irritum

tum pronuntiatur Esavi conjugium, aut ejus liberi illegitimi, eò quòd sine tali auctoritate nuptias contraxerat. *cit. §. num. 3.*

LI. *Cur magis à mulieribus exigitur, ut in contrahendis nuptiis sequantur auctoritatem parentum?* R. Convenit hoc maximè earum verecundiæ, ut hâc in re alienò arbitriò stent. *cit. n.*

LII. *An illicitum est conjugium cum eâ, qua alteri nupta est?* A. Lege naturæ, nisi vir prior illam dimiserit: tamdiu enim durat ejus dominium; lege autem Christi, donec mors vinculum dissolverit. *§. XI.*

LIII. *An & irritum?* A. Quia & facultas moralis deest, sublata per prius matrimonium: & omnis effectus est vitiosus; actus enim singuli habent contrectationem rei alienæ. *cit. §.*

LIV. *An illicitum, ac irritum est matrimonium cum eò, qui maritus est alterius mulieris?* A. Lege Christi, qui fœminæ pudicitiam servanti jus illud in maritum dedit. *cit. §.*

LV. *An cause certe ac naturales possunt assignari, ob quas sanguine aut affinitate*

nitate junctorum conjugia sunt prohibita? R. Hoc admodum difficile est, imò præstari non potest; uti quilibet experiendo addiscet. §. XII.

LVI. *An planè nullam ejus rationem reddiderunt veteres?* R. Plutarchus in Quæstionibus Rom. & Augustinus de Civitate Dei illam ponunt in latius spargendis amicitiiis; sed hoc tanti momenti non est, ut, quod contra fit, irritum ac illicitum censeri debeat. *cit. §.*

LVII. *An illicita sunt matrimonia parentum cujuscunque gradus cum liberis?* A. Quia non potest ea reverentia præstari quàm exigit natura; conjugium enim talem inducit societatem, quæ excludit necessitudinis reverentiam. *cit. §. num. 2.*

LIX. *An item sunt irrita?* A. Quia vitium perpetuò adhæret effectui. *cit. n.*

LIX. *Sed commixtiones tales non esse contra naturam, probamus argumento à gallis gallinaceis?* R. Nos omne id illicitum habemus, quod pugnat cum naturâ humanâ, quæ se fundat in rectâ ratione. *cit. §. n. 3.*

LX. Quo-

LX. *Quomodo dicitur ejusmodi congressus inter gradus ascendentium & descendentium?* R. Incestus Juris Gentium.

§. XII. n. 3.

LXI. *Quodnam dicitur hoc loco jus naturale?* R. Quod apud plerosque non corruptos, sed naturæ convenienter se habentes, obtinet. *cit. n. conf. L. d. c. 1. §. 10.*

LXII. *Quam rationem quoad hoc dedit Socrates?* R. Hic in talibus conjugii nihil culpandum se invenisse dicit, præter ætatis disparitatem; unde aut sterilitas sequitur aut malè conformata fofoles. *cit. §. n. 4.*

LXIII. *An non in affectibus boninum, nullâ pravâ educatione corruptorum præter id, quod intellectu concipi potest, est insita fuga quædam commixtionis cum parentibus & ex se natis?* A. Cum ab eâ etiam quædam animantia muta naturaliter abhorrere soleant. *cit. §. n. 5.*

LXIV. *Quomodo prohibiti sunt gradus sanguinis & affinitatis, Levit. XVIII. expressi?* R. Hæc quidem interdicta, non veniunt à merò jure naturæ; sed videntur ivisse in vetitum, præceptò divinæ voluntatis. §. XIII. n. 1.

H

LXV.

LXV. *An præceptum hoc solas Hebræos obstringit?* N. Sed homines universos; quia dicitur omnibus istis, populos esse pollutos, & propterea quoque terram pollutam. *cit. n.*

LXVI. *An lex hac lex merè naturalis fuit?* N. Data enim est à DEO non Hebræis peculiariter, sed humano generi, sive in primâ constitutione, sive in reparatione post diluvium. *cit. §. n. 2.*

LXVII. *An leges, humano generi universo datæ, abrogatæ sunt à Christo?* N. Sed illæ tantum, quæ Judæos ab aliis nationibus, quasi sepimento interjecto, disparabant. *cit. n.*

LXVIII. *An itaq; hæc communis existimatio à necessariò natura dictò originem non habuit?* A. Descenderat enim ex veteri traditione, quæ à divinò aliquò præceptò manavit. *cit. n.*

LXIX. *Quasnam leges Hebræi censent ipsi Adamo esse datas?* R. Ne fratres sororibus miscerentur, simul cum lege de DEO colendo, jure dicendo, non fundendo sanguine, non calendis Diis falsis, non rapiendâ re alienâ. *cit. §. num. 5.*

LXX.

LXX. *Sed quando leges conjugales vim suam exferere ceperunt?* R. Post multiplicatum jam satis genus humanum, quod ipso initio sine fratrum & sororum nuptiis contingere nequivit. *cit. n.*

LXXI. *Mases tamen bujus rei nullam fecit mentionem?* R. Hic satis habuit, hoc in lege ipsâ tacitè indicasse; cum gentes extraneas eò nomine damnat. Multa enim talia sunt in lege, quæ non temporis ordine, sed ex occasione dicuntur. *cit. n.*

LXXII. *Quosnam lex in casu hoc prohibito comprehendit?* R. Omnes fratres & sorores tam agnatos, quam cognatos ejus gradus, sive foris, sive domi natos atque educatos. *cit. §. n. 7.*

LXXIII. *Cur filiam fratris ducere licitum; amitam vel agnatam ducere vetitum: cum tamen amba in pari gradu sint?* R. Quia viri juvenes assidue frequentant domos avorum & aviarum, aut etiam in iis habitant simul cum amitis: ad domos vero fratrum minus frequens ipsis est aditus, nec ibi tantundem habent juris. *§. XIV. n. 1.*

LXXIV. *Quare hæc matrimonia veti-*

ta? R. Quia naturalis verecundia misceri non sinit ortus auctores cum sua sobole, aut in seipsis, aut etiam per personas proximè coherentes sanguine, vel nuptiali sanguinis commixtione: item ne quarundam personarum convictus nimis quotidianus, atque inobservatus, daret occasionem stupris & adulteriis, si tales amores possent conglutinari nuptiis. *cit. §. n. 3.*

LXXV. *An lex de non ducentis affinis recti gradus, & sororibus, est perpetua, & hominibus communis?* A. Quia nititur honestate naturali: vim autem suam non potuit exserere, nisi post genus humanum jam satis multiplicatum: quod ipso initio contingere non potuit sine nuptiis fratrum & sororum. *cit. n. i. seqq.*

LXXVI. *Num rectè fecerunt Christiani veteres, qui leges non illas tantum in commune dadas, sed alias peculiariter Hebræo Populo scriptas, spontè suâ observârunt?* A. Nam & ad gradus quosdam ulteriores protenderunt verecundiæ suæ fines, ut hæc quoque in virtute, non minus, quam

quàm in cæteris, Hebræos antecederent. *cit. §. n. 3.*

LXXVII. *An quod per leges fieri licebat, tunc rarius per mores fiebat?* A. Nec enim divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana: veruntamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti. *cit. n.*

LXXIX. *An morum verecundiam leges Regum ac Populorum secuta sunt?* A. Sic Theodosii constitutio patruelium & consobrinorum conjugia vetuit, laudante id factum, ut pietatis plenum, Ambrosio. *cit. n.*

LXXIX. *An, quod vetitum est, fieri lege humanâ, si fiat, irritum quoq; sit?* N. Nisi & hoc lex addiderit aut significaverit. *cit. §. n. 4.*

LXXX. *Quid si quis post obitum uxoris olim sororem ejus duxerat?* R. Si ipsa erat fidelis, per quinquennium is à communione abstinerebat, manente interim vinculo matrimonii. *cit. n.*

LXXXI. *An concubinatus verum & rarium est conjugium?* A. Etsi effectibus quibusdam, juri civili propriis, privetur; aut etiam effectus quosdam naturales

rales impedimento legis civilis amittat.

§. XV. n. 1.

LXXXII. *An is, qui non habet uxorem, sed pro uxore concubinam habet, à communione repellendus? N. Si modò unius mulieris (aut uxoris, aut concubinæ, ut ei placuerit,) sit conjunctione contentus. cit. §. n. 2.*

LXXXIII. *An vera sunt conjugia inter civem & peregrinam, senatorum & libertam, liberum & servam, servum & ancillam? A. Quia in his nihil deest, ad ipsam conjugii naturam. cit. §. n. 1. & 2.*

LXXXIV. *Si lex humana conjugia contrahi prohibeat inter certas personas, an matrimonium re ipsa contractum erit irritum? N. Prohibitio enim vim suam exserere poterit per poenam, expressam, vel arbitrariam, sed factum non rescindetur. §. XVI. n. 1. & 2.*

LXXXV. *Quid sunt leges imperfectæ? R. Quæ fieri quid vetant, sed factum non rescindunt. cit. §. n. 1.*

LXXXVI. *Quid est concessum? R. Ubi jus datur ad aliquid omninò licitè agendum. conf. L. f. e. l. §. 17. n. 2.*

LXXXVII. *Quid permissum? Ubi impuni-*

punitas apud homines datur, & jus, ne quis alius impediri licitè possit respectu actionis, aut facti. *cit.* §.

LXXXIX. *Quæ sunt alia consociationes?* R. Privata, vel publica; & hæ quidem aut in populum, aut ex populis. §. XVII.

LXXXIX. *Qualis est in his obligatio?* R. Universitas, & ejus pars major nomine universitatis, obligat singulos, qui sunt in societate, in iis rebus, ob quas consociatio quæque est instituta; alias enim nulla possent expediri negotia. *cit.* §.

XC. *An pars major sequi debet minorem?* N. Ideoque naturaliter, seclusis pactis ac legibus, quæ formam tractandis negotiis imponunt, pars major jus habet integri. *cit.* §.

XCI. *Si pares sint sententia?* R. Nihil agetur; quia non satis momenti est, ad mutationem. §. XVIII.

XCII. *Quid si alter judex damnat, alter absolvit?* R. Inter dispares sententias mitior vincat. *cit.* §.

XCIII. *Quomodo sunt conjungenda, aut dividenda sententia, jure natura?* R.

Illæ sunt conjungendæ, quarum altera partem alterius continet, in eò quò conveniunt, non illæ quæ totis rebus differunt. §. XIX.

XCIV. *Si alii reum absolvant, alii in viginti damnent, alii in decem?* R. Damnantes conjungentur, contra absolventem. cit. §.

XCV. *Si qui suo jure non possunt uti, absentia, aut aliter impediti?* R. Jus eorum accrescit præsentibus. §. XX.

XCVI. *Quisnam est ordo naturalis inter socios?* R. Prout quisque venit in societatem; sic quoque inter fratres primo natus præcedit. §. XXI.

XCVII. *Quis in uno eodemq; genere dignitatis prior esse debet?* R. Qui prior meruit dignitatem. cit. §.

XCIX. *Quis mos antiquus obtinuit, in regum & populorum Christianorum societate?* R. Ut Christianismum primum professi præcederent cæteros, in conciliis ad rem christianam pertinentibus. cit. §.

XCIX. *Quis ordo sumendus in societate, quæ fundamentum habet in re tali quam omnes non participant equaliter?* R. Ex modo

modo participationis, ac sententiæ æstima-
mandæ sunt ad eum modum, & propor-
tione mensuriâ; ut si in hæreditate aut
fundò alius dimidiam partem habeat,
alius tertiam, alius quartam. §. XXII.

C. *Qualis est societas, quâ multi pa-
tres familiarum cœunt in unum populum
ac civitatem?* R. Perfectissima, dans cor-
pori maximum jus in partes: neque ul-
la est externa hominis actio, quæ non
ad hanc per se spectet, aut spectare pos-
sit ex circumstantiis. §. XXIII.

CI. *An civibus licet gregatim abcede-
re de civitate, non impetratâ veniâ?* N.
Hòc enim concessò, societas consistere
non posset. §. XXIV. n. 1. & 2.

CII. *An singulatim?* N. Si societatis
inter sit: si scilicet magnum æs alienum
sit contractum, si obsidio immineat, &c.
nisi paratus sit civis in præsens partem
suam exsolvere, aut alium æque idone-
um substituire, qui Remp. defendat,
&c. cit. n. 2.

CIII. *An id, quod privatim in societate
sive privatâ, sive publicâ interest unius
ex sociis, servari solet?* N. Sed quod so-
cietati expedit. cit. n. 2.

CIV.

CIV. *An licet extra tales casus pro libitu discedere?* A. Quia civitas ex eâ libertate non minus commodi sentire potest aliunde. *cit. §. n. 3.*

CV. *Quid de exulibus dicendum?* R. In illos nullum jus esse civitati. §. XXV.

CVI. *Quotuplex est subjectio ex consensu?* R. Duplex, privata, aut publica: illaque rursus varia, pro multiplici regiminis genere. §. XXVI.

CVII. *Qua est precipua?* R. Arrogatio, quâ quis se ita dat in familiam alterius, ut ei subsit ad eum modum, quò filius maturæ ætatis subest patri. *cit. §.*

CVIII. *An pater eo modo filium suum alteri dare potest, ut jus paternum plene in eum transeat, & ipse paternò officio exsolvatur?* N. Id enim natura non finit: sed potest filium alteri commendare, & alendum dare, quasi substituendo. *cit. §.*

CIX. *Qua est ignobilissima subjectio speciei?* R. Quâ quis se dat in perfectam servitutem; quæ scilicet operas debet perpetuas, pro alimentis, aliisque quæ vitæ necessitas exigit. §. XXVII. n. 1.

CX. *An hac res non habet in se nimiam acerbicatem?* N. Si accipiatur in-
ter-

terminis naturalibus ; nam perpetua
ista obligatio compensatur perpetua il-
la certitudine alimentorum. *cit.* §. 2.

CXI. *An domini habent jus vitæ & ne-
cis in servos ?* N. Si de plenâ & internâ
justitiâ sit sermo. §. XXVIII.

CXII. *Quid quorundam populorum le-
gibus statutum, si dominus quâcunq; de
causâ servum interfecerit ?* R. Impunè
fert, ut ubique Reges ; qui liberrimam
habent potestatem. *cit.* §.

CXIII. *An idem jus parentibus in libe-
ros concessum ?* R. Licuit hoc Legibus
Rom. ipsis, si quid peccatum esset. *cit.* §.

CXIV. *Cur lex id ipsis permisit ?* R.
Quia credidit integros iudices fore.
cit. §.

CXV. *An partus matrem sequitur, in
servitute conditionis hominibus ?* R. Non.
jure naturæ, si pater sufficienti ratione
possit cognosci ; cum in multis animan-
tibus patres non minùs, quàm matres
foetuum curam gerant. §. XXIX. n. 1.

CXVI. *Quid si lex civilis hæc de re plâ-
nè tacuisset ?* R. Partus non minùs pa-
trem sequeretur, quàm matrem. *cit.* §.

CXVII. *Unde nascitur jus dominorum*

in prolem servilem? R. Ex præbitione alimentorum, eorumque quæ vitæ sunt necessaria. *cit. §. n. 2.*

CXIX. *An servis effugere liceat servitutem?* N. Nisi pro alimentis reddant, quantum satis est; aut nisi sit immanis domini sævitia. *cit. n. 2.*

CXIX. *Quæ sunt imperfecta servitutes?* R. Quæ aut in diem sunt, aut sub conditione, aut ad res certas: talis est libertorum, statuliberorum, nexorum, addictorum, adscriptorum glebæ; servitus septem annorum, & ad Jubilæum apud Hebræos, penestiarum apud Thesalos, manuum mortuarum, mercenariorum; itemque ejus qui natus est altero parente conditionis liberæ, altero servilis. §. XXX.

CXX. *Unde veniunt hæc servorum discrimina?* R. Aut à legibus, aut à pactio- nibus. *cit. §.*

CXXI. *Quæ est publica subjectio?* R. Quæ populus se dat in ditionem alicui homini, aut hominibus pluribus, aut alteri populo. §. XXXI.

CXXII. *Quæ est subjectio ex delicto?* R. Hæc nascitur etiam non accedente con-

consensu, quoties, qui meruit libertatem amittere, vi redigitur in potestatem ab eo, cui jus est exigendæ pœnæ.

§. XXXII.

CXXIII. *Quinam hoc modo subjiuntur?* R. Ex delictò *privatò*, singuli, subjectione *privatâ*: ex delictò *publicò*, populi, subjectione *publicâ*. *cit. §.*

CXXIV. *Quale in his discrimen est?* R. Quòd populi servitus perpetua sit; partium successione non impediens, quò minus idem continuetur populus: at singulorum servitus pœnalis non egrediatur personas; noxâ caput sequente. *cit. §.*

CXXV. *An utraq; servitus, tam privata, quàm publica pœnalis, esse potest perfecta aut imperfecta?* A. Pro modo scil. meriti & inflictæ pœnæ. *cit. §.*

CAP. VI.

*De acquisitione derivativâ factò hominis; ubi de alienatione imperii,
& rerum imperii.*

I.

Quomodo aliquid nostrum fit acquisitione

tionem derivativam? R. Facto hominis, aut legis. §. I. n. 1.

II. *Quomodo hominis?* R. Homines rerum domini possunt dominiū transferre, aut totum, aut ex parte. *cit. n.*

III. *Cujus juris id est?* R. Naturalis, post introducta dominia. *cit. n.*

IV. *Quare?* R. Quia hoc inest in ipsā Dominiū pleni naturā. *cit. n.*

V. *Quae circa hac notanda?* R. Duo, alterum in dante, alterum in eō cui datur. *cit. n.*

VI. *Quid in dante?* R. Quod requiratur actus voluntatis rationalis, verbis, vel alio signo expressus. *cit. n.*

VII. *An non sufficit actus internus?* N. Quia hic non est congruens naturæ societatis humanæ. *cit. n.*

VIII. *Qualis autem debet ille Actus esse?* R. Voluntatis rationalis. *n. 2.*

IX. *An traditio requiritur, jure naturæ?* N. Sed tantum quarundam gentium legibus civilibus. *cit. n.*

X. *Quid in accipiente requiritur?* R. Naturaliter, & sepositā lege civili, voluntas accipiendi, cum suo signo. §. II.

num. 1.

XI. *An hac voluntas semper sequitur?*

N. Sed ordinariè. *cit. §.*

XII. *Quando igitur precedere potest?*

R. Si quis ante petiit sibi aliquid dari, aut concedi: voluntas enim durare censetur, nisi appareat mutatio. *cit. §.*

XIII. *An imperia possunt alienari? A.*

Et quidem tota summa, ab eò in cujus dominiò sunt: idque à Rege, aut populo. *§. III.*

XIV. *An regis consensus accedere debet, ut alienetur à populo? A.*

Quia ille quoque jus aliquod habet, quale usufructuarius; quod invito non debet auferi. *cit. §.*

XV. *An verò hac Alienatio etiam locum habet quoad totum summum Imperium? A.*

Affirm. *cit. §.*

XVI. *Quid insuper requiritur in alienatione partis imperii? R.*

Ut ea etiam consentiat, de quâ alienandâ agitur. Nam qui in civitatem coeunt, contrahunt societatem quandam perpetuam & immortalem, ratione partium integran-
tium: ita, ut corpori jus non sit partes à se abscindere, & aliù in ditionem dare. *§. IV.*

XVII.

XVII. *An parti jus est à corpore recedere?* N. Nisi evidenter se aliter servare non possit : nam summa necessitas rem reducit ad merum jus naturæ. §. V.

XVIII. *Cur hæc in re majus est jus partis ad se tuendam, quàm corporis in partem?* R. Quia hæc utitur jure, quod, ante societatem initam, habuit, corpus non item. §. VI.

XIX. *Si autem dicat aliquis, Imperium esse in corpore, tanquam in subjecto, ac proinde alienari ab eò posse, ut Dominium?* R. Est quidem in corpore, tamen ut subjecto adæquato, non divisibiliter in plura corpora, sicut anima est in corporibus perfectis. cit. §.

XX. *Nonne igitur hic locum habere potest necessitas, qua rem ad Jus naturæ reducit?* R. Quia in eò jure naturæ usus quidem comprehendebatur, ut usus, detentio, quæ sunt naturalia ; at non alienandi Jus, quod factò humano introductum est, atque ideò inde mensuram accipit. cit. §.

XXI. *An à populo libero, aut etiam à Rege potest alienari imperium in locum, id est*

id est pars territorii, puta non habitat a?

A. Si consensus populi accedat, quia territorium est commune populi, pro indiviso; ac proinde sub arbitrio populi. §. VII.

XXII. *Quid verò putandum de Actorum exceptionibus, quas regula de non alienandi Imperii partibus adjiciunt? Non admittendæ sunt, nisi hoc sensu, ut ubi eadem est utilitas communis, & corporis & partis, & facilè ex silentio etiam non longi temporis consensus, & populi & partis intervenisse videatur, facilius verò si etiam necessitas appareat.*

§. VIII.

XXIII. *Ubi verò manifesta est in contrarium voluntas aut corporis, aut partis? R. Tunc nihil actum debet intelligi; nisi ubi pars à corpore coacta est abscedere. cit. §.*

XXIV. *Pertinetne etiam ad hanc alienationem infeudatio? R. Quid ni: nam & hæc est conditionalis alienatio. §. IX.*

XXV. *An verò pars Imperii pignori dari poterit? N. Nisi simili consensu. cit. §.*

XXVI. *An populus potest jure hereditario*

tario concedere functiones civiles minores? R. A. Cum ea corporis summi que imperii integritatem non minuant. §. X.

XXVII. *An item Rex, inconsulto populo?* R. N. Si maneamus intra terminos naturales: potuit tamen populi consensus expressus, aut tacitus consuetudine introductus, id jus regi tribuere; quod jure usi olim Medi & Persæ, totas regiones donarunt, perpetuò jure tenendas. *cit.* §.

XXIIX. *An Rex potest alienare patrimonium populi, cujus fructus destinati sunt ad sustinenda onera reipubl. aut regia dignitatis?* N. Nec in totum, nec in partes; quia in hoc non habet jus majus usufructuariò. §. XI.

XXIX. *Si autem Res sit modica?* R. Neque tunc procedit: quia, quod meum non est, ejus nec exiguam partem alienare mihi jus est. *cit.* §.

XXX. *Quomodo distinguenda sunt res patrimonii, ab iis rebus, quæ sunt in fructu patrimonii?* R. Jus exigendi vectigalia, & confiscandi, est in patrimonio: in fructu verò, pecunia ex ejus juris exercitiò proveniens. §. XII.

XXXI.

XXXI. *An ex causâ possunt partes patrimonii à rege pignori opponi?* A. Si plenum habeat imperium, & jus nova tributa indicendi, ex causâ. §. XIII.

XXXII. *An testamentum quoque comprehenditur sub alienationis genere?* A. Quia substantia ejus est cognata dominio; eoque dato, juris naturalis: quam certas formas accipiat à legibus civilibus; estque alienatio in mortis eventum, ante eam revocabilis retentio interim jure possidendi & fruendi. §. XIV.

CAP. VII.

De acquisitione derivativâ qua fit per legem: ubi de successione ab intestato.

I.

Quotuplex est acquisitio derivativa si-
ve alienatio, qua fit per legem? R.
Ea fit lege naturæ, gentium, aut civili.
§. I.

II. *Quid notandum circa leges civiles?*
R. Quasdam earum esse planè injustas;
ut quæ bona naufragorum addicunt fi-

sco; mera enim injuria est, alicui dominium suum auferre, sine causâ probabili præcedente. *cit. §.*

III. *Quotupliciter fit alienatio, lege natura, quæ ex ipsâ dominii naturâ ac vi sequitur?* R. Dupliciter, expletione juris, & successione. §. II. n. 1.

IV. *Quomodo juris expletione?* R. Quoties ab eò qui rem meam detinet, vel mihi debet, accipio id quod meum nondum est, sed mihi dari debet: aut loco rei meæ, mihi ve debitæ, aliud tantundem valens; si rem ipsam consequi non possum. *cit. n.*

V. *An hoc injustum non est?* N. Nam quoties expletrix justitia non potest pertingere ad idem, fertur ad tantundem; quod morali æstimatione idem est: sic Hesioneus pro his, quæ filix suæ ab Ixione promissa non præstabantur, equos ipsius accepit. *cit. n.*

VI. *Anne transfertur dominium tali modo?* A. Cum juris mei explementum consequi nequeam, nisi fiam dominus. Frustrâ enim erit rei detentio, si eâ uti pro arbitrio non licet. *cit. n.*

VII. *An hoc semper habet locum?* N.

Sepo-

Sepositâ enim lege civili, sequeretur, id esse illicitum, ex institutione judiciorum. *cit. §. n. 2.*

VIII. *Quando igitur?* R. Ubi cessant judicia. *cit. n.*

IX. *Si per judicem ob defectum probationis, juris moraliter certi explementum obtineri non potest, estne adversario res relinquenda?* N. Nam ibi quoque judicia cessant & quilibet ipse judex est, cum, ubi lex judiciorum deficit ad pristinum jus rediri permittatur. *cit. n.*

X. *Quam originem habet successio ab intestato?* R. Naturalem, ex conjecturâ voluntatis. §. III.

XI. *At si moriens nullam edat voluntatis testationem?* R. Non tamen intelligitur ejus mentis fuisse, ut post mortem bona cederent occupanti, sed ejus fore cui maximè conveniebant, ex æquitate & honestate. *cit. §.*

XII. *An jure naturæ liberis alimenta debentur à parentibus?* A. Si vox debiti significet id, quod honestè non potest omitti: etiamsi honestas illa non proficiscatur ex justitiâ expletrice, sed ex aliò fonte. Qui enim causa est, ut ho-

mo existat, is tenetur ei prospicere de his, quæ necessaria sunt ad vitam humanam, naturalem ac socialem. §. IV. n. 1.

XIII. *An & vulgò quasitis & ex damnato coitu ortis?* A. Quia debitum hoc est naturale. n. 2, 3.

XIV. *An & parentibus alimenta debentur à liberis?* A. Sed hoc non est æquè ordinarium, atque illud; quia liberi nascuntur nihil secum adferentes, unde vivunt; ac diutius vivendum habent, quàm parentes. §. V. n. 1.

XV. *An avi aviaq; tenentur ad danda alimenta?* N. Dum parentes exstant? A. Si illi vel eorum alter defecerit. §. IV. n. 4. & §. VI.

XVI. *An ea voluntatis conjectura semper locum habet?* A. Nisi suppetant in diversum judicia. §. VII.

XVII. *Qua?* R. Abdicatio Græcis, & exhæredatio Romanis usitata; item si non satis constet, hunc illo esse genitum. Sed tamen hoc ita demùm, ut ei, qui mortem peccatis suis meritus non est, alimenta præstanda sint. cit. §. & VIII.

XIX. *Qui modo satis constat hac genituræ*

tura respectu matris? R. Ea certa est, propter partui & educationi præsentis.

§. VIII. n. 1.

XIX. *Quomodo respectu patris?* R. De hoc haberi nequit hujus gradus certitudo: attamen is probabiliter constat ex conjugio, cit. n.

XX. *Quid dicendum de adoptivis, ac naturalibus?* R. Illi succedunt, hi possunt adoptari. Sic Jacob eos adoptavit & æquavit liberarum mulierum filiis in hæreditate. n. 2.

XXI. *Quibus naturaliter deferenda est successio, si liberi desint?* R. Bona paterna avitaque salva debent esse generi, unde veniunt; quia gratiã referre oportet ei, qui benefecit: nisi aliud suadeat necessitas, amici scilicet indigentia, &c. §. IX. n. 1.

XXII. *Si non reperiatür is à quò bona proxime venerunt, nec ejus liberi?* R. Gratia referenda est parenti superioris gradus, ejusve liberis. n. 4.

XXIII. *Quid de bonis noviter acquisitis dicendum?* R. In iis succedet defuncto charissimus, cognatione proximus. §. X. num. 1.

XXIV. *Quid est successio ab intestato?*

R. Est tacitum testamentum ex voluntatis conjecturâ. *cit. §. n. 2.*

XXV. *An hæc necessaria sunt jure natura?* N. Sed ex diversis causis humanam voluntatem moventibus, solent variari pactis, legibus, moribus. §. XI. *num. 1.*

XXVI. *Si non sint expressa voluntatis indicia?* R. Credendum quemque id de sua successione statuisse, quod statuit lex, aut mos habet populi. *n. 2.*

XXVII. *An idem de summum imperium repentibus dicendum?* A. Nam & hi probabiliter creduntur in rebus suis æquissimum judicasse, quod aut legibus sanxerunt, aut moribus probant. *cit. n.*

XXVIII. *Quid dicendum de successione regnorum?* R. Ea quæ plenô modô possidentur & in patrimonio sunt, distinguenda debent ab his, quæ modum habendi accipiunt, ex voluntate populi. §. XII.

XXIX. *Quomodo ista se habent?* R. Dividi possunt inter mares & foeminas; adoptati veris liberis succedunt, ex præsumptâ voluntate; perveniunt ad eos ultimi possessoris proximos, qui primâ regem

regem sanguine non attingunt, si talis successio sit recepta. *cit.* §.

XXX. *Si dictum sit ne regnum dividatur?* R. Regnum habebit natu maximus, mas aut foemina; si non fit expressum cui cedere debeat; tunc autem coharedibus æstimatio repondenda.

§. XIII.

XXXI. *Quomodo deferuntur regna facta hereditaria libero consensu populi?*

R. Ex præsumptâ populi voluntate, quod maximè expedit, probante. §. XIV.

XXXII. *An hinc nascitur, ut regnum sit individuum?* A. Quia id plurimum valet ad regnum tuendum, ac civium concordiam. *cit.* §.

XXXIII. *An item ut successio stet inter eos, qui descendunt à primò rege?* A. Quia ea familia censetur electa ob nobilitatem: eâque finitâ, regnum redire ad populum. §. XV.

XXXIV. *An item, ne succedant, nisi, naturali secundùm leges patrias?* A. Nam naturales ad contemptum patent: & nobilitas generis regii magis reverendos efficit reges; majorque de iis spes concipitur quàm de adoptivis. §. XVI.

XXXV,

XXXV. *An mares fœminis sunt præferendi, inter eos qui pariter in hæreditatem admitterentur; sive, quia unius sunt gradus, sive, quia in parentum gradum, succedunt?* A. Quia magis idonei censentur ad bella, aliasque imperii partes. §. XVII.

XXXVI. *An natu maximus præferendus inter mares, aut fœminas, ubi mares deficiunt?* A. Quia is iudicio perfectior esse creditur, aut prior futurus. §. XIX. num. 1.

XXXVII. *Cur fœmina natu major non præferatur mari minori?* R. Quia hæc ætatis præstantia est temperanea, sexus autem perpetua. cit. n.

XXXIX. *An in hac successione locus etiam est representationi, ad excludendum patrum, & alios agnatos?* A. Si modo, qui hanc prætendunt, imperii sunt capaces. cit. §. n. 2.

XXXIX. *Estne regnum, huic in modum delatum, pars hæreditatis?* A. Separata tamen ab aliorum bonorum hereditate, qualis hereditas peculiaris in feudis quibusdam, Jure patronatus & præcipui, quod dicitur, conspicitur. §. XIX.

XL. Ad

XL. *Ad quem igitur pertinet regnum?*

R. Ad eum, qui bonorum hæres esse potest, si velit, sed ita, ut etiam omiſſis cæteris hæc ſola pars adiri poſſit. *cit. §.*

XLI. *Quare, eſſi etiam reliqua hereditas omittatur?* **R.** Quia populus regnum voluiſſe creditur, quàm optimò jure deferri, nec quicquam ejus refert, hereditas adeatur, nec ne, cum hereditarium ordinem non ob hoc elegerit, ſed ut certi quid eſſet, & reverentia conciliaretur ex ſanguine, ex genere & educatione ſpes eſſet præclaræ virtutis, & regni poſſeſſor regnum magis curaret, ſi id iis eſſet relicturus, quos ob acceptum beneficium & charitatem maximi faceret. *cit. §.*

XLII. *Quomodo ſucceditur, ſi regnum non eſt feudale?* **R.** Ex lege, quâ in alodiis ſuccedebatur, tempore regni inſtituti, quamvis poſtea hominum pro eò præſtitum ſit. *§. XX.*

XLIII. *Si eſt feudale?* **R.** Ex lege ſucceſſionis feudalis. *§. XXI.*

XLIV. *Quanam illa eſt?* **R.** Non ſemper Longobardica, ſed quæ in gente quæque

que fuit recepta, quò tempore data est prima investitura. *cit.* §.

XLV. *Qua est alia successio non hereditaria, sed linealis?* R. In quâ non observatur jus subitionis in locum, quæ repræsentatio dicitur; sed jus transmittendi futuram successionem: ut hoc ipsum jus necessariò transeat in posteros ex primò rege venientes. §. XXII. *num.* 1.

XLVI. *Quò ordine?* R. Ut primò vocentur liberi ultimi possessoris primi gradus, tam viventes quàm mortui; tùm verò inter hos ratio habeatur sexus primùm, deinde ætatis; si prævaleat jus mortuorum, transeat ad eos, qui ab ipsis descendunt, pari rursus inter pares prærogativâ sexus, & ætatis; salvâ semper transmissione vivorû in mortuos. *cit.* n.

XLVII. *Si liberi ejus desint?* R. Venitur ad proximos, simili transmissione, & inter pares in eadem lineâ; observatò discrimine sexus & ætatis: ita ut ob sexum & ætatem nunquam transeat de lineâ in lineam. *cit.* n.

XLIX. *Quomodo hac successione lineali cognaticâ, præferuntur filia filiis, aut*
bi

bi illis? R. Filia ex filio præfertur filio ex filiâ: filia ex fratre, filio ex sorore: item filius majoris fratris, fratri minori; quæ est regni Castellæ successio. *cit. n.*

XLIX. Quomodo in hac successione cognatica succeditur, si lex deficit? R. Idem ordo observatur, qui in publicis cœtibus. Quod autem in eò habeatur ratio literarum, signum est, spem à lege in jus animatam esse, ita, ut à morientibus in superstites transeat. *cit. §. n. 2.*

L. Quodnam est fundamentum hujus successionis, quatenus ab hereditaria differt? R. Spes Populorum de optimâ educatione eorum; qui spem regni habent justissimam; quales sunt, quorum parentes, si viverent, essent successuri. *cit. n.*

LI. Quæ est alia successio linealis agnatica? R. Marium ex maribus; idè introducta ne imperium ad peregrinos deveniret, per matrimonia foeminarum; quæ ex nobilissimi regni exemplò successio juris Francici dicitur. *§. XXIII.*

LII. An alii successionum modi possunt introduci? A. Et quidem populi voluntate; aut ejus, qui regnum ita habet
in

in patrimonio, ut id alienare possit.
§. XXIV.

LIII. *An filius à patre potest exheredari, ne in regnum succedat?* A. In regnis alienabilibus: cum à bonis aliis non differant. Sic Ruben à Jacobo privatus est jure primi natus, Adonia regno à Davide. §. XXV.

LIV. *An item in non alienabilibus?* N. Quamquam hereditariis; quia populus viam quidem elegit hereditariam: sed ab intestato. *cit.* §.

LV. *An quis potest regnum abdicare, aut jus in regnum succedendi, pro se & liberis?* A. In hereditariis; qui enim jus abdicat à se, nihil potest in liberos transferre. §. XXVI.

LVI. *An & in lineali successione?* N. Quia patris factum hic nequit nocere filiis natis, nec nascituris. *cit.* §.

LVII. *An de regni successione judicare potest rex regnans; aut populus, sive per se, sive per judices datos?* N. Judicio jurisdictionis; quia jurisdictio tantum est apud superiorem, qui hic non est; adeoque res hæc ad arbitros est referenda. §. XXVII. n. 1. s.

LIIIX.

LII. *Rex tamen prior certò respectu videtur superior sequente?* R. Non nuda tantum personæ ratio habenda est, sed etiam causæ cum omnibus circumstantiis. Quod autem hæc successionis causa regi nunc regnanti non sit subjecta, patet inde, cum hic successorem nullâ lege obligare possit. *cit. n. 1.*

LIX. *Quid sit tamen controversi juris sit hæc successio?* R. Rectè & piè facient, qui jus vindicant, si de Arbitris inter se conveniant. *cit. §. n. 2.*

LX. *Cur non potest populus?* R. Quia omnem à se jurisdictionem in Regem ejusque familiam lege regiâ contulit, unde eâ durante, nullas illius habet reliquias. *cit. n.*

LXI. *Quid, si controversia de primævâ populi voluntate incidit?* R. Consulendus est populus, qui tunc est. Nam idem, qui olim fuit, censetur. Neque ab ejus sententia est recedendum, nisi satis certò constet, olim aliam fuisse populi voluntatem. *cit. n.*

LXII. *An filius ante regni adoptionem natus præferendus nato in fortunâ regiâ?*
A. In individuò: quia partem ferret in divi.

dividuo; quod obtinuit Cyrus in Perside; Antipater in Judæa; Otho in Germaniâ. Quanquam Sparta factum aliter, ex propriâ lege Populi. §. XXIX. & XXIX.

LXIII. *An nepos ex filio priore, filio posteriori?* A. In lineali successione; quia mortui pro vivis habentur, in hoc, ut in liberos transmittant. §. XXX. n. 1.

LXIV. *Quid fiet in hereditariis dividuis?* R. Concurrent ad partes; nisi ubi subitio in locum non observatur. *cit. n.*

LXV. *Quid in individuis?* R. Ubi subitio in locum exclusa non est, neque semper nepos præfertur, neque semper filius secundo genitus: sed ut inter pares, potior erit is qui ætate præcedit. *cit. §. n. 2.*

LXVI. *Quid in successione lineali cognaticâ aut agnaticâ?* R. Nepos præfertur. *cit. n. 1.*

LXVII. *An frater superstes ultimi regis præfertur fratris majoris filio?* N. Quia æquitas naturalis nos cõducit in bonis avitis, ut liberi surrogentur parentibus: nisi jus aliud sit manifestum. §. XXXI.

LXIX.

LXIX. *An defuncti fratris filius, aut filia, praefendus regis patruo?* A. Et in lineali successione, & in hereditariâ; ubi subitio in locum mortui observatur. §. XXXII.

LXIX. *An item in regnâ, qua verbis praefens spectant gradum naturalem?* N. In his enim sexu aut ætate potior vincet. cit. §.

LXX. *An ex filiô nepos, filia?* A. Ob sexum. §. XXXIII.

LXXI. *An minor nepos ex filiô, nepoti majori ex filiâ?* A. In successione lineali, non in hereditariâ. §. XXXIV.

LXXII. *An neptis ex filiô primogenitô filium excludit in regnâ hereditariâ?* N. etiam admittâ subitio, quia inter capaces valet sexus privilegium. §. XXXV.

LXXIII. *An filia fratris natu maximi postponenda fratri regis natu minoris?* A. In regnâ hereditariâ. §. XXXVI.

CAP. VIII.

*De acquisitionibus qua vulgo dicuntur
juris gentium.*

I.

A Nomnia, qua de acquisitione, à Jctis Romanis Juris esse Gentium dicuntur, propriè eo reduci possunt? N. Plurima enim referenda aut ad Jus Naturæ, non quidem merum, sed quod sequatur dominium jam introductum; Aut ad ipsam legem civilem non solius populi Romani, sed multarum circa nationum. §. 1. n. 1.

II. *Quare hoc non est jus gentium proprie dictum?* R. Quia non pertinet, ad mutuam gentium inter se societatem, sed ad cujusque populi tranquillitatem. cit. §. n. 2.

III. *Occupatio eorum, qua nullius sunt; qualis est acquirendi modus?* R. Juris naturalis; introducto scilicet dominio: & quamdiu nulla lex aliud constituit; nam & dominium effici potest à lege civili. cit. §. n. 2.

IV. *An fera silvis privatis, & pisces stagnis inclusi, aequè sunt in dominio, quam qui in vivario aut piscinâ sunt?* A. Aequè enira

Enim includuntur : nec aliter differunt,
quàm custodiâ laxiori, aut angustiori.

§. II.

V. *An esse nostrâ desinunt fera custodi-
am nostram evadentes, & in naturalem
se recipientes libertatem?* N. Per se : sed
tantum ex conjecturâ probabili, quod
eas pro derelictis habere credamur, ob
difficilem persecutionem & recuperati-
onem : præsertim cum internosci ab al-
iis nequeant, quæ nostræ fuerint. §. III.

VI. *An hac conjectura semper certa?*
N. Sed eludi potest per addita crepun-
dia. *cit.* §.

VII. *Qualis possessio requiritur ad ac-
quirendum dominium?* R. Corporalis;
nec sufficit vulnerasse. *cit.* §.

VIII. *Quibus illa acquiritur?* R. Mani-
bus, & instrumentis, decipulis, retibus;
laqueis. §. IV.

IX. *An in nostrâ potestate sunt capta,
quibuslibet instrumentis?* N. Sed nostris.
cit. §.

X. *An capta quovis modo?* N. Sed ita
iis inclusa, ut inde exire nequeant. *cit.* §.

XI. *An hac ita sunt naturalia ut lege ci-
vili mutari nequeant?* N. Hæc enim non

sunt naturalia simpliciter, sed pro certo rerum statu; id est, si aliter cautum non sit. §. V.

XII. *Quomodo acquiruntur aliares hereditariae?* Eodem quo feræ: nam & hæ naturaliter sunt inventis & occupantis: sic Acanthos insula adjudicata est Chalcidensibus, qui priores intraverant: non Andriis, qui priores immigraverant jaculum: quia possessionis initium est, corporis ad corpus adjunctio. §. VI.

XIII. *Qualis ea est?* R. Circa res mobiles, ea maxime fit manibus; circa res soli, pedibus. cit. §.

XIV. *Cujus sunt thesauri, sive pecunie quarum dominus ignoratur?* R. Naturaliter inventoris, loco moventis, & apprehendentis; legibus tamen & moribus aliud constitui potest, in Germaniâ, Galliâ, Angliâ, Hispaniâ, Daniâ, sunt principis. §. VII.

XV. *Quorum sunt incrementa fluvialia?* R. Ripa, aut insula nata, aut alveus derelictus, sunt privatorum, in juris privati flumine. §. IX. n. 1.

XVI.

XVI. *Cujus in publicò?* R. Populi, aut ejus, cui populus dedit. *cit. §. n. 1. 2. 3.*

XVII. *An ager presumitur habitus derelictui, si gravissima sit inundatio?* A. Si non adsint aliqua signa, quæ retinendi domini animum notent; quæ possessio vel piscando retinetur. §. X. n. 1. & 2.

XIIX. *Qualis illa estimatio?* R. Hæc sicut qb varietatem circumstantiarum, naturaliter est indefinita, adeoque viri boni arbitrio permittenda; ita legibus civilibus definiri solet. *cit. §. n. 2.*

XIX. *Quid de alluvione dicendum?* R. Adjectio particularum, quæ à nemine vindicari possunt, est populi, si is flumen occupaverit dominio. §. XI.

XX. *Cujus alioqui?* R. Occupantis. *cit. §.*

XXI. *An non est proxima prædia possidentium?* A. Quia hoc iis à populo concedi potest: & concessum videtur, si agri illi ex parte non habeant alium finem, quàm naturalem, id est flumen. §. XII. *num. 1.*

XXII. *Quid censendum de relictâ ripâ, & alvei parte siccata?* R. In non occupatis,

patis , fiunt occupantis ; in occupatis fluminibus, populi. §. XIII.

XXIII. *An non & privatorum?* A. Si à populo, aut populi jus habente, agrum ad flumen excurrentem, quã talem, acceperint. *cit.* §.

XXIV. *Si quid emineat, cum proximis pradiis ita coherens, ut interjecta planities aquis superfundatur, eritne insula, an alluvio?* R. Maximè naturale est, ut discretum videatur id, qua majori temporis parte navigio transiri solet. §. XIV.

XXV. *An vasalli habent fluvialia incrementa?* A. Si cum illo definitò imperiò, simul agrorum universitatem acceperint, aut etiam flumen ipsum eis datum sit, secus, si nec hoc nec illud in investitura fuerit comprehensum; nisi aut mos regionis, aut longa possessio illis faveat. §. XV. n. 1. & 2.

XXVI. *Quid si non Imperium, sed ager in feudum datus?* R. Si is est arcfinius, alluvio feudo comprehensa censebitur, ex qualitate agri. *cit.* n. 2.

XXVII. *Cum amnis de agrò meò sepe partem deterat, an non æquum est, ut & ejus utriusque beneficiò?* N. Ut enim cujusque

que rei cum sequantur commoda, quem sequuntur incommoda, locum non habet, nisi ubi ex re nostrâ incommoda existunt; at hic existunt è flumine, quod alienum est. §. XVI.

XXIX. *An via publica impedit alluvionem?* A. Nisi ager privatus sit, qui viam debet. §. XVII.

XXIX. *Acquirendi modo per genituram animantium an naturale est, ut partus ventrem sequatur?* N. Si probabili ratione de patre constet: quia patris etiam pars est, quod nascitur. §. IIX.

XXX. *Si materia diversorum confundantur, cujus erunt?* R. Inducetur communio, pro ratâ ejus quod quisque habet: quia naturaliter alius exitus non datur. §. XIX. n. 2.

XXXI. *Si alterius sit materia, alterius species?* R. Fiet itidem communio, pro ratâ ejus quanti unumquodque est; si res constet materiâ & specie, tanquam suis partibus: utraque enim est substantiæ pars. cit. n.

XXXII. *An naturaliter speciem perdit malâ fide materiam tractans alienam?* N. Hoc enim est pœnale: natura verò

pœnas non determinat : nec per se dominia aufert ob delictum. §. XX.

XXXIII. *An pœna illa iniqua est ?* N. Quia naturale est ut pœnâ digni sint , qui delinqvunt. *cit.* §.

XXXIV. *An naturale est, ut res minor acquiratur majori ?* N. Sed civile ad commodius transigenda negotia, naturâ tamen non repugnante : quia lex domini dandi jus habet. §. XXI.

XXXV. *An plantata & confita solo cedunt naturaliter ?* N. Nam alimentum rei jam ante existentis partem duntaxat facit : adeoque domino seminis, plantæ aut arboris , naturaliter non perit suum jus. §. XXII.

XXXVI. *Quid igitur fiet naturaliter ?* R. Locum hic quoque habet communio. *cit.* §.

XXXVII. *Quid juris bonæ fidei possessor naturaliter habet in fructus ?* R. Imputandi impendia in rem facta , & operam utilem ; ac pro iis deducendi fructus perceptos, ac retinendi exstantes ; si aliter ei non fiat restitutio. §. XXIII.

XXXVIII. *Quid dicendum de male fidei possessore ?* R. Idem, si lex pœnalis non intercedat. §. XXIV.

XXXIX.

XXXIX. *Rectène Traditio modus acquirendi Juris Gentium dicitur?* N. Ad dominiū enim translationem naturaliter traditio non requiritur; quod & ipsi Jcti Romani in quibusdam casibus agnoscunt. §. XXV.

XL. *Quinam possunt casus recenseri?*
R. Hereditatis, legatorum, rei donatæ Ecclesiis & piis locis, aut civitatibus, aut causâ alimentorum; item bonorum, quorum universalis societas contracta est. *cit.* §.

XLI. *Quis usus est hæcenus dictorum?*
R. Ne quis, repertâ Juris Gentium voce apud Jctos Romanos statim id Jus intelligat, quod mutari non possit; sed diligenter distinguat naturalia præcepta ab his, quæ pro certo statu sunt naturalia: & jura multis Populis seorsim communia, ab his, quæ societatis humanæ vinculum continent. §. XXVI.

XLII. *Quid si unius populi lege introductus sit certus modus acquirendi, sine discrimine civis & peregrini?* R. Jam inde quoque exteris Jus nascitur, cujus consecutio si impediatur, injuria hæc belli causam justâ præbere potest. *cit.* §.

CAP. IX.

*Quando imperia vel dominia
desinant.*

I.

Quomodo alio, quam derelictione, desinant dominia? R. Sublatò subjectò, in quò est imperium vel dominium; ante alienationem expressam, vel tacitam. §. I.

II. *Si qua persona moriatur, nullà edità voluntate, nullò consanguineò relicto?* R. Interit omne jus quod habuit: servi fiunt liberi: populi, subditi fiunt sui juris; nisi libertatem suam ultrò deserant: res aliæ fiunt occupantis. *cit.* §.

III. *Si deficiat familia, qua jus aliquod habebat?* R. Idem dicendum. §. II.

IV. *Si populus?* R. Idem. §. III. n. 1.

V. *Quomoda verò dicuntur civitates esse immortales?* R. Eatenus dicuntur immortales, quatenus tales esse possunt; quia scilicet populus est ex eò corporum genere, quod ex distantibus constat, unique nomini subjectum est, quod habet spiritum unum. *cit.* n. 1.

VI. *De quo commodè interpretandum,
quod*

quod ait Seneca neminem nostrum eundem esse in senectute, qui fuit Juvenis?
R. De materia. cit. §. n. 2.

VII. Unde ortus mos loquendi; ut Populum, qui nunc est, alloquentes ei tribuamus, quæ eidem populo ante multa secula acciderunt? Ex principio restitutionis momentaneæ & $\frac{1}{2}$ illa five spiritu communi politico & vitali, quem tot millia trahunt. cit. n. 1. & 2.

II. Cur adjicitur vocabulum corporis? R. Ut excludatur particularum mutatio, quæ non efficit, ut populus esse, desinat, qui fuit, ne per annos quidem mille & amplius. cit. §. n.

IX. Quomodo populus interire potest?
R. Interitu corporis, vel ejus spiritus, five speciæ. cit. n.

X. Quomodo corpus? Sublatis simul partibus, sine quibus nequit subsistere: vel sublata corporis ratione. §. IV.

XI. Qui populus interit illo modo? R. Si mari abripiatur: si terræ motus eum penitus hauriat, aut chasma: si sponte se dent internecioni, aut ab hoste cives cuncti occidantur. cit. §.

XII. Quid si ex tali populo tam pauci
su-

super sint, ut populum facere nequeant?

R. Poterit in illo subsistere dominium, quod populus habet ad modum privatorum; non si quid populo competat, ut populo. *cit. §.*

XIII. *Quomodo corporis ratio tollitur?*

R. Si cives à societate discedant; idque vel sponte, ob pestilentiam, aut seditionem: vel vi bellicà distrahantur, ut coire non possint. *§. V.*

XIV. *Quid est corporis socialis species?*

R. Plena & perfecta vitæ civilis consociatio: cujus prima productio, summum est imperium. *§. III. n. 1.*

XV. *Quomodo hac interit?* R. Sublarà juris communitate; eaque omni, aut saltem perfectà: sive singuli personalem quoque servitutem subeant; sive libertate retentà, exuantur imperio: si redigantur in provinciæ formam; aut alterius ditionem subeant. *§. VI.*

XVI. *Si populus loco migraverit; sive sponte, ob inediã, aliave mala; sive coactus?* R. Populus esse non desinit, si maneat species, ut populus Carthaginensis, bello Punico tertio. *§. VII.*

XVII. *Si muri tantum urbis disjecti sunt*

sunt ? R. Multò magis idem manet : cum mænia non constituent civitatem , ut Messenii obtendebant. *cit. §.*

XIX. *Si gubernandi modi mutantur ?*

R. Idem manet populus , retinens dominium eorum, quæ populi fuerant , & in se imperium , idem est populus Romanus sub Regibus, Consulibus, Imperatoribus. *§. IIX. n. 1. §. 3.*

XIX. *Nonne hic obstat Aristotelis dictum, quò Reipublicæ formâ mutatâ, eadem esse negatur ?* R. Quia unius rei artificialis possunt plures esse species. Sicut enim legionis species una est , quâ regitur , altera , quâ militat ; ita civitatis species una est consociatio juris atque imperii , altera relatio partium inter se, earum , quæ regunt , & quæ reguntur. *cit. §. n. 2.*

XX. *An desinit debere pecuniam populus, rege sibi impositio, quam liber debebat ?* N. Quia idem est populus , qui antea erat , cum sui juris esset , dum rex ei præsit. Imperium enim quod in rege , ut in capite ; in populo manet , ut in toto, cuius pars est caput. *cit. §. n. 1. §. 3.*

XXI. *Si duo populi uniantur ?* R. Non amit-

amittentur jura ; sed communicabuntur : sic ex Sabinâ , Albanâ & Romanâ rebuspubl. una Quiritium facta est. §. LX.

XXII. *Si autem regna uniantur ?* R. Idem dicendum , si non fœdere , aut eoduntaxat , quod regem communem habeant , sed verâ unitate jungantur. *cit.* §. LX.

XXIII. *Si dividatur civitas quæ fuerat una ?* R. Plura summa imperia existent pro uno : cum suo jure in partes singulas sicut corpus Imperii Persici divisum est , in Alexandri successores. §. X.

XXIV. *Si quid commune sit ?* R. Id administrandum est communiter , aut pro rata portioibus dividendum. *cit.* §.

XXV. *Qua Romani Imperii fuerunt ; cujus nunc sunt ?* R. Eiusdem Romani Imperii. Non enim præsumenda videtur mutatio aut translatio , nisi certis documentis probetur. §. XLII.

XXVI. *Nonne satis mutatio aut translatio probatur ex Constitutione Antonini : Quotquot in Orbe Romano sunt , cives Romani effecti sunt ?* N. Consecuti enim sunt eâ constitutione subditi Romani imperii ea jura , quæ olim habebant ecolo-

loniæ, municipia & provinciæ togatæ : non ut in aliis populis itidem, ut in populo Urbis, fons imperii esset. *cit. §. n. 2.*

XXVII. *Quid in hoc puncto de translatione sedis Imperatorie Constantinopolim factâ sentiendum?* R. Nec ex hoc mutatio probanda erit; cum, cessâ Constantinopolitanis Imperatoris electione, rati habitationem populus totus sibi servavit. Quare jure eorum pendebat à voluntate Populi Romani. *cit. n. 2.*

XXVIII. *An is, qui ex electione septem Principum lectus est, statim fit Imperator Romanus?* N. Electus enim jus habet imperandi Germanis: ex approbatione verò populi Romani fit demum Imperator Romanus. Hinc Episcopus Romanus, vacante Imperio, investiturus tribuit feudorum Imperii Romani, quia scilicet in populo Romano, tali tempore libero, primas obtinet. *cit. §. n. 4.*

XXIX. *An persona heredis eadem censetur cum personâ defuncti?* A. Quoad continuationem dominii, tam publici, quam privati, §. XII.

CAP. X.

*De obligatione quæ ex dominio
oritur.*

I.

Quomodo adversum nos obligatio nascitur, ex eo jure quod nobis competit in personas, aut res? R. Aut è rebus exstantibus, aut non exstantibus. §. 1. n. 1.

II. *Quomodo ex istis?* R. Ut is qui rem nostram in suâ potestate habet, quantum in se est, teneatur efficere, ut in nostram potestatem veniat. n. 2.

III. *Antenetur ad reddendam eam suis impensis?* N. Sed indicare, ut alter suum possit recipere. cit. n. 2.

IV. *Obligatio quotuplex?* R. Aut ex delicto, aut ex re. n. 3.

V. *An quis alterius delictò se potest liberare à culpâ, si res captas suas facit?* R. Is etiam injustitiæ accusatur, qui rem retinet; & talismodi injustitiam, ut singularem, etiam singulari DEI prudentia vindicatam notavit Xenophon. cit. n.

VI. *Quid per bonam fidem hic intelligitur?* R. Ut non commissam recipiat is, qui dedit. n. 4.

VII.

VII. *Quid Justitia est hoc in passu?*

R. Est, quæ suum cuique ita tribuit, ut non distrahatur ab ullius personæ justiore repetitione. *cit. n. 4.*

IIX. *An etiam is, qui rem suam ignorans depositam accepit, eam reddere tenetur?* N. Quia etiam nullus habet justiore repetitionem ex jure illò, quod ipsò dominiò æquævum est. *cit. n.*

IX. *An ad dominium probandum, jus, quod applicari debet, certam originem habere debet?* N. Nam ad domini naturam nil refert, an ex gentium, an ex Civili jure oriatur. Semper enim secum habet, quæ sibi sunt naturalia, inter quæ est obligatio cujusvis possessoris ad rem domino restituendam. *n. 5.*

X. *Quo jure res ab his, qui non ex justâ possident causâ, condici possunt?* R. Jure Gentium, juxta Martianum. *cit. n.*

XI. *An quis domino reddere tenetur rem quam invenit?* A. Nec potest inventionis præmium petere. *cit. n.*

XII. *An inventor, rei aliena fructus sibi attribueret potest?* R. Reddendi sunt fructus, salvis impensis. *cit. n.*

XII. *Quid de rebus non exstantibus*

L

buma-

humano generi placuit ? R. Ut factus ex alienâ re locupletior in tantum teneatur, in quantum locupletior factus est: quia plus habet, quatenus ex alienô lucratus est; cùm verus dominus minus habeat. §. 11. n. 1.

XIV. *Cur introducta Dominia? R. Ad servandam æqualitatem, in eò scilicet, ut quisque suum haberet: contra naturam enim est, ut ex hominis incommodò, suum quis augeat commodum. cit. n.*

XV. *Quisnam dicendus dolum fecisse malum? R. Qui ex alienâ jaçturâ lucrum quærit. n. 2.*

XVI. *Quid notat vox doli mali? R. Omne id, quod juri & æquitati repugnat. cit. n.*

XVII. *Quamnam actionem habet & contra quem, fidejussor, qui jussu alterius & persuasû fidejussit pro tertio? R. Adversus tertium mandati actionem non habet, quia intuitu alterius fidejussit: Interea tamen datur ei actio negotiorum gestorum utilis adversus tertium. cit. n. lit. b.*

XIIX. *Quanam actio instituenda est, si servus meus mihi surripuit nummos, & ad alterum*

alterum detulit ac consumpsit, contra consumentem? R. Condictio eò nomine, mihi adversus consumentem competit, quasi res mea ad eum sine causâ pervenit. cit. n. lit. d.

XIX. *An pupillus obligari potest? A. Quando locupletior est factus. cit. n. lit. e.*

XX. *An is, qui cum meò debitore contrahit, putans rem esse debitoris mei, quæ tamen verè mea est, mihi obligatur? A. Non, quia ego eidem hanc pecuniam credidi, (hoc enim, nisi inter consentientes, fieri non potest) sed quia pecunia mea, quæ ad eum pervenit, eam mihi ab illò reddi æquum & bonum est. cit. n. lit. g.*

XXI. *An bona fidei possessor tenetur ad restitutionem, si res perierit? N. Quia nec res ipsa apud eum est, nec lucrum ex re. §. III.*

XXII. *In quantum male fidei possessor tenetur? R. Ultra rei rationem etiam ex factò suò tenetur. cit. §.*

XXIII. *An tenetur ad restituendos etiam fructus exstantes? A. Nam qui dominus est rei, idem naturaliter dominus est fructuum rei. §. IV.*

XXIV. *An & fructus industriae?* N. Quamvis enim sine re non procederent, rei tamen non debentur. *cit. §.*

XXV. *An & res & fructus consumptos?* A. Si modò aliàs quoque tantundem consumpturus fuerat: nam in hoc locupletior censetur. §. V.

XXVI. *An fructus, quos percipere neglexit?* N. Quia nec rem habet, nec quidquam quod rei loco succedit. §. VI.

XXVII. *An tenetur, si rem sibi donatam alteri donaverit?* N. Nisi omninò sine hac re tantundem donaturus fuisset: tunc enim lucrum erit, suæ rei peperisse. §. VII.

XXVIII. *An si rem emtam vendiderit?* N. Nisi quatenus fortè pluris vendiderit. §. VIII.

XXIX. *Si donatam vendiderit?* A. Ad restituendum nempe pretium: nisi fortè illud prodegerit, aliàs non producturus. *cit. §.*

XXX. *An res aliena, bonâ fide emta, restituenda est sine repetitione pretii erogati?* A. Nisi quatenus dominus rei suæ possessionem probabiliter non potuit recipere sine aliquò impendiò: tunc enim

enim deduci poterit, quantum dominus libenter fuerat impensurus. §. IX. n. 1.

XXXI. *Quando quis rem meam gerit, non mei contemplatione, sed sui lucri causa, quomodo & in quantum ego obligor, si etiam circa res meas aliquid impenderit?*

R. Obligor non quidem in id, quod dedit, sed in id, in quò ego factus sum locupletior. *cit. §. n. 2.*

XXXII. *An domini rerum, quarum jactu navis levata est, debent partem recuperare ab aliis, quorum res jactu servate sunt?* A. Quia & in hoc locupletior videtur, qui rem alioqui perituram servavit. *cit. n.*

XXXIII. *Qui rem alienam emit, an eam potest restituere venditori, ut pretium servet?* N. Quia cœpit obligatio restituendi, ex quò res fuit in ejus potestate. §. X.

XXXIV. *Qui rem habet, cujus dominus ignoratur, an naturaliter eam pauperibus dare tenetur?* N. Quia ex dominio nemo jus habet præter dominum: qui, si non appareat, tantundem est, ac si non sit, quoad eum, cui non apparet.

§. XI. *vid. cap. XI. §. 3.*

XXXV. *An restituendum est acceptum quod causam turpem, aut honestam, ad quam quis obligabatur?* N. Quia ratione rei nemo tenetur, nisi res sit aliena: hic autem dominium transit, ex prioris domini voluntate. §. XII.

XXV. *An dominium rerum alienarum transit in nos sine consensu domini; si res ea pondere, numero, mensurâ seleant aestimari?* N. Tales enim res possunt quidem restitui per id, quod genere idem est: sed si consensus præcesserit, aut præcessisse intelligatur ex lege vel more, ut in mutuo; aut si res exhiberi nequeat, utpote consumpta. §. XIII.

CAP. XI.

De Promissis.

E.

AN Jure Nature ac Gentium etiam ea pacta, qua non habent *ovádlayua*, aliquam inducunt obligationem? A. Alias sequeretur inter Reges & populos diversos, pactorum, quamdiu nihil ex iis præstitum est, vim esse nullam, præsertim in locis, ubi nulla certa forma foederum

rum

rum aut sponſionum reperta eſt. §. I. n. 1.

§. 3.

II. *Quibus verò rationibus diſſentientes, imprimis Franciſcus Conmannus, utuntur?* R. Primò, quod non minor ſit culpa ejus, qui temerè nullà de cauſà pollicenti credit, quam ejus, qui vanitatem adhibuit promiſſionibus. Deinde quod fortunis omnium magnum imminet periculum, ſi promiſſo, quod ſæpè ex oſtentatione magis, quam ex voluntate proficiſcitur, aut ex voluntate quidem, ſed levi ac parum conſiderata, tenerentur homines. Poſtremò quod juſtum fuit aliqua honeſtati cujuſque relinquere, nec ad neceſſitatem obligationis exigere: turpe eſſe promiſſa non implere, non quod injuſtè id fiat, ſed quod detegatur promiſſionis levitas. *cit. §. n. 2.*

III. *An ex promiſſis jus oritur naturaliter?* A. Quia nihil adeò congruum eſt humanæ fidei, quàm ea ſervare, quæ inter eos placuerunt. n. 3. §. 4.

IV. *Ut hæc de promiſſis rectè intelligantur, quid notandum?* R. Tres eſſe gradus loquendi de rebus futuris, quæ noſtræ ſunt poteſtatis, aut fore putantur. n. 5.

L 4

V. *Quis*

V. *Quis est primus?* R. Assertio, explicans de futuro animum, qui nunc est. §. II.

VI. *Quid ad hanc requiritur ut vitio careat?* R. Veritas cogitationis pro tempore præsentis. *cit.* §.

VII. *An etiam ut in eâ cogitatione perseveretur?* N. Habet enim animus humanus non tantum potentiam naturalem mutandi consilium, sed & jus. *cit.* §.

VIII. *Quid si in mutatione sententiæ vitium sit aliquod, aut accedit?* R. Id non est intrinsecum mutationi, sed ex materiâ, puta, quia prior sententiæ erat melior. *vit.* §.

IX. *Quis est alter gradus?* R. Pollicitatio, quâ voluntas seipsam pro futuro tempore determinat, cum sufficienti significatio ad indicandam perseverandi necessitatem. §. III.

X. *An hæc Pollicitatio, sepositâ lege civili, obligat?* A. Idque vel absolute, vel sub conditione fit. *cit.* §.

XI. *An eadem Pollicitatio dat alteri jus proprium?* N. Itaque ex eâ, is, qui pollicitus est ad implendam fidem, cogi non poterit, jure naturæ. *cit.* §.

XII.

XII. *Ergò evenire potest, ut obligatio sit in nobis, nullum tamen Jus exigendi in alio?* A. Sicut in debitò misericordiæ & gratiæ reponendæ apparet, quibus simile est hoc debitum constantiæ seu fidelitatis. *cit. §.*

XIII. *Quis est gradus tertius?* R. Ubi ad talem determinationem accedit signum volendi jus proprium alteri conferre: & hæc est promissio perfecta. §. IV. *num. 1.*

XIV. *Qualem effectum hæc habet?* R. Qualem habet alienatio domini; est enim via ad alienationem rei, aut alienatio partiæ cujusdam nostræ libertatis: illuc pertinent promissa dandi, huc faciendi. *cit. n.*

XV. *Unde verò hoc, ut promissa præstentur, venit?* R. Ex naturâ immutabilis Justitiæ, quæ DEO, & omnibus his, qui ratione utuntur, suò modò communis est; hinc DEUM ipsum, qui nullâ constitutâ lege obstringi potest, contra naturam suam facturum, nisi promissa præstaret. *cit. n.*

XVI. *An verò pacta & promissa indistinctè pariunt Obligationem?* N. Sed de libe-

liberatò inita ; quod enim fit animò non deliberatò , id ad vim obligandi non pertinere credimus. *cit. §. n. 3.*

XVII. *Sed solane stipulatio est certum deliberati animi signum?* N. Possunt enim naturaliter deliberati animi alia quæque esse signa præter stipulationem ; aut si quid ei simile, ad actionem parandam, lex civilis postulat. *cit. n.*

XIX. *Quid verò, si promissio deliberatò fit, sed non eò animò, ut Jus proprium concedat alteri?* R. Ex eò negamus Jus exigendi cuiquam naturaliter dari ; quanquam non solam hinc honestatem, sed & necessitatem quandam moralem nasci agnoscimus. *cit. v.*

XIX. *An ad perfectam promissionem, requiritur usus rationis?* A. Ideoque furiosi, amentis, & infantis nulla est promissio. *§. V. n. 1.*

XX. *An item minorum & feminarum?* N. Quamvis enim non satis firmum iudicium habere credantur, tamen hoc perpetuum non est ; nec per se sufficit ad actus vim elidendam. *cit. n.*

XXI. *Legibus tamen irritæ sunt pupillorum & minorum promissiones?* R. Sed civi-

civilibus, cum jure naturali & gentium non confundendis: juris tamen naturalis est, & illas servari, quibus in locis illæ obtinent. *cit. §. n. 2.*

XXII. *Quando autem puer ratione uti incipit?* R. Non potest hoc certò defini, sed ex quotidianis actibus, aut etiam ex eò, quod communiter in quavis regione accidit, desumendum est. *cit. n.*

XXIII. *Quid apud Hebræos hoc in casu obtinebat?* R. Valebat promissio quam fecisset Adolescens, qui annum implevisset decimum tertium: Puella, quæ duodecimum. *cit. n.*

XXIV. *An etiam legibus hisce civilibus tenetur peregrinus cum civis paciscens?* A. Quia, qui in locò aliquò contrahit, illius loci legibus subicitur, tanquam subditus temporarius. *cit. n.*

XXV. *Si pactio fiat in mari, insulis vacuis, per literas inter absentes, aut à summam potestatem habentibus?* R. Aliud dicendum: cum talia pacta solò jure naturæ regantur. *cit. §. n. 3.*

XXVI. *Quid verò de pacto errantis dicendum?* R. Distingvi solet inter errorem circa substantiam rei, & qui non sit

fit circa substantiam ; an dolus causam dederit contractui, an non : fueritne alter, quicum actum est, doli particeps: sitne actus stricti Juris, an bonæ fidei. Nam pro harum rerum varietate alios actus irritos pronunciant scriptores, alios validos quidem, sed ut arbitrio ejus, qui læsus est, rescindi possint aut reformari. §. VI. n. 1.

XXVII. *An vim habet promissio fundata in presumptione facti se non ita habentis?* N. Quia promissor non consentit, nisi sub conditione reipsâ non existente: jam verò, veritate facti deficiente, deficit totum legis fundamentum. v. g. si quis alium instituat heredem, falsò credens, filium suum esse mortuum. cit. §. n. 2.

XXIIX. *Quid verò si Lex in tali presumptione sit fundata?* R. Ex legis materiâ, verbis, & circumstantiis colligendum. cit. n.

XXIX. *Quid si promissor negligens fuit in re explorandâ, aut in sensu suo exprimendò, & damnum alter inde passus sit, teneturne id resarcire promissor?* A. Non autem

autem ex vi promissionis, sed ex damnò per culpam datò. *cit. §. n. 3.*

XXX. *An & errore quid promittens obligatur?* R. Aut talis adfuit error, in quò fundata erat promissio, aut non: posteriori casu ratur erit actus; priori non item. *cit. n.*

XXXI. *Quod si tamen pro parte tantum fundata fuerit errore promissio?* R. Valebit pro parte reliqua, nisi is, cui promittitur, dolo errori causam dederit. *cit. n.*

XXXII. *Quid de pacto metu inito dicendum?* R. Distingvi solet inter metum *gravem* absolutè, vel ratione habità personæ metuentis, & *levem*: illatum justè & injustè; ab eò, cui promittitur, vel ab aliò; item inter actus liberales & onerosos. Et pro his diversitatibus *alii* actus dicuntur irriti, *alii* ad arbitrium promittentis revocabiles, *alii* in integrum restituendi. §. VII. n. 1.

XXXIII. *An obligatur metu aliquid promittens?* A. Naturaliter: quia hic adfuit consensus absolutus: lex autem civilis obligationem tollere potest aut minuere. n. 2.

XXXIV.

XXXIV. *Si metus injustus fuerit illatus, atq; inde secuta sit promissio? R. Qui cum incussit, tenetur ad liberandum promissorem, si hic velit; ob damnum injuriâ datum. cit. n.*

XXXV. *An ob metum ab alio incussum, quam quò cum actum est, actus quidam rescinduntur? A. Ex Lege Civili, quæ sæpè etiam actus liberè factos, ob judicii infirmitatem, aut irritos facit, aut revocabiles. cit. §. n. 3.*

XXXVI. *Qualis requiritur materia promissi, ad ejus efficaciam? R. Quæ sit aut esse possit in jure promittentis: ex eò enim jure vim accipit; neque extenditur ultra. §. IX. n. 1.*

XXXVII. *Ergò non valent promissæ facti per se illiciti? A. Quia ad illa nemo jus habet, nec potest habere. cit. n.*

XXXIIX. *Si res nunc quidem in promittentis potestate non sit, sed esse aliquando possit? R. Efficacia erit in pendentem; quia tunc promissio facta ceneri debet sub conditione, si res in potestatem venerit. cit. §. n. 2.*

XXXIX. *Si ipsa conditio quâ res in potestatem venire posset, sit potestativa? R.*

Tene-

Tenebitur promissor facere, quidquid moraliter æquum est, ut ea impleatur. *tit. n.*

XL. *Quid si iniustitia promissarii causam promissioni dederit, aut inæqualitas sit in contractu?* R. Tunc damnum per extorsionem datum, aut inæqualitas in contractu reparanda veniunt. §. IX. & X.

XLI. *An valet promissio facta ob causam naturaliter vitiosam?* R. Crimine non perpetrato, promissionis efficacia est in pendentem: at eò perpetrato, vis obligationis exseritur; sic Juda solvit mercedem promissam Thamari, quam putabat meretricem. *tit. §.*

XLII. *Quod promittitur ob causam debitam, an id eò minus debetur, jure natura?* N. Nam & sine ullà causà promissum deberetur. §. X.

XLIII. *Quid requiritur ad promittendi modum?* R. Actus externus, signum, scilicet sufficiens voluntatis, nutus, vox, literæ. §. XI.

XLIV. *An etiam obligamur per alterum?* A. Si constet de nostrà voluntate, quã illum elegerimus ut instrumentum nostrum;

nostrum; aut speciatim ad hoc; aut generatim. §. XII.

XLV. *An accidere potest, ut prepositus noster nos obliget, agendo contra nostram voluntatem sibi soli significatam?* A. In præpositione generali: alius enim est actus, quo nos obligamur ratum habere, quod ille in tali faciat negotio; alius, quo illum obligamus nobis, ne quid agat, nisi ex præscripto sibi cognitò, non aliis. Quod locum habet in iis, quæ legati quandoque promittunt pro regibus, ex vi instrumenti procuratorii, excedendo arcana mandata. *cit.* §.

XLVI. *Quò jure nituntur exercitoria & institoria?* R. Ipso jure naturali. §. XIII.

XLVII. *Exercitoria & Institoria suntne actiones, vel potius qualitates actionum?* R. Non tam actiones sunt, quàm qualitates Actionum. *cit.* §.

XLIX. *An Romanis legibus rectè introductum, ut exercitores singuli teneantur in solidum, ex factò magistri?* N. Quia hoc neque naturali convenit æquitati; sufficit enim ut singuli pro suâ parte conveniantur: neque est utile pu-

publico ; quia hęc pactò ab exercendis navibus homines absterrentur. *cit. §.*

XLIX. Quid apud Hollandos obtinet?

R. Et nunc, & olim Lex illa Romana observata non est, imò contra constitutum, ne Exercitoriã, etiam Universi, amplius teneantur, quàm ad æstimationem navis, & eorum, quæ in navi sunt. *cit. §.*

L. *An acceptatio requiritur, ut promissio jus transferat?* A. Ita tamen, ut præcedens rogatio durare intelligatur, & acceptationis vim habere. *§. XIV.*

LI. *Sufficitne fieri acceptationem, an verò illa debet etiam innotescere promissori?* R. Utròque modò fieri potest promissio, vòlo ut valeat, si acceptetur; aut vòlo ut valeat, si acceptatum intellexero. *§. XV.*

LII. *In quibus promissis præsumitur fuisse sensus prior?* R. In merè liberalibus, nisi aliud impediatur. *cit. §.*

LIII. *In quibus posterior?* R. In his, quæ ad mutuam obligationem pertinent. *cit. §.*

LIV. *An promissum licitè revocatur ante acceptationem?* A. Quippe jure

M

non-

pondum translato : si reverâ eò animò factum sit, ut valere demùm incipiat ab acceptatione. §. XVI.

LV. *An item ante acceptationem mortuò eò cui promissum erat ?* A. Videtur enim acceptatio collata in arbitrium illius, non hæredum. *cit. §.*

LVI. *An eò mortuò qui lectus erat voluntatis internuncius ?* A. Quia obligatio fuerat in illius verbis posita. §. XVII. *num. 1.*

LVII. *An item tabellariò ?* N. Quia is non est instrumentum obligationis, sed tantùm perlator instrumenti obligatorii : literæ verò consensus indices per quemvis transferri poterunt. *cit. n.*

LIX. *An revocatio promissionis innotescere debet ministro ?* N. Si tantùm sit electus ut promissionem significet. *cit. n.*

LIX. *Si electus sit ut ipse promittat ?* A. Quia jus promittendi ab ipsius voluntate pendeat : eaque vacabat culpâ, necdum cognitâ revocatione. *cit. n.*

LX. *An non in dubiò mandantis voluntas fuisse censetur, ut impleatur mandatum ?* A. Nisi magnâ mutatio inciderit, qualis est mors mandantis. *cit. §. n. 2.*

LXI.

LXI. *Sed an non adesse possunt conjectura, quæ aliud suadeant?* A. v. g. si quid piâ causâ dari mandatum est. *cit. num. 2.*

LXII. *Quid si acceptatio pro alterò facta?* R. Distingvendum est inter promissionem mihi factam de re dandâ alteri, & inter promissionem in ipsius nomèn collatum, cui res danda est. §. XVIII. *num. 1.*

LXIII. *Sed quale jus naturaliter datur mihi acceptanti?* R. Efficiendi, ut jus ad alterum perveniat, si & is acceptet. *cit. n.*

LXIV. *An mediò tempore poterit illa revocari à promissore?* N. Sed ego cui facta est, possum eam remittere. *cit. n.*

LXV. *Si sit collata in nomen ejus cui danda res est?* R. Si acceptans habet mandatum, promissio planè perficitur ex tali acceptatione. *cit. §. n. 2.*

LXVI. *Si mandatum deficiat?* R. Si acceptet alius, cui promissio facta non est, volente promissore, non licebit promissori eam revocare; antequam is, quem promissio spectat, eam habuerit ratam aut irritam: nec, qui acceptavit, potest eam remittere mediò illò tempore. *cit. n.*

LXVII. *Quid si onus promissioni adjectum?* R. Onus promissioni in commodum tertii adjectum, revocari potest, quamdiu à tertio acceptatum non erit.

§. XIX.

LXIX. *An nullus datur casus exceptus?*

A. Si verba, aut negotii materia obligationem inducant strictiorem. *cit.* §.

LXIX. *An actus externus requiritur ad confirmandam promissionem, cui error causam dedit; si re cognita promissor stare velit promisso?* A. Sed non ubique, verbis factus: cum sufficiat retentio, ex parte ejus cui promittitur; & relictio ex parte promittentis, aut quid simile.

§. XX.

LXX. *An naturaliter irrita sunt promissiones, causam expressam non habentes?* N. Non magis quam donationes.

§. XXI.

LXXI. *An ad id quod interest tenetur is, qui factum aliquod promisit?* N. Si non omiserit quod facere poterat, ad factum illud obtinendum. §. XXII.

CAP.

CAP. XII.

De Contractibus.

I.

Actus humani, qui ad aliorum hominum utilitatem tendunt, quotuplices sunt? R. Alii sunt simplices, alii compositi sive mixti: & simplices iterum, alii benefici, alii permutatorii. §. I. & II.

II. *Benefici quotuplices?* R. aut meri, aut cum mutuâ quadam obligatione. Illi rursus aut in præsens absolvuntur, aut in futurum prominent. *cit.* §. II.

III. *Quomodo in præsens?* R. Hôc modo absolvitur factum utile & donatio. *cit.* §.

IV. *Quomodo in futurum?* R. In hôc prominent promissiones tum dandi, tum faciendi. *cit.* §.

V. *Quid sunt actus benefici cum mutuâ obligatione?* R. Qui aut *de re* disponunt sine alienatione; aut *de facto*, ita, ut aliquis effectus supersit. *cit.* §.

VI. *Qualis ille?* R. Talis est circa rem usus concessio, quæ commodatio dicitur: *in factis* præstatio operæ sumptuosa aut obligatoria, quæ dicitur man-

M 3

datum,

datum, cujus species est depositum, cit. §.

VII. *An his actibus smites sunt actuum promissiones?* A. Nisi quod hæ in futurum pronlineant. cit. §.

IX. *Quotuplices sunt actus permutatorii?* R. Hi aut partes dirimunt, aut communionem adferunt. §. III. n. 1.

IX. *Diremtorii quomodo dividuntur de Jure Civili?* R. In nominatos & innominatos. cit. §. n. 2.

X. *Estne hac divisio etiam Juri Naturæ cognita?* N. Neque enim contractus innominati minus naturales sunt, aut minus antiqui, quam nominati. Sufficiunt igitur tria summa genera: do ut des, facio ut facias, facio ut des. n. 3. 4. 5.

XI. *Actus communicatorii quotuplices?* R. Ipsi aut facta communicant, aut res, aut hinc res, inde facta, ad utilitatem societatis communem; in quò genere quoque bellica comprehenditur, qualis est Admiralitas. §. IV.

XII. *Quomodo dividuntur actus compositi?* R. Sunt mixti aut principaliter, aut per accessionem alterius. *Priorum exempla exhibent, v. g. si sciens rem,*

majoris emam, & quod pretiò justò deest, alteri condonem; si fabro pecuniam promittam, ut de suò aurò mihi anululum faciat; si in societate alter factum & pecuniam, alter pecuniam tantum contribuat; quibus addenda concessio Feudalis, Emphyteusis & Fœnus nauticum. §. V.

XIII. *Ubi sit mixtio per accessionem ad alterum actum?* R. In fidejussione & pignoris datione. §. VI.

XIV. *Quinam actus appellantur nomine contractuum?* R. Omnes actus aliis utiles, extra merè beneficios. §. VII.

XV. *An natura imperat equalitatem in contractibus?* A. Ita ut ex inæqualitate jus oriatur minus habenti. §. IIX.

XVI. *Qui cum aliquò contrahit, an significare tenetur vitia sibi nota ejus rei de quâ agitur?* A. Quia inter contrahentes propior quædam societas est, quam quæ communis est hominum. §. IX. n. 1.

XVII. *An si rem non contingant?* N. Ut si quis sciat multas naves esse in adventu, quæ merces advehant quas vendimus. cit. §. n. 2.

XIIX. *Quæ debetur equalitas in voluntatis*

tatis usu? R. Ne quis metus incutiatur, contrahendi causâ: aut ut dematur, si quis incussus fuerit. §. X.

XIX. *Qua desideratur æqualitas in ipsò actu principali?* R. In contractibus permutatoriis sollicitè observandum, ne plus exigatur, quàm par est. §. XI. n. 1.

XX. *Sed si pars altera amplius quid promittit, an fortè donatum censeri poterit?* Quod enim hosce contractus in euntes promittunt aut dant, credendi sunt promittere aut dare tanquam æquale ei, quod accepturi sunt, utque ejus æqualitatis ratione debitum: nisi de animò aliter constet. *cit. n.*

XXI. *Quid de contractibus beneficiis sentiendum?* R. In his dicta æqualitas locum vix habebit. Nam si quis aliquid mercedis stipuletur, non injuriam faciet, sed contractum miscebit. *cit. n.*

XXII. *Quid si in re exiguâ deprehendatur inequalitas?* R. Nihilominus sequi debent contrahentes, quod æquum esse ipsis ratio recta dicat; si modò leges non jus dant aut tollunt, sed juri duntaxat ob certas causas auxilium suum denegant. *cit. §. n. 2.*

XXIII.

XXIII. *Si deprehendatur inæqualitas in re, sine culpâ partium?* R. Ea refarcienda est; ac plus habenti demendum, reddendumque minus habenti; quia in contractu propositum utrinque fuit, aut esse debuit, ut uterque tantundem haberet. §. XII. n. 1.

XXIV. *Quenam æqualitas spectatur in beneficiis?* R. Non quidem omnimoda, sed ex suppositione ejus quod agitur, ne quis damnum sentiat ex beneficio. §. XIII. n. 1.

XXV. *Quomodo id observandum respectu mandatarii?* R. Is debet indemnis præstari à sumptibus factis, ac damnò, in quod incidit ex causâ rei mandatæ. *cit. num.*

XXVI. *Quomodo respectu commodatarii?* R. Hic rem refarcire tenetur, si perierit: nisi & apud dominum omninò peritura fuisset. *cit. n.*

XXVII. *Respectu depositarii?* R. Hic non tenetur, si res periit; quia nihil recipit præter fidelitatem. *cit. n.*

XXIX. *Pignoris & locati?* R. Qui rem accepit nec de quovis casu tenetur, ut commodatarius: & majorem diligentiam

tiam præstare debet quam depositarius.
cit. num.

XXIX. *Cæterorum contractuum?* R. Ad hanc formam de illis quoque iudicium est faciendum. *cit. §. n. 2.*

XXX. *Sed hæc omnia Romanis quidem congruunt legibus?* R. Non ex illis primitus, sed ex æquitate naturali veniunt. *cit. n.*

XXXI. *Quæ est maximè naturalis mensuræ ejus, quod res quæque valeat?* R. Indigentia: quod maximè spectatur in permutatoriis apud barbaros. §. XIV. *num. 1.*

XXXII. *Quæ sunt aliæ?* R. Voluntas hominum res multas non necessarias desiderantium; item labores & expensæ mercatorum: copia & inopia ementium, pecuniæ, mercium: damnum consequens, lucrum cessans, affectus peculiaris: aut si res in gratiam alterius vendatur ematurve, alioqui non vendenda aut emenda. *cit. §. n. 2.*

XXXIII. *Quando dominium transferatur in emtione, aut venditione?* R. Ipsò contractus momentò, etiam sine traditione. §. XV. *n. 1.*

XXXIV.

XXXIV. *Si actum sit ne statim transe-*
at? R. Venditor obligabitur ad dandum
dominium. *cit. n. 1.*

XXXV. *Cujus commodo, aut periculo*
erit res interea? R. Naturaliter, vendi-
toris. *cit. n.*

XXXVI. *Si res bis sit vendita, qua ven-*
ditio valebit? R. Quæ in se continuit
præsentem domini translationem; per
eam enim facultas moralis in rem abiit
à venditore. *cit. §. n. 2.*

XXXVII. *An omnia monopoliâ pugnânt*
eum jure nature? N. Quia interdum à
summâ potestate possunt permitti, justâ
de causâ, & constitutô pretiô: cujus
exemplum est in historiâ Josephi, cum
vice regis præesset Ægypto: & à priva-
tis institui, æquò duntaxat compendiô,
§. XVI.

XXXIIX. *Quinam hic faciunt injuri-*
am, quam reparare tenentur? R. Qui de
compactô hoc agunt ut res, supra pre-
tium id quod summum nunc est, in
communi pretiô vendantur: aut vi, aut
fraude impediunt, ne major importetur
copia: aut ided merces coëmunt, ut
vendant pretio quod venditionis tem-
pore sit iniquum. *cit. §.*

XXXIX. *Si aliò modò mercium inveſtitionem impediunt ; aut ideò coëmunt ut pluris vendant , pretiò tamen pro temporis ratione non iniquò ?* R. Jus quidem alterius non violant propriè ; ſed faciunt adverſus normam charitatis. *cit. §.*

XL. *An pecunia naturaliter recipit functionem ?* A. Non in materiâ ſolâ ; nec in ſpeciali appellatione , aut formâ. ſed in genere magis communi , quâ comparatur ad res aut omnes , aut maximè neceſſarias. *§. XVII.*

XLI. *Ubi & quando facienda eſt ejus eſtimatio ?* R. Loco ac tempore ſolutionis ; nialiter convenerit. *cit. §.*

XLII. *In locatione & conductione , cujus damno ſunt ſterilitas aliique caſus , uſum impedièntes ?* R. Conductoris : locatorque jus habebit ad pecuniam promiſſam ; quia ipſe tradidit utendi facultatem , quæ tunc temporis tantum valebat. *§. XIII.*

XLIII. *Eſtne hoc perpetuum ?* A. Naturaliter : quamvis & legibus , & pactis immutari id poſſit. *cit. §.*

XLIV. *Si locator alteri rem locaverit , cum conductor primus re uti impediretur ?*

R. Re-

R. Rependet primo conductori quidquid inde fuerit consecutus, ne ex alienâ re fiat locupletior. *cit.* §.

XLV. *Si in gratiam alterius quid locatum conductumve sit, alias non locandum aut conducendum?* R. Res, aut opera potest pluris, minorisve locari, vel conducui. §. XIX.

XLVI. *Si una opera simul pluribus utilis esse possit, ut itineris susceptio; & locator se pluribus in solidum singulis obstrinxerit, an poterit de singulis mercedem pacisci, quam ab uno exigeret?* A. Quia, quod illa opera secundo quoque sit utilis, hoc est, extrinsecum contractui qui cum primò initus erat: neque respectu primi quidquam de æstimatione minuit. *cit.* §.

XLVII. *Circa mutuum quaritur, an usura sint vetite, jure naturali?* N. Quia pro usu rei pretium exigere non est illicitum. §. XX. n. 1.

XLIX. *At pecunia sterilis est naturâ suâ?* R. Sed hominum industria facit eam fructuosam; sicut & domos & res alias infœcundas; imò jus illud pecuniam non reddendi, nisi post longum tem-

tempus, est aliquid æstimabile: minus enim solvit, qui minus tempore solvit. *cit. §. n. 2.*

XLIX. *An eas prohibet lex divina, vetans Hebraeos Hebræis pecuniam dari fœnori?* A. Eaque Christianos quoque obligat; illud enim honestum est, quamvis in se non debitum necessariò. *cit. §. num. 3.*

L. *Nililne igitur pro pecunia usu licet accipere?* R. Quædam usuræ vulgò esse videntur, quæ propriè non sunt; sed pacta generis alterius. §. XXI.

LI. *Qualia?* R. De repensandò damnò, quod facit qui pecuniam dat mutuam, eo quod illà diu careat: item de lucrò cessante ob mutui dationem, deductò scilicet incertò spei, & labore qui fûerat subeundus: sic etiam usura verè non est, si quid exigitur pro impensis ejus qui multis dat pecuniam mutuam, & in hoc habet paratam; & pro periculò amittendæ sortis, ubi non cavetur idoneè. *cit. §.*

LII. *An cum lege naturali, aut divinâ pugnant leges humane, que concedunt aliquid stipulari pro usu pecunie?* N. Si quidem

quidem verè stant intra compensatio-
nem ejus, quod abest, aut abesse potest.

§. XXII.

LIII. *Si modum eum excedant?* R. Impunitatem quidem præstare possunt, non autem jus dare. *cit. §.*

LIV. *Unde petendum periculi pretium, in contractu affecurationis?* R. Ex communi æstimatione. §. XXIII.

LV. *Si contrahentium alter sciverit perisse rem de quâ agitur, aut salvam pervenisse, quò destinabatur?* R. Contractus omninò nullus erit; quia propria contractus hujus materia est damnum, sub ratione incerti. *cit. §.*

LVI. *In societate negotiatoria, quomodo partes in damno & lucro sunt æquales, aut inæquales?* R. Ubi confertur pecunia cum pecuniâ, partes sunt æquales, si pecuniæ sint æquales; si hæ sint inæquales, & illæ fient pro ratâ. §. XXIV. *num. 1.*

LVII. *Si conferantur opera?* R. Idem habebit locum, ac æquales aut inæquales conferentur. *cit. n.*

LIIX. *Si opera conferatur cum pecuniâ, aut cum pecuniâ, & operâ?* R. Sors domino

mino perit ; & si salva est, domino salva est ; quando confertur opera cum sold pecuniæ usu. *cit. §. n. 2.*

LIX. *Si opera conferatur cum ipsò pecunie dominiò ?* R. Qui operam impendit, particeps fit fortis. *cit. n.*

LX. *An etiam in primâ specie subest proportio ?* A. Comparatur enim cum opera non fors, sed periculum amittendâ fortis & lucrum, quod probabiliter ex eâ sperari poterat. *cit. n.*

LXI. *An & in altera ?* A. Operæ quippe pretium habetur quasi forti adjectum, & pro eò, quod valet in ipsâ sorte partem habet, qui operam præstat. *cit. num.*

LXII. *Quid de labore ac periculò navigationis, & similibus dicendum ?* R. Idem. *cit. n.*

LXIII. *Potestne sociorum aliquis particeps esse lucri, & immunis damni ?* R. Id præter naturam societatis est ; potest tamen ita conveniri, sine injuriâ : eritque tùm contractus mixtus, ex societate & affecuratione. *cit. §. n. 3.*

LXIV. *Quomodo in eò servabitur æqualitas ?* R. Si damnum in se recipiens tanto

tanto plus lucri ferat, quàm aliò qui fuerat laturus. *cit. n. 3.*

LXV. *An quis damnum sentire potest sine lucro?* N. Societati enim ita naturalis est communio, ut sine hac illà nequeat consistere. *cit. n.*

LXVI. *Quid comparandum est in societate unversorum bonorum?* R. Non id, quod hinc aut illinc obvenit, sed quod probabiliter sperari poterat. *cit. n.*

LXVII. *Qua est communis utilitas in societate navali adversus piratas?* R. Ipsa defensio: interdum & præda. §. XXV.

LXVIII. *A quibus & quomodo damna hic feruntur?* R. A dominis navium & mercium, pro parte, quam habent in damnorum summâ. *cit. §.*

LXIX. *Quomodo fit horum æstimatio?* R. Æstimantur naves, & quæ in iis sunt, & cum damnis conferuntur: In quibus & sunt vulneratorum impendia. *cit. §.*

LXX. *Quidnam de observandâ hac in contractibus æqualitate Jure Gentium voluntariò constitutum?* R. Idem quod Jure Naturali. §. XXVI. n. 1.

LXXI. *Nonne saltem aliquid hoc ipsum habet peculiare?* A. Hoc scilicet, quod

N

in-

inæqualitas rerum, in quam consensum est, ubi nec mendacium intercessit, nec ejus, quod dictum oportuit, reticentia, in actionibus exterioribus pro æqualitate habeatur. *cit. n. 1.*

LXXII. *Licetne in pretio venditionis & emtionis naturaliter se mutuò circumvenire?* A. Si $\bar{\nu}$ licere accipias ita, quod non quidem fas sit, sed quod permittatur ita, ut nullum contra proditum sit remedium in eum, qui se pacto velit defendere; $\bar{\nu}$ naturaliter verò intelligas de eò, quod recepti passim moris est, sicut fuit etiam in Republica Romana. *cit. n. 1. & 2.*

LXXIII. *Quò fundamentò nititur hæc juris introductio?* R. Illo evidentis utilitatis ad præcidendas controversias infinitas, & ob incerta rerum pretia inter eos, qui communem judicem non habent, inexplicabiles, quæ vitari non possunt, si ob inæqualitatem à pactis discedere liceat. *cit. §. n. 3.*

GAP.

CAP. XIII.

De jurejurando.

I.

Quanta ab omni aetate vis fuit iuramentandi, circa pollicitationes, promissa & contractus? R. Maxima; ita ut nullum fuerit ad fidem adstringendam arctius. §. I. n. 1.

II. Qualis poena Perjuriis imminet? R. Gravis, ita, ut non raro posteritas etiam Majorum delicta luat; quod non nisi de gravissimis criminibus creditum est. §. num. 2.

III. Quid est Jusjurandum? R. Est affirmatio religiosa iudice Deo in testem vocato. n. 3.

IV. Qualis requiritur animus ad iuramentum? R. Rationis compos, ac deliberatus. §. II.

V. Si quis verba iuramentum protulerit, non putans se jurare? R. Dicendus est non jurasse. cit. §.

VI. An obligatur jurare volens, ac non obligari? A. Quia obligatio inseparabilis est a iuramento; et ejus effectus necessarius. cit. §.

VII. *An obligatur verba jurantia deliberatò, proferens, animo tamen non jurandi?* A. Quia is actus per se obligatorius processit ex animò deliberatò: nisi jurans credat, verba aliter accipi ab eò, quicum est negotium. §. III. n. 1. & 2.

IX. *An olim rectè Metellus jurare poterat in legem Apulejanam?* N. Quamquam erant, qui dicerent, legem obrogationis vitium esse irritam, & juramentum in legem ita intelligendum, si lex ritè rogata lataque esset. cit. n. 2.

IX. *Quomodo est jurandum?* R. Liquidò, purè & manifestè. cit. n.

X. *An non graviter quondam peccavit in hanc regulam Aula Arcadina?* A. Quia effecit, ut Chaladone occideretur is, qui Constantinopolim, salute ipsi per Jusjurandum promissà, venerat. cit. n.

XI. *An in promissis alius facile intelligitur tacita aliqua conditio, quæ promissorem exsolvat?* A. Quod tamen in Juramentò admittendum non est. n. 3.

XII. *An DEUS decreta sua mutat?* N. Mutare tamen & pœnitentiâ duci dicitur, quoties aliter agit, quam verba sonare

nare videbantur; nimirum ob conditionē tacitē intellectam, quæ cessat. n. 4.

XIII. *An facillimè hoc procedit in comminationibus?* A. Quia illæ jus nemini conferunt. cit. n.

XIV. *Quæ sunt istæ duæ res, quas Apostolus nominat, quæ immutabilitatem notant?* R. Est Promissio, quia jus dat; & Juramentum, quia condiciones tacitas & aliquò modò latentes repellit. cit. §. num. 5.

XV. *An obligat jusjurandum deo elicium?* N. Si certum sit eum, qui juravit, aliquod factum supposuisse, quod verè se non ita habeat: ac non fuisse juraturum, nisi id credidisset. §. IV.

XVI. *Si dubium sit, an non etiam sine eò fuisset idem juraturus?* R. Standum erit verbis: quia maxima simplicitas juramento convenit. cit. §.

XVII. *Qualem sensum habere verba poterant, cum interrogarentur Gabaonitæ, quale pactum desiderarent: sociale, an deditiois?* R. Intelligendum erat pactum deditiois; videlicet ut ostenderent Hebræi, licitum sibi non esse, cum quibusdam populis foedus inire sociale;

non etiã ut negarent, dedentibus se vitam relinquere posse. *cit. §. n. 2.*

XIIX. *Quomodo lex divina, qua eos populos internecioni devovebat, ex legis alterius comparatione erat intelligenda?*

R. Ut locum haberet, nisi siqui, moniti, statim facerent imperata. *cit. n.*

XIX. *An valuisse Jusjurandum, si rem ipsam Gabaonite indicassent, quod premetu non fecerunt?* A. Adeo quidem, ut de eò violatò postea pœnæ sumtæ sint gravissimæ, DEO autore. *n. 3.*

XX. *An doli sui pœnam sustinuerunt Gabaonite, jam suã deditioe subditi facti Hebræorum?* A. Addicti enim sunt personali cuidam servituti, cum, si egissent apertè, potuissent ad tributariam conditionem recipi. *cit. n.*

XXI. *Quoniam igitur est extendenda juramenti significatio?* R. Non ultra receptum loquendi morem. *§. V.*

XXII. *An perjuri erant, qui cum jurassent, non daturos se in matrimonium filias Benjâminitis, raptas cum raptoribus in posterum tranquille vivere permisissent?* N. Aliud enim est dare, aliud amissum non repetere. *cit. §.*

XXIII.

XXIII. *An dissimile est, quod Achaei, Romanis quadam non probantibus, quae ab ipsis facta & jurejurando firmata erant, rogarent, ut ipsi Romani mutarent, quae viderentur? N. Nec Achaeos religionem obstringebant inita ea, quae jurejurando sanciverant faciendi. cit. §.*

XXIV. *Ut valeat juramentum, qualis esse debet obligatio? R. Licita: neque promissio de re illicita ullas vires habet naturaliter, aut interdictione divina, aut humana; sic David pepercit Nabali, quem se occisurum juraverat. §. VI.*

XXV. *An valebit jusjurandum, si res, quae promittitur, non quidem illicita sit, sed impediatur majus bonum morale? N. Quia Deo debemus profectum in bono; ita ut ejus libertatem nobis ipsis eripere non valeamus. §. VII.*

XXVI. *An votum plane validum censebant Hebraeorum Magistri, addita consecrationis poena? A. Etiam si adversus Parentes factum esset. Sed hoc Christus postea refellebat. cit. §. n. 2.*

XXVII. *Sed si adversus alios conceptum sit, an obligat jusjurandum? N. Quia profectui adversum est. cit. n.*

XXIIX. *Quid dicendum de impossibili?*
 R. Ad omninò impossibile nemo obligatur. §. II.

XXIX. *Si quid impossibile sit pro tempore, aut ex suppositione?* R. Jurans operam dare tenetur, quantum potest, ut possibile fiat, quòd juravit. §. IX.

XXX. *Quæ est forma jurisjurandi?* R. Verbis differt, re convenit: sensum autem habere debet, ut Deus invocetur testis & vindex. §. X.

XXXI. *An hæc in idem recidunt?* A. Nam cum testis advocatur superior, qui simul puniendi jus habet, simul ab eò poscitur ultio perfidiæ: & qui scit omnia, idem & ultor est, quia testis. cit. §.

XXXII. *Si juretur nominatis rebus personisve aliis?* R. Vera erunt juramenta: nam illas nobis noxias imprecamur, cœlum scilicet, solem, principem; aut in illis puniri volumus, in capite, liberis, &c. §. XI.

XXXIII. *An Christus Matthæi V. hæc juramenta vult minus esse licita, quamque expressò Dei nomine sunt?* N. Sed cum Hebræi ea minus curarent, Christus ostendit, & hæc esse vera juramenta. cit. §.

XXXIV.

XXXIV. *An obstringuntur homines juramentis per res conditas factis, uti Hebraei Magistri quondam existimabant? N.* Nisi adjecta poena, ut si res, de qua jurabatur, Deo consecraretur. *cit. §. n. 2.*

XXXV. *An obligatur jurans per deos falsos? A.* Quia generali complexione, numen intuetur; quanquam sub falsis notis: cujus exemplum est in Jacobo & Labane; Deusque verus interpretatur factum perjurium in suam injuriam. §. XII.

XXXVI. *Quis est precipuus juramenti effectus? R.* Decidere controversias. §. XIII.

XXXVII. *Quanam ergo debet jurans? R.* Duo, ut verba congruant animo, & factum verbis. *cit. §. n. 2.*

XXXVIII. *Quando ex juramento jus queritur homini? R.* Si talis sit materia, & verba ita concepta, ut non ad Deum tantum referantur, sed & ad hominem; tanquam ex promisso aut contractu, qui debeat intelligi simplicissimè. §. XIV.

XXXIX. *Quando nullum jus consequitur homo, ita tamen ut jurans promissis stare Deo teneatur? R.* Si verba non respiciant

spiciant hominem, jus ei conferendo; aut si quid ei possit opponi. *cit. §.*

XL. *Quomodo?* R. Ita ut nullum jus consequatur, qui per metum injustam causam dat juramento; nisi tale quod reddere debeat: quia causam damno dedit. Sic Hebræi sunt à Prophetis increpati, & à Deo puniti, quòd non servassent fidem juratam Babylonis regibus. *cit. §.*

XLI. *An hac locum habent tantum inter hostes publicos?* N. Sed & inter quosvis: non enim respicitur sola persona cui juratur; sed & Deus qui juratur, ad obligationem pariendam sufficiens. *§. XV.*

XLII. *An perjurium est, se prædonibus non adferatur juratum pretium pro capite pactum?* A. Ubi enim cum Deo negotium est, nullum locum habet differentia inter hostem & piratam, introducta jure gentium. *cit. §.*

XLIII. *Estne cum prædone ulla Juris Gentium Societas?* A. Depositum enim ex ipsò Gentium Jure reddendum latroni, si dominus non apparet. *cit. §. n. 2.*

XLIV. *An promittens potest fungi solutione*

actione momentanea, & recipere quod solvit? N. Simplicissime enim intelligenda sunt verba juramenti quoad Deum: atque adeo cum effectu; sic juramento de reditu non satisfacit, qui clam rediit ad hostem, iterumque abiit. n. 3.

XLV. Si quis perfido juravit, an implere tenetur promissum? N. Si jurata promissio aperte respectum habuerit alterius promissionis, quæ ei quasi conditio fuerit implicita. §. XVI.

XLVI. Quid si diversi generis sint promissa, & extra respectum mutuum? R. Tunc omnino servandum cuique erit, quod ipse juravit. §. cit.

XLVII. An jurantis heres tenetur, cum persone nullum jus nascitur ex tali aliquo defectu; sed Deo fides obstringitur? N. Quia ad heredem non transeunt, quæ quis debuit ex officio pietatis, gratiæ, &c. neque hæc pèrinent ad illud, quod strictè jus dicitur inter homines. §. XVII.

XLVIII. Ubi jus persone nascitur, si juramentum spectet utilitatem alicujus; atque is eam nolit? R. Non tenebitur, qui juravit. §. XVIII.

XLIX. Si cesset qualitas, sub quâ alicuius
juramentum

juravit? R. Idem dicendum; ut si juratum sit magistratui, isque talis esse definat, *cit.* §.

L. *An aliquando tantum illicitum est, ac non simul irritum, quod contra juramentum fit?* A. Si scilicet sola fides obstricta sit. §. XIX.

LI. *An irritum?* A. Si jusjurandum ita conceptum sit, ut simul contineat abdicationem plenam potestatis ad actum. *cit.* §.

LII. *An superiorum actus potest efficere, ut non sit praestandum juramentum, quatenus verè fuit obligatorium?* N. Hoc enim est juris naturalis, ac divini; adeoque reges, patres, domini, mariti nequeunt irrita facere juramenta subditorum, liberorum, servorum, conjugum. §. XX. n.

LIII. *An actus nostri plene sunt in nostra potestate?* N. Sed à Superioribus dependent. *cit.* n.

LIV. *Quotuplex esse potest actus Superiorum circa id, quod juratur?* R. Duplex, alter directus in personam jurantis; alter in personam, cui juratur. *cit.* n.

LV.

LV. *Quid igitur superiorum actus potest respectu jurantis ?* R. Juramentum reddere irritum, antequam juretur : & vetare ne impleatur quod juratum est ; sic lege Hebræâ mariti uxorum, & parentes liberorum, juramenta faciebant irrita. *n. 2.*

LVI. *Quare ?* R. Quia inferior, quâ talis, non potuit se obstringere, nisi quatenus id placitum esset superiori ; amplio-rem enim non habebat potestatem : nam actus nostri non plene sunt in nostrâ potestate ; sed ita ut dependeant à superioribus. *cit. n.*

LVII. *Quomodo actus mixtus esse potest ?* R. Ut si superior constituat, illud, quod inferior aliquò casu juravit, ita demum valere, si ab ipso approbetur. *cit. n.*

LIX. *A quibus exercentur absolutiones Juramentorum ?* R. Olim quidem à Principibus, nunc verò ipsorum Principum voluntate, quo magis cautum sit pietati ; ab Ecclesiæ Præsilibus. *cit. n.*

LIX. *Quid superior potest respectu ejus, cui juratur ?* R. Tollere ab eò jus, quod ei partum est ; aut vetare ne quid acci-

accipiat ex eò juramentò , si jus desit
num. 3.

LX. *Quomodo?* R. Vel in pœnam, ;
vel, ob utilitatem publicam, ex vi super-
eminētis dominii. *cit. n.*

LXI. *Qui juratus aliquid promissit pe-
rate, aut alteri nocenti, an is jus pro-
missio quæsitum huic auferre potest nomi-
ne pœna?* N. Tunc enim, verba nullum
haberent effectum, ; quod omninò vi-
tandum est. *cit. n.*

LXII. *Potestne, lex humana impedi-
mentum, quod certi generis actibus po-
suerat, tollere?* A. Si Juramentum aut
qualecunque aut certa forma, accesserit.
num. 4.

LXIII. *In quibus impedimentis Leges
Romane fecerunt hoc?* R. In iis, quæ non
directò publicam, sed privatam juran-
tis utilitatem spectant. *cit. n.*

LXIV. *Sed quid si fiat, quo modo vale-
bit actus juratus?* R. Eò modò, quo na-
turaliter citra legem humanam fuerat
valiturus, aut fidem tantum obstrin-
gendo, aut Jus etiam dando alteri, pro
diversâ actuum naturâ. *cit. n.*

LXV. *An de omni Juramento debet*

Intelligi Christi & Jacobi preceptum, de non jurando? N. Non propriè de assertorio. §. XXI.

LXVI. *De quò igitur?* R. De promissoriò futuri incerti : quia dicto Christi (ne jurate omninò) causam hanc addit Jacobus, ne fallaces inveniamini. rit. §.

LXVII. *An aliquando fides injurata vim habet juramenti?* A. Ex more gentis ; quo fides obstringitur dextris data : idque eà vi, ut ni impleatur promissio, promissor non minus detestabilis habeatur, quàm si pejerasset. §. XXII.

CAP. XIV.

De promissis, contractibus & juramenti eorum qui summum imperium habent.

I.

Q*uotuplices sunt questiones circa promissa, juramenta, & contractus eorum, qui in republ. summam obtinent potestatem?* R. Circa id quod iis licet in actus suos, in subditos, in successores. §. I. n. 1.

II. An

II. *An Rex potest seipsum in integrum restituere : suum contractum irritum facere : seipsum exsolvere à jurejurando?*

R. Nullum horum absolutè concedendum ; sed distingvi debent actus regis, qui & quatenus regii sunt, ab actibus ejusdem privatis. *cit. n. 1. & 2.*

III. *An leges regie vim habent in regis actus regios?* N. Quia hi considerantur ut actus ipsius communitatis, in quos ipsæ communitatis leges vim non habent : quia communitas non est superior seipsa. *cit. n. 2.*

IV. *An restitutio locum habet adversus hos actus regios?* N. Quia illa venit ex jure civili. *cit. n.*

V. *An admittenda est exceptio regum, adversus contractus quos minores fecerunt?* N. Ob eandem rationem. *cit. n.*

VI. *Si populus regem fecerit, non plenò jure, sed additis legibus ; an per eas leges irriti fieri possunt actus contrarii?* A. Idque aut omninò, aut ex parte : quia populus sibi jus eatenus reservavit. §. II. num. 1.

VII. *Quid sentiendum de iis actibus regum, qui plenò jure regnant, sed regnum*
non

non ut proprium possident, quibus regnum, aut regni pars, aut res fiscales alienantur? R. Hi actus ipsò naturæ jure nulli sunt, ut facti de re alienâ. *cit. n.*

IX. Quid dicendum de regis actibus privatis? R. Hi facti censentur eò animò, ut communem legum regulam sequantur; non enim considerantur ut actus communitatis, sed ut actus partis. *cit. §. n. 2.*

IX. An hic locum habere possunt leges aliquos actus facientes irritos? A. Sive eos tales faciant simpliciter, sive ex voluntate ejus, qui læsus est: quasi sub eà conditione contractum foret; sic reges quidam juris remedio sibi consuluerunt adversus fœnebre malum. *cit. n.*

X. An in regum actibus locum habere potest lex actum irritum faciens, in pœnam agentis? N. Ut nec aliæ leges pœnales, & quidquid vim habet cogendi; nam cogens & coactum distinctas requirunt personas: quia punitio & coactio non possunt procedere nisi à voluntatibus diversis. *cit. n.*

XI. An Rex juramentum suum irritum reddere potest antecedenter, ut privatus?

O

A.

A. Si juramento priori seipsum planè privaverit potestate tale quid jurandi.

§. *Hic*

XII. *An & consequenter ?* N. Quia hic quoque personarum distinctio requiritur: cum talia habeant in se hanc exceptionem, nisi superior noluerit. *cit. §.*

XIII. *An Rex qui juravit, obstringitur Deo, si jurejurando jus alteri non queratur, ob aliquod vitium in personâ?* A. Hoc enim non minus ad regem pertinet, quam ad alios. *cit. §.*

XIV. *An Rex tenetur his, quæ sine causâ promissit ?* A. Nam non minus ad reges quam ad alios pertinet, quod promissa plena, absoluta, & acceptata, nisi transferant, naturaliter. *§. IV.*

XV. *An valent à regibus factæ emtio & venditio, sine certo pretio; locatio & conductio, non expressè mercede; emphyteusis, sine scripturâ ?* N. Quia hi actus non fiunt à rege, quâ rege; sed quasi à quovis alio: nisi circumstantiæ ostendant regi placuisse suum actum ab illis legibus facere immunem. *§. V.*

XVI. *An obligatio nascitur ex promissò & contractu regis, quem inicit cum subditis ?*

ris? A. Et quidem vera ac propria, quæ jus det subditis ipsis. Ea enim est natura promissorum & contractuum, etiam inter Deum & hominem. §. FI. n. 1. & 2.

XVII. *An ergo obligatur naturaliter tantum, an verò etiam civiliter?* R. Per obscurum est hoc loquendi genus. Nam naturalis obligatio interdum à Juris auctoribus dicitur per abusivam de eò, quod fieri naturam honestum est, quamquam non verè debitum: Interdum verò magis propriè id, quod verè nos obligat, sive inde jus alteri oriatur, ut in pactis, sive non oriatur, ut in plenâ & firmâ pollicitatione. Civiliter quoque obligari ex actu suo dici quis potest, aut eò sensu, ut obligatio procedat non ex merò jure naturali, sed ex jure civili, vel ex utroque: aut eò sensu, ut in forò actio inde detur. *cit. n. 1. & 2.*

XIIX. *An leges civiles etiam valent in rege?* A. Si tales sint actus qui fiunt à rege, ut à quovis alio. *cit. n. 2.*

XIX. *Si actus sint regis, quæ talis?* R. Leges civiles ad eum non pertinent. *cit. n.*

XX. *An nibilo minus actio nascetur? A.* Et quidem ex utrovis actu, nempe ut jus creditoris declaretur. *cit. n.*

XXI. *An coactio sequi poterit? N.* Ob statum eorum quibuscum est negotium; nam subditis non licet cogere eum, cujus sunt subditi. *cit. n.*

XXII. *An à rege potest auferri jus quaesitum subditis? A.* In pœnam, aut ex vi supereminentis domini. §. VII.

XXIII. *Quâ cautione ex vi domini? R.* Ut id requirat utilitas publica: atque ut ex communi fiat compensatio ei, qui suum amisit, si fieri potest. *cit. §.*

XXIV. *An hic distingui debet jus quasi-tum naturaliter, aut civiliter? N.* Nam jus regis par est in utrumvis: neque hoc minus quàm illud tolli potest sine causâ. §. IIX.

XXV. *Sed si Rex jus subito civiliter quaesitum sine causâ auferat? R.* Haud dubiè tenetur reparare damnum datum: facit enim contra verum jus subditi, cui, si dominium aut jus aliud legitimò modò partum est, id, ne sine causâ ei auferatur, juris est naturalis. *cit. §.*

XXVI.

XXVI. *Quomodo differt jus subditorum & jus exterorum?* R. Jus exterorum supereminenti dominio nullò modo subest: subditorum autem jus ei dominio subest, quatenus publica utilitas desiderat. *cit.* §.

XXVII. *An contractus regum sunt leges?* N. Quia ex promissis & contractibus jus nascitur adversus regem, non ex legibus; quas si revocet, nemini facit injuriam; quædam tamen ex legibus & contractibus mixta esse possunt. §. IX.

XXIIX. *An ex regum contractibus tenentur successores?* A. Si sint hæredes regni & bonorum omnium; quia defuncti bona sunt naturaliter obligata pro debitis. §. X.

XXIX. *An obligantur, qui tantum succedunt in regnum, aut partim in bona, in jus regni in solidum?* R. Non directè quæ tales; sed indirectè, per interpositam civitatem. §. XI. n. 1. & 2.

XXX. *Quâ ratione hoc intelligendum?* R. Directè non obligantur, quia jus non accipiunt ab eò, qui proximè decessit, sed à populo: Indirectè verò, quia cœtus quilibet non minùs quàm personæ

O; singu-

singulares, jus quod habet se obligandi per se, aut per majorem sui partem, transferre potest tum expressè, tum per consequentiam necessariam, puta transferendo imperium. *cit. n. 1. & 2.*

XXXI. *An hac obligandi potestas in infinitum abit?* N. Neque enim ad imperium rectè exercendum necessaria est, sed quatenus ejus potestatis natura exigit. §. XII. n. 1.

XXXII. *Estne ergò tum demum ratiùs habendus actus, si utiliter gestus sit?* N. Nam ad tales angustias Reipublicæ imperantem redigere ipsi Reipublicæ esset periculosum. Quare nec sensisse hoc credendus est populus, cum imperium detulit. *cit. n.*

XXXIII. *Quando igitur contractus regentium obligant subditos?* R. Si probabilem habent rationem; quod in dubio præsumi debet, ob regentium auctoritatem: sic laudatur Titus, quod passus non sit, à se peti beneficia concessa à superioribus. *cit. §. n. 2. & 3.*

XXXIV. *Quid sentiendum de contractu, qui ab initio, in extensione ad aliquem casum, censendus fuisset injustus & illicitus?*

zōs? R. Tunc non tam revocari is ipse contractus potest, quàm declarari, eum non ultra obligare, quasi factum sub conditione, sine qua justè fieri non potuit. *cit. §. n. 4.*

XXXV. *Quid dicendum de alienatione pecunie populi, aut rei alterius?* R. Idem quod de contractibus, si talia sint, quæ secundum Leges vel alias probabiliter Rex alienare aut donare bono publico possit. *cit. §. n. 5.*

XXXVI. *An valent contractus pertinentes ad alienationem regni, ejusve partis, aut regalis patrimonii, quatenus id regi non est permissum?* N. Quia facti sunt de re alienâ. *cit. §. n. 6.*

XXXVII. *An revocari possunt principum beneficia liberaliter concessa?* N. Si Rex ea de suo faciat, ac vim habeant perfectæ donationis: nisi adsit precarii clausula. §. XIII.

XXXIX. *An nov in pœnam?* A. Quoad subditos. *cit. §.*

XXXIX. *Itemque ob utilitatem publicam?* A. Cum compensatione, si fieri possit. *cit. §.*

XI. *Si vinculum duntaxat legis demunt, sine ullò contractu?* A. Nam lex sublata reponi potest: hic enim nullum jus quæsitum est adversus legis auctorem. *cit. §.*

XLI. *An populi, aut veri reges tenebuntur contractibus eorum, qui sine jure imperium invaserunt?* N. Quia hi non habuerunt jus obligandi populum. Tenebuntur tamen de in rem verso, quatenus facti sunt locupletiores. *§. XIV.*

CAP. XV.

De foederibus ac sponsonibus.

L.

IN quo differunt conventiones publicæ à contractibus privatorum, aut regum circa negotia privata? R. Quod ille fieri nequeant, nisi jure imperii majoris, vel minoris; hæc possint. *§. I.*

II. *Quomodo sunt illæ dividenda?* R. In foedera, sponsones, pactiones alias. *§. II.*

III. *Quomodo foedera differunt à sponsonibus?* R. Personarum facientium potestate. *§. III.*

IV. *Quæ*

IV. *Quæ igitur sunt fœdera?* R. Quæ jussu summæ potestatis fiunt, & in quibus ipse populus iræ divinæ obstringitur, si minus stetur dictis. *cit. n.*

V. *Quid est sponsio?* R. Ubi hi, qui mandatum alicujus rei à summâ potestate non habent, aliquid promittunt, quod hanc propriè tangit. *cit. n.*

VI. *An Magistratus, vel minor pars populi totam universitatem obligare possunt?* N. Sed ipsi sponsores, cum negotii hujus, cui contractus inest, naturam obligationem multò strictiorem desideret, ad id, quod interest, obstringuntur. *cit. §. n. 2. & 3.*

VII. *Quotuplicia sunt fœdera?* R. Ex mente Menippi, Regis Antiochi ad Romanos Legati, tria sunt fœderum genera: Unum, cum bellò victis dicuntur leges, quid habeant, quomodo mulctentur; Alterum, cum pares bello æquo fœdere in amicitiam veniunt; Tertium, quando, qui hostes nunquam fuerunt, in amicitiam sociali fœdere cœunt, & nec leges sibi dicunt, nec accipiunt. *§. IV.*

VIII. *Quomodo rectius dividuntur?* R.

In

In duo genera : Quædam enim constituunt, quod juris naturalis est ; Quædam aliquid eidem adjiciunt. §. V. n. 1.

IX. *Prioris generis fœdera inter quos sunt ?* R. Non solum inter hostes, qui à bellô discedunt, sed etiam inter eos, qui ante nihil contraxerunt : itê, qui jus hospitii & commercii inter se constituunt. cit. §. n. 1. & 3.

X. *An latrocinari licitum ?* N. Est enim contra cognationem illam inter homines naturalem, quâ alterum ab alterô lædi nefas est : quamvis hæc ita malis moribus, ut olim ante diluvium, sic rursus aliquo post diluvium tempore esset oblitterata, ut *συζητησιον* exercere, seu prædas agere in externos nullô indictô bellô, prolicitô & gloriosô haberetur. cit. n. 1.

XI. *Posterioris generis fœdera quomodo subdividuntur ?* R. In æqualia, & inæqualia. §. VI. n. 1.

XII. *Quæ sunt æqualia ?* Quæ utrinque se habent eodem modo. cit. n.

XIII. *Quæ inæqualia ?* R. In quibus promittuntur inæqualia ; eaque aut ex parte digniore : ut si quis auxilia promittat,

mittat, nec restipuletur; vel majora promittat: aut ex parte minus dignâ.

§. VII. n. 1.

XIV. *Quomodo hæc?* R. Aut cum imminutione imperii, quali Carthaginenses obstringebantur, non movere bellum injussu populi Romani; tali Teates Apuli impetraverant, ut fœdus daretur, sed ut in ditione Romanorum essent: aut sine imminutione imperii, cum onera imponuntur transitoria, de solvendo stipendio, manibus diruendis, dandis obsidibus, elephantis, navibus, &c. aut manentia, de imperiô ac majestate comiter colendâ, non struendis arcibus, non conscribendo milite, non navigando; transitu hosti non concedendo. &c. cit. §. n. 2. & 3.

XV. *An hæc tantùm contrahuntur inter victores & victos?* N. Sed & inter potentiores & impotentiores, etiam qui bello inter se non sunt experti. cit. §. n. 4.

XVI. *Cujus causâ fiunt fœdera?* R. Pacis aut societatis causâ, ad commercia, belli communitatem, & res alias. §. VI. n. 2.

XVII.

XVII. *Quomodo pacis causâ?* R. Quando e. g. de captivis restituendis, aut de rebus captis, aut ad securitatem conveniri solet. *cit. n.*

XIX. *Quomodo societatis causâ?* R. Aut ad commercia stabilienda, quando e. g. paciscitur, ne ullum vectigal solvatur, vel ne majus, quàm in præsens, vel ad certam quantitatem: aut ad belli communitatem, ut auxilia præstentur vel in omnes, vel in certos hostes, vel in omnes quidem, exceptis tamen sociis; vel etiam in omne bellum, vel in certum tantùm; aut ad res alias, ut, ne subditos alterius alter defendat, ne in confinio alterius alter arces habeat, &c. *cit. num.*

XIX. *An jure natura fœdera licitè inveniuntur cum alienis à verâ religione?* A. Quia id jus adeò cõmune est omnibus, ut non admittat religionis discrimen. *§. VIII.*

XX. *An jure divinò veteri fœdera non nocendi causâ licita cum iis fuere?* A. Nam ante legem id licuit, Jacobo scilicet cum Labane: & lege Mosis nihil in
cò

est mutatum, cum Hebræi vetentur a-
versari Ægyptios. §. 18. n. 1.

XXI. *An fœdera cõmerciorum, & qua
bis similia, pertinent ad utilitatem com-
munem, aut partis alterius?* A. Nihil
enim reperitur, quod obstet; imò talia
inventa fuere à Davide ac Salomone, cum
Hiromo rege Tyrionum. n. 2.

XXII. *Mosis tamen lex specialiter im-
perat benefacere popularibus; ac peculi-
aris ratio victus & morum Judæis præ-
scripta, vix patiebatur familiarem cum
aliis consuetudinem?* R. At hinc non se-
quitur illicitum fuisse benefacere ex-
traneis; cum Christus ipse exemplò suo
docuerit contrarium, à Samaritide a-
quam accipere non recusans: ac David
per fugium quæsit apud irreligiosos.
n. 3. & 4.

XXIII. *An licuit cum talibus inire so-
cietatem bellicam?* A. Abrahamo vide-
licet cum impiis Sodomitis, ante le-
gem: nec lege Mosis quidquam gene-
raliter in hac re mutatum legitur. cit. §.
num. 6.

XXIV. *Sapè tamen reges legimus in-
crepitos propter tales societates?* R. Sed
hoc

hoc non veniebat ex naturâ fœderis ; sed ex peculiari qualitate personarum, aliarumque circumstantiarum ; sic vetabantur tutelam suscipere eorum, quos Deus per Prophetas declaraverat, sibi esse exosos peculiariter ac infortunio damnatos. n. 7.

XXV. *An talia fœdera licita sunt lege Evangelicâ ?* A. Illa enim nihil hac in parte mutavit ; imò magis etiam favet fœderibus, quibus alieni isti justâ in causâ sublevantur : nam illâ præcipimur beneficentiam in quosvis homines datâ occasione exercere, Dei exemplo, qui solem oriri facit bonis & malis, & pluviâ liumectat utrosque. §. X. n. 1.

XXVI. *At an non convictus familiaris sum illis prohibetur ?* N. Si emendandis ipsis spem præbeat. cit. §. n. 3.

XXVII. *An matrimonia cum profanis contrahenda sunt ?* N. Nam hoc in casu magnum apparet periculum, & multum difficultatis injicitur veræ religionis usui ; cum insimul perpetua ad mortem usque sunt ista vincula. n. 4.

XXIIX. *An malum est, profanis benefacere, aut opem eorum implorare ?* N. Nam Paulus id fecit. cit. n.

XXIX. *An bis non inest aliqua praxitas?* N. Non intrinseca, aut universalis: sed æstimanda ex circumstantiis; cavendum autem tantum est, ne nimia commixtio contagium adferat infirmis. Sic Israëlita scorsim ab Ægyptiis habitaverunt. §. XI. n. 1.

XXX. *Si ex tali societate profana opes magnum sint habitura incrementum?* R. Abstinentium ab illâ erit, extra necessitatem suam. n. 2.

XXXI. *An, grassante armis hoste infideli, Christiani alii aliis auxilio esse obligati sunt?* A. Cum omnes Christi unius corporis membra sint, quæ jubentur alia aliorum dolores ac mala persentire: hoc autem præstare Reges, aut populi, non possunt, nisi auxilium afflictæ parti ferant, pro virium modò viros aut pecunias conferendo. §. XII.

XXXII. *Si plures bellum gerant, utrum debet opem ferre utriq; federatus?* R. Justam belli causam habenti, si cum extraneis res sit. §. XIII. n. 1.

XXXIII. *An etiam, si cum aliò federatus?* A. Nisi conventum, ne adversus eum auxilia mittere liceat. cit. n.

XXXIV.

XXXIV. *Si fœderati committantur in-
ter se, causis utrinq; injustis?* R. Utrâque
parte abstinendum. *cit. §. n. 2.*

XXXV. *Si fœderati bellant in alios, ju-
stâ quisque de causâ?* R. Si utrique mit-
ti possunt auxilia, ea sunt admittenda.
num. 3.

XXXVI. *Si requiratur presentia pro-
mittentis?* R. Præferendus cum quo fœ-
dus est antiquius: nisi posterius fœdus
peculiari contractu prævaleat. *cit. n. 3.
& 4.*

XXXVII. *A finitò tempore, fœdus ta-
citè renovatum intelligitur?* N. Nisi ex
actibus nullam aliam interpretationem
recipientibus; non enim facilè præsu-
mitur obligatio nova. *§. XIV.*

XXXIIX. *Si pars una fœdus violavit,
an alteri licet à fœdere decedere?* A.
Nam singula fœderis capita vim habent
conditionis; sed nisi aliter convenerit:
scilicet ne ob quasvis offensas liceat à
fœdere discedere. *§. XV.*

XXXIX. *Quot sunt materie sponsio-
num?* R. Quot fœderum. *§. XVI. n. 1.*

XL. *Qualis erit obligatio, si sponsio
improbetur à rege, aut civitate?* R. Sum-
mum

num imperium habens, nullam in partem obligatur. *cit. n.*

XLI. *Ergo tunc nec ad id, quod interest, nec ad restitutionem summum Imperium tenetur?* A. *num. 2.*

XLII. *An sponsores?* A. Si præ se tulerunt potestatem publicò nomine contrahendì: ex damnò nempe per dolum datò. *n. 3.*

XLIII. *Ad quid?* R. Eorum bona obligantur ad id, quod interest; & corpus ad servitutem, si illa non sufficiant. Sic Fabius Maximus, cum pactum quoddam ejus cum hostibus factum, senatus improbasset; fundum suum vendidit ducentis millibus, & fidei satisfecit. *n. 4.*

XLIV. *An sponso obligat summam potestatem ex notitiâ & silentiò, si facta sit sub conditione ratihabitionis?* N. Quia conditio non impleta, nullam facit sponsonem. §. XVII. *n. 1.*

XLV. *Quando igitur actus intelligitur esse ratus habitus?* R. Si actus aliqui accesserint, qui nequeunt ad aliam causam probabiliter referri. *n. 2.*

CAP. XVI.

De Interpretatione.

I.

Cum interni actus per se non sint spectabiles, quomodo certi aliquid statuetur, ne nulla sit obligatio; si quisque se possit liberare, sensum sibi affigendo quem vellet? R. Ipsâ dictante ratione naturali, ei, cui quid promittitur jus est promissorem cogere ad id, quod recta suggerit interpretatio; nam alioqui res non reperiret exitum. §. I. n. 1.

II. *Qua est mensura rectæ interpretationis?* R. Collectio mentis ex signis maximè probabilibus. n. 2.

III. *Quotuplicia ea sunt?* R. Duùm generum, verba, & aliæ conjecturæ: quæ seorsim considerantur, aut conjunctim. cit. n.

IV. *Quomodo sunt intelligenda verba?* R. Ex proprietate populari, item ex usu, si non sit alia conjectura, quæ ducat aliò. §. II.

V. *An quis propter conjecturam fraudis alterius resilire possit, à pactò antea inito?* N. Nam ejusmodi fraudibus ad-

strin-

stringitur, non dissolvitur perjurium, juxta Ciceronem. *cit.* §.

VI. *Si sint artium vocabula?* R. Adhibenda est definitio cujusvis artis prudentum. §. III.

VII. *Quid est Exercitus?* Est militum multitudo, quæ palàm fines hosticos audet invadere, æstimanda pro viribus hostium. Idem quoque de Classe dicendum. *cit.* §.

VIII. *Quid Arx?* Est locus, qui arce-re potest ad tempus hostilem Exercitum. *cit.* §.

IX. *Quando opus est conjecturis assumptis?* R. Cum verba, aut verborum complexio plures recipiunt significationes; & quoties in pactis est species quædam repugnantia: tunc enim quærendæ sunt conjecturæ quæ partes concilient. §. IV. n. 1.

X. *Si certa sit pugna?* R. Quod posterius inter contrahentes placuit, derogabit prioribus. *cit.* n.

XI. *Ex quibusnam locis promuntur conjecturæ voluntatis?* R. (1) Ex materiâ, (2) effectu, & (3) conjunctis; usque origine, aut loco. n. 2.

XII. *Quomodo ex materiâ?* R. Ut per induciâs triginta dierum, homines reddendos, dimidiam partem navium; intelligantur dies civiles, non naturales; homines vivi, non cadavera; naves integræ, non dissectæ; itaque perfidi fuisse Plataenses, & Romani, reddentes homines mortuos illi; hi naves dissectas. §. V.

XIII. *Quomodo ex effectu?* R. Si vox sumpta ex usu receptiore traheret post se effectum à ratione alienum: nam in ambigüâ voce interpretatio sumenda est quæ vitio careat; sic malè Brasidas, pollucitus agro Bœoto se decessurum, negabat agrum Bœotum esse quem ipse exercitu insideret. §. VI.

XIV. *Quæ sunt origine conjuncta?* R. Quæ ex eâdem voluntate profiscuntur, etiamsi dicta sint aliò loco & occasione: quia voluntas, in dubiò, creditur sibi fuisse consentiens; sic dictum inter Paridem & Menelaum, ut victori Helena cederet, ita exponi debet ex posterioribus, ut victor demum intelligatur qui alterum occidit. §. VII.

XV.

XV. *Quid habet precipuam vim inter ea, quæ & loco sunt conjuncta?* R. Ratio legis: si scilicet certo constet voluntatem fuisse motam aliquâ ratione, tanquam unicâ causâ. §. VIII.

XVI. *Quid notandum circa vocum significationes?* R. Multarum esse plures, strictiores, laxiores. §. IX.

XVII. *Quibus casibus hoc evenit?* R. Aut, quia specierum uni nomen generis adhæret; aut, quia artis usus latius patet, quam usus popularis. *cit.* §.

XIIX. *Unde petenda priorum exempla?* R. A vocibus cognationis & adoptionis; item à nominibus masculinis, quæ etiam pro communibus sumi solent, ubi desunt communia. *cit.* §.

XIX. *Unde posteriorum?* R. Quando v. g. mors in Jure Civili ad deportationem producitur, cum apud populum aliud significet. *cit.* §.

XX. *Quid circa ea qua promittuntur?* R. Eorum alia esse favorabilia, alia odiosa, alia mixta. §. X.

XXI. *Quæ sunt favorabilia?* R. Quæ habent in se æqualitatem, & spectant communem utilitatem; quæ quò ma-

ior, eò & major est promissi favor.
cit. §.

XXII. *Qua odiosa?* R. Quæ onerant tantum partem alteram, aut plus alterâ; pœnamve in se continent; actusque irritos faciunt; aut aliquid immutant de prioribus. cit. §.

XXIII. *Si mixtum sit aliquid?* R. Id modo censebitur favorabile, modo odiosum; pro magnitudine boni, aut mutationis: ita tamen ut favor censeatur potior, cæteris paribus. cit. §.

XXIV. *Discrimen actuum bona fidei & stricti juris, quatenus ex Jure est Romano, pertinetne etiam ad Jus Gentium?* N. Potest tamen aliquo sensu huc aptari. §. XI.

XXV. *Sed quinam ille?* R. Si in aliquibus regionibus actus nonnulli formam quandam habent communem, ea, quatenus immutata non est, actui inesse intelligitur: in aliis autem per se indefinitis magis statatur dictis. cit. §.

XXVI. *Qua nunc regula tenenda circa interpretationem promissarum, & significationum, in non odiosis?* R. Verba sumenda secundum totam proprietatem
usus

usus popularis : ac si sint plures ; eam quæ latissima est. Ita ut masculinum pro communi sumatur, & indefinita locutio pro universali. §. XII. n. 1.

XXVII. *Quomodo verba sumenda in favorabilioribus?* R. Laxius, ut etiam includant significationem artis, aut legis alicujus ; si loquens jus intelligentium consilio utatur. n. 2.

XXIIX. *An licet recurrere ad significationes valde improprias?* N. Nisi alioquæ sequeretur absurdum aliquod, aut pateti inutilitas. cit. n.

XXIX. *An quandoque strictius sumenda verba, quam fert proprietates?* A. Si id necessarium est ad vitandam iniquitatem, vel absurditatem. cit. n.

XXX. *Quomodo in odiosis?* R. Sermo aliquantulum figuratus in talibus admittitur, quo onus vitetur ; sic auxilia promissa ab unâ parte, debent intelligi sumtibus postulantis. n. 3.

XXXI. *An pactum de presenti sub se etiam comprehendit ea, quæ futuro tempore possunt existere?* N. §. XIII. n. 1.

XXXII. *Sociorum nomine veniuntne tantum, qui erant fœderis tempore, an &*

futuri ? R. Futuri non comprehenduntur, quatenus agitur de fœdere rumpendo, quæ materia odiosa est. *cit. n.*

XXXIII. *Si quis fœdus iniverit cum aliquo principe, eoque confecto (aliquo fortè tempore post) novum sibi socium adsciscat alterius hostem, an hoc pertinet ad violationem fœderis?* N. Sic in quæstione de auxiliò Mamertinis nussò à Romanis distingvit Polybius, an justum id fuerit, & an per fœdus licuerit. *cit. §. n. 2.*

XXXIV. *Pugnatne cum fœdere, ut, quos alii offenderent, hi defenderentur ab aliis, manente de cetero pace?* N. *cit. §. n. 3.*

XXXV. *Si in fœdere inaequali convenierit, ne alter fœderatorum bellum gerat alterius injussu, quale bellum hic intelligendum?* R. Quod infertur, non quod repellitur: arctior enim sumenda significatio, ne libertas nimium coarctetur. *§. XIV. n. 1.*

XXXVI. *Quid statuendum de promisso Romanorum: liberam fore Carthaginem?* R. Manifestam in se captionem completitur. *§. XV.*

XXXVII. *Quomodo pacta realia distinguenda*

guenda sunt à personalibus? R. Reale est quod promittitur populo liberto; quia subjectum est res permanens. §. XVI.

NUM. 1.

XXXIIX. *Si status civitatis mutetur in regnum, an manebit fœdus?* A. Quia manet corpus, etsi mutato capite: nisi appareat causam ei statui fuisse propriam, ut si liberæ civitates libertatis tuendæ causâ fœdus contrahant. *cit. n.*

XXXIX. *An personale censendum quod contrahitur cum Rege?* N. Nam persona pacto inferitur, non ut pactum personale fiat, sed ut demonstretur cum quo factum sit. *n. 2.*

XL. *Qui certò constabit esse reale?* R. Si fœderi sit adjectum, ut sit perpetuum, in bonum regni factum, aut cum ipsò rege & successoribus, aut ad tempus definitum. *cit. n.*

XLI. *Si pares sint in utrumq; conjectura?* R. Favorabilia credentur esse realia, odiosa verò personalia. *n. 3.*

XLII. *Qualia sunt pacis aut commerciorum causâ facta?* R. Favorabilia. *cit. n.*

XLIII. *Qualia fœdera bellica?* R. Omnia

omnia ea non sunt odiosa ; sed se tuendi causâ propius ad favorem accedunt, alia ad onera. *cit. n.*

XLIV. *Quid notandum in fœdere ad bellum quodvis ?* R. Præsumentum aliquem non injustè nec temerè bella suscepturum, habita ratione prudentiæ & pietatis ejus, quicum agitur. *cit. n.*

XLV. *An fœderis obligatio etiam transit ad heredes seu successores ?* A. Nec obstat, quod, ex mente Bodini juramenti vis personam non exeat. Potest enim juramenti obligatio personam tantum adstringere, ipsaque promissio tamen heredem obligare. *cit. §. n. 4.*

XLVI. *Atqui fœdera jurejurando veluti firmamento innituntur ?* R. Hoc absolute verum non est : cum plerumque in ipsâ promissione fit satis efficaciam, cui, majoris religionis causâ, jusjurandum additur. *n. 5.*

XLVII. *An fœdus cum rege initum manet, etiamsi idem, aut successor ejus regnò sit pulsus à subditis ?* A. Jus enim regni penes ipsum remanet, quamvis amiserit possessionem. §. XVII.

XLIX.

XLIIIX. *An fiet contra fœdus, si bello impetatur alieni regni invasor, volente verò rege; aut oppressor populi liberi, antequam sufficiens populi consensus accedat?* N. Quia hi possessionem quidem habent, at non jus: hæ verò qualitates, regis, successoris & similes, jus propriæ significant in fœderibus; & invasorum causa est odiosa. §. XLIX.

XLIX. *Cui debetur præmium promissum ei qui primus ad metam pervenerit, si duo simul perveniant?* R. Vox primi notat eum ante quem nemo est, vel qui ante omnes: quia verò virtutum præmia sunt favorabilia, concurrent ad præmium. Scipio, Cæsar, Julianus solida præmia tribuerunt muros pariter ascendentibus. §. XIX.

L. *Quodnam est aliud interpretandi genus ex conjecturis, extra verborum significationem?* R. Eorum, quibus promissio continetur; idque extendens vel coarctans. §. XX. n. 1.

LI. *Quæ interpretatio facilius procedit?* R. Quæ arctat; nam conjectura extendens obligationem non temerè admittenda est. cit. n.

LII.

LII. *An extra verba promittentia, conjectura est quarendae?* R. Valdè certa esse debet, ad inducendam obligationem; nam nec ratio similis sufficit, sed oportet eandem esse. *cit. n.*

LIII. *An ex ratione facienda est extensio?* R. Hæc non sufficit; quia sæpè ratio movet, ut voluntas tamen sit causa per se sufficiens, etiam sine ratione illâ. *cit. n.*

LIV. *Quando rectè fit extensio?* R. Quando constat rationem aliquam, sub quam casus venit comprehendendus, esse causam unicam & efficacem quæ moverit promittentem: sic si tempore munitionis non alterius quam per muros, pactum sit, ne quis locus muro cingatur, is locus ne cingi quidem poterit aggere; si constet murum prohibitum, ne locus muniretur. *n. 2. & 3.*

LV. *An potest ex scripto deduci id, quod non scriptum est?* R. Per ratioconationem id fieri potest. *cit. n. 3.*

LVI. *An mandatum impleri potest non per idem, sed per aliud aequè utile, aut utilius eo quod mandator præscripserat?*

A. Si constet præscriptum non fuisse
sub

sub speciali formâ; sed sub consideratione generaliore, quæ aliter quoque posset obtineri. §. XXI.

LVII. *Si de eò non satis constet?* R. Dissolvitur officium imperantis, si quis ad id, quod facere iussus est, non respondeat obsequio debito, sed consilio non desiderato. *cit.* §.

LIX. *Unde petitur interpretatio restringens extra significationem verborum, quæ promissionem continent?* R. Ex defectu originariò voluntatis, aut casus emergentis repugnantia cum voluntate. §. XXII.

LIX. *Unde intelligitur originarius voluntatis defectus?* R. (1) Ex absurdò fecuturò; (2) cessatione rationis plenè & efficaciter voluntatem moventis; & (3) materiæ defectu. *cit.* §.

LX. *In quò fundamentum habet primum?* R. In eò, quod nemo credendus est velle absurda. *cit.* §.

LXI. *In quò secundum?* R. In eò, quod contentum in promissione, ubi rationalis additur, aut de eâ constat, non consideretur nudè, sed quatenus sub eâ ratione venit. §. XXIII.

LXII.

LXII. *In quô tertium?* R. In eô, quod materia, de quâ agitur, semper intelligenda sit obversari animo loquentis, etiamsi verba latius pateant. §. XXIV.

LXIII. *Si sub ratione comprehendatur res secundum potentiam moraliter consideratam?* R. Restrictio facienda non est: sic, si cautum sit, ne exercitus aut classis aliquo ducatur, duci non poterit etiam animo non nocendi: quia periculum qualecunque spectandum est. §. XXV. n. 1.

LXIV. *An promissa in se habent tacitam conditionem, si res maneant quo sunt loco?* N. Nisi apertissimè pateat statum rerum præsentem in unicâ illâ ratione inclusam esse: sic legati de suscepto itinere sæpè redeunt, legatione desertâ, cum res ita mutatas intelligunt ut tota legationis materia cesset. n. 2.

LXV. *Quotuplex est repugnancia casus emergentis cum voluntate?* R. Duplex: nam aut voluntas colligitur ex naturali ratione, aut ex aliô signo voluntatis. §. XXVI. n. 1.

LXVI. *Quasnam virtutes dijudicanda voluntati ex naturali ratione Aristoteles*

les tribuit proprias ? R. In intellectu *ἰσὺμην* seu æqu prudentiam; in voluntate *δικαιοσύνην*, seu æquitatem. *Illius exemplum prostat in l. 61. §. 5. de Furt. vers. idque evidentius. junct. l. 31. Depos. §. 1. vers. si per se. cit. n.*

LXVII. *Quid est equitas ?* R. Correctio ejus, in quo lex deficit ob universalitatem. *cit. n.*

LXIX. *Potestne hoc quoq; referrisub modò ad testamenta & pacta ?* A. Nam quia casus nec prævideri omnes possunt, nec exprimi; ideò libertate quadam opus est eximendi casus, quos, qui locutus est; si adesset, eximeret: non tamen temerè, sed ex sufficientibus indiciis. *cit. n.*

LXIX. *Quodnam primum ?* R. Si aliquo casu verba sequi pugnaret cum lege naturæ, aut divinâ; aut nimis grave ac intolerabile videatur. Talia enim eximenda sunt necessariò; quia non sunt obligationis capacia: sic qui promisit reddere gladium depositum, non reddet furenti: & excusatur auxilium promittens, si ipse periclitetur, & copiis indigeat. *cit. §. n. 2. & §. XXVII. n. 1.*

LXX

LXX. *Cur quis tenetur non deponenti, sed domino repetenti in L. 31. §. 1. ff. Depos. rem reddere, quæ penes cum deposita est?*

R. Quia semel ea vis domini introducti est, ut, rem domino cognito non reddere, omninò injustum sit. *cit. n. 2.*

LXXI. *Quodnam indicium secundum?* R. Si verba, sequi per se & omninò illicitum sit non quidem, sed æque rem æstimanti nimis grave ac intolerabile (l. 9. de Servit. junct. l. 17. §. 3. de S. P. U.) sive absolutè spectatâ conditione humanæ naturæ, sive comparando personam & rem, de quâ agitur, cum ipsò fine actus. Sic qui rem ad dies aliquot commodavit, intra eos dies repetere eam poterit, si ipse valdè egeat. Actus quippe tam benefici ea est natura, ut non credendus sit quisquam ad magnum suum incommodum se voluisse obligare. §. XXVII. *num. 1.*

LXXII. *An quis presumitur se obligasse ad conditionem iniquam?* R. Non credendum, quendam se obligare voluisse ad incommodum. Sic concessio immunitatis & tributorum intelligitur de quotidianis & anniversariis, non de iis, quæ

quæ summa necessitas exigit, & quibus Resp. carere non potest. *cit.* §. XXVII. n. 1.

LXXIII. *An quis obligetur ad servandum, quod alteri ad dies promisit, quando aliquod incommodum aut morbus intercedit?* N. Nam is excusatur, quamdiu ipse domi periclitatur, in quantum auxilio & copiis habet opus. n. 2.

LXXIV. *Quenam alia voluntatis signa casum eximunt?* R. Cum verba aliò loco posita committuntur inter se, ex ipsò rerum eventu. §. XXVIII.

LXXV. *Quæ sunt hic observandæ regulæ?* R. Permittens cedit jubenti: certò tempore faciendum præfertur ei quod quovis tempore fieri potest: inter pares præfertur magis peculiare: causas magis honestas ac utiles superat: postremò dictum vincit: pactum juratum præfertur non jurato. §. XXIX. n. 1. & 2.

LXXVI. *Quid pactio vetans & quid jubens?* R. Illa est, quæ obligat ad quodvis tempus, & plerumque vincit jubentem. Hæc verò non ita, nisi aut tempus sit expressum, aut jussio tacitam prohibitionem contineat. *cit.* n. 1.

Q

LXXVII.

LXXVII. *Cur pactum juratum preferendum pacto non jurato?* R. Propter religionem jurisjurandi. n. 2.

LXXIIX. *An contractus perfectus censi debet, antequam scriptura confecta sit ac tradita?* A. Nî aliud convenerit: nam illa tantum adhibetur, ut contractus monumentum; non ut ejus substantiæ pars: alioquin id exprimi solet. §. XXX.

LXXIX. *An contractus regum & populorum interpretandi sunt ex jure Romano?* N. Hoc enim nemo tenetur extra republ. Romanam: neque hoc à gentibus pro jure gentium est receptum. §. XXXI.

LXXX. *Cujus verba magis attendi debent, conditionem offerentis, an accipientis?* R. Hujus verba formam dant negotio, si sint absoluta ac in se perfecta: hic enim est, qui promittit.

§. XXXII.

CAP.

CAP. XVII.

De damno per injuriam dato, & obligatione qua inde oritur.

I.

Quot sunt fontes, quibus nobis aliquid debetur? R. Tres, Pactio, maleficium, lex. §. 1.

II. *Hactenus de pactioibus, quid sequitur?* R. Videndum quid nobis naturaliter debeatur ex maleficio: *cit. §.*

III. *Quid est maleficium?* R. Culpa omnis, in faciendo & non faciendo, pugnant cum eo quod homines facere tenentur. *cit. §.*

IV. *Qualis obligatio oritur naturaliter ex tali culpa?* R. Ut damnum datum resarcitur. *cit. §.*

V. *Quid est damnum?* R. Cum quis minus habet suo. §. 1. h. n. 1.

VI. *Quotupliciter aliquid alicui suum est?* R. Aut ex mera natura, scilicet vita, corpus, membra, fama, honor, actiones propriae; aut ex dominio & pactis, tum quoad res, tum quoad jus in actiones alienas; aut ex lege, quae idem ac plus potest, quam singuli in se ac sua: sic

Q 2

pu-

pupillus habet jus à tutore exigendi diligentiam exactam, respubl. à magistratu. *cit. n.*

VII. *In quò consistit jus illud, quod homo habet in suam vitam?* R. In custodia solâ, non perditione. *cit. n.*

VIII. *An soli Reipubl. conjunctim competit jus exigendi diligentiam à Magistratu?* N. Sed & civibus singulis, si lex id expressè, aut per quandam consequentiam significat. *cit. n.*

IX. *An non verum nanciscitur dominium, qui ad rem occupatam aptus habetur?* N. Quia non id alicui suum est, ad quod aptus est itaque rem illam restituere debet. *cit. §. n. 2.*

X. *An quis pecuniâ suâ alteri succurrere tenetur?* N. Quia nihil committit hic contra justitiam particularē, quamvis peccet contra liberalitatem & consequenter justum universale. *cit. n.*

XI. *Quæ est conditio liberorum populorum?* R. Posse suffragiis vel dare, vel detrudere, quò modò velit cuique. *cit. n.*

XII. *Quousq; Magistratus in collatione officiorum Reipubl. tenetur?* R. Ut eligat eum, qui dignus sit; nam ad hoc exigent-

exigendum Respubl. jus habet proprium. §. III.

XIII. *Quid si indignum elegerit?* R. Damnum, quod ex hujus electione accidit Reipubl. Magistratus resarcire tenetur. *cit.* §.

XIV. *An civis aliquis non indignus jus habet proprium ad officium aliquod?* N. Sed tantum jus habet petendi juxta alios. *cit.* §.

XV. *Quid si per vim aut dolum alterius impeditus fuerit?* R. Non totius rei expetitæ, sed incerti illius damni æstimationem, exigere poterit. *cit.* §.

XVI. *An quis in re tantum intelligitur minus habere?* N. Sed etiam in fructibus, qui propriè sunt rei fructus; deductis impensis quibus res est facta melior. §. IV.

XVII. *Quare impense ad fructus perceptos & percipiendos necessario factæ deducuntur?* R. Quia nemo debet locupletior fieri cum alterius injuriâ. *cit.* §.

XIX. *An spes lucri quoq; æstimatur ex nostrò?* A. Non quidem ut illud ipsum, sed secundum propinquitatē ad actum, ut spes messis in semente. §. V.

Q 3

XIX.

XIX. *Quomodo damnum infligitur?*
 R. Aut faciendo, aut non faciendo.
 §. VI.

XX. *Præter eum, qui per se damnum dat, quinam aliis primariò tenentur faciendo?* R. Jubens, consensum requisitum adhibens, adjuvans, receptum præstans, aliòque modò participans in crimine. *cit.* §.

XXI. *Qui secundariò?* R. Qui dat consilium, laudat, assentatur. §. VII.

XXII. *Qui primariò tenentur non faciendo?* R. Qui non vetant, aut opem ferunt injuriam patienti, ad quæ jure propriè dictò tenentur. §. VIII.

XXIII. *Qui secundariò?* R. Qui non dissuadent eum debeant; factumve reticent quod notum facere debebant. §. IX.

XXIV. *Quomodo tenetur ille, qui factum reticet, quod notum facere debet?*
 R. Si debet ex charitatis normâ, peccat quidem omittendo, non tamen ad reparationem tenetur. *cit.* §.

XXV. *Quando hi omnes tenentur?* R. Si verè fuerint causa damni, atque ad totum illud, aut ejus partem attulerint momentum. §. X.

XXVI.

XXVI. *Quò ordine?* R. Primò locò qui aliquem ad factum impulerunt imperiò, aut aliò modò: iisque deficientibus, patrator facinoris, & post eum cæteri. §. XI.

XXVII. *An in solidum singuli qui ad actum causam dederunt?* A. Si totus actus processit ab ipsis, quanquam non solis. cit. §.

XXIIX. *An aliquis tantùm de actu tenetur?* N. Sed simul etiam de his, quæ illum ex ejus vi sunt consecuta. Sic Capadocum Rex per lasciviam obstruxerat exitum Melani, quo Galatis & Phrygibus magna damna sunt illata; quæ trecentis talentis sarcire debuit. §. XII.

XXIX. *Ad quid tenetur injustus homicida?* R. Solvere impensas in medicos factas: ac iis, quos occisus alere solebat, ex officio (puta parentibus, uxori, liberis) tantùm dare, quantum illa spes alimentorum valebat, habitâ ratione ætatis occisi: sic Hercules multam pependit liberis Iphiti, quem occiderat. §. XIII.

XXX. *An occisus aliquò modò accipit?* A. Nam quæ uxor ejus & liberi & agna-

Q4

ti

ti accipiunt, ipse quodammodo accipit. *cit. §.*

XXXI. *Quis injustus homicida dicitur?*

R. Qui non habuit jus id faciendi, unde mors sequitur. *cit. §.*

XXXII. *Ergo non tenetur, qui jus habet, sed solum peccat contra charitatem, quod fugere noluerit?* A. *cit. §.*

XXXIII. *An est liberi hominis aestimatio?* N. Hæc enim tantum de servis dicitur, qui vendi possunt. *cit. §.*

XXXIV. *Qui mutilavit, aut conjecit in carcerem?* R. Similiter ad impensas, & æstimationem ejus quod patiens minus potuerit lucrari. *§. XIV.*

XXXV. *Adulter & adultera?* R. Maritum indemnem præstare ab alendâ prole, & liberis legitimis rependere, damnum quod patiuntur ex ita susceptæ sobolis concursu ad hereditatem. *§. XV.*

XXXVI. *Virginem imminuens vi, aut fraude?* R. Rependere ei quanti minoris ipsi valet spes nuptiarum: imò & eam ducere, si eâ promissione corporis usuram impetravit. *cit. §.*

XXXVII. *Fur & raptor?* R. Rem subtractam

tractam reddere, cum sub naturali incrementò, & sequente damnò, aut cessante lucrò; & æstimationem rei quæ periit, *cit. §.*

XXXIIX. *Quam æstimationem prestare tenetur fur & raptor?* R. Nec summam, nec infimam, sed mediam, *cit. §.*

XXXIX. *Quinam alii in hac classe ponendi?* R. Qui legitima vectigalia fraudant; qui iudiciò, accusatione, testimonio injustis damnum dederunt, *cit. §.*

XL. *Qui contractui, aut promissioni causam dedit dolo, vi, aut injusto metu?* R. In integrum restituere eum, quicum actum est: quia ille jus habuit, ne deciperetur, aut cogeretur. §. XVII.

XLI. *Si qui non nisi acceptâ pecuniâ facere voluerunt, ad quod ex officio tenebantur?* R. Talibus annumerandi sunt. *cit. §.*

XLII. *Si quis ipse causam dedit cur vim pati debeat, aut metu cogi?* R. Habet quod sibi ipse imputet: nam involuntarium ex voluntariò ortum moraliter habetur pro voluntariò, §. XVIII.

XLIII. *Quæ bella, quoad affectus externos, habentur pro justis?* R. Quæ summæ

mæ potestatis auctoritate utrinque gesta & indicta. §. XIX.

XLIV. *An bello obtentum repeti potest?* N. Si justum fuerit : nam jure gentium talis metus justus habetur. *cit.* §.

XLV. *An id quod piratæ aut latrones expresserunt metu?* A. Nisi jusjurandum intercesserit. *cit.* §.

XLVI. *Si reges aut magistratus non inhibeant latrocinia & piraticam?* R. Tenentur ex neglectu, si non adhibeant, quæ debent remedia. §. XX. n. n.

XLVII. *Si civibus per codicillos potestatem dederint in hostes prædandi; ita verò, patriam relictam, diripiant amicos, nec redeant revocati?* R. In nihil amplius tenentur, quam ut noxios repertos puniant, aut dedant, ac in raptorum bona jus reddi curent : quia ipsi non sunt injustæ prædationis causa, nec de prædâ participant, & prohibent, ne nocatur amicis. *cit.* §.

XLVIII. *An non obligantur ad exigendam cautionem?* N. Cum & sine codicillis hostem spoliandi potestatem civibus possent concedere. *cit.* §.

XLIX. *An & homines mali in Republ. tole-*

tolerandi? A. In tributâ enim ipsis civitate provideri non poterat, mali an boni futuri essent; nec vitari potest, quo minùs malorum operâ utamur, alioquin nullus posset colligi exercitus. *cit. §.*

L. *Si mancipium alicujus, aut animal damnum dedit?* R. Sine culpâ dominus ad nihil tenetur naturaliter. §. XXI.

LI. *An si navis alicujus alterius navi damnum dedit?* N. Multorum tamen populorum legibus tale damnum dividi solet, ob culpæ probandæ difficultatem. *cit. §.*

LII. *Si damnum datum sit adversus honorem & famam, verberibus, contumeliis, maledictis, calumniis, irrisu, similibusq; modis?* R. Actus vitiositas respondet poenæ, ut in omnibus criminibus: ejusque effectui, reparatio; quæ fit culpæ confessione, honoris exhibitione, testimonio innocentiae, & similibus; etiam pecuniâ, si læsus velit.

§. XXII.

CAP.

CAP. XIIII.

De legationum jure.

I.

Q*uanam est precipua obligationum jure gentium introductarum? R. Legationum jus, quo legati dicuntur esse sacrosancti, illisque deberi jus gentium. §. 1.*

II. Ad quos legatos hoc jus pertinet? R. Ad eos quos inter se mittunt imperii summi compotes. §. II. n. 1.

III. An etiam ad provinciales ac municipales? N. Hi enim non reguntur jure gentium, sed civili. cit. n.

IV. An jus legationis habent qui junguntur impari fœdere? A. Sunt enim sui juris. cit. §. n. 2.

V. An etiam qui ex parte subditi sunt, ex parte non sunt? A. Pro eâ parte quâ non sunt subditi. cit. n.

VI. An reges bello solenni victi, & exuti imperio? N. Quia tales hoc jus perdidierunt cum aliis regni bonis: sic P. Æmilius retinuit caduceatores victi à se Persei. cit. n.

VII. Si bello civili? R. Tunc necessi-

tas

tas aliquando locum huic juri facit, extra regulam. *cit. §. n. 3.*

IX. Quò casu? R. Cum populus ita divisus est in partes quasi æquales, ut dubium sit ab utrâ parte stet jus imperii: aut cum duo de regni successione certant, jure controverso; tali enim casu gens una pro duabus habetur pro tempore. *cit. n.*

IX. An pirata & latrones? N. Quia civitatem non faciunt; sed tamen fide datâ id possunt nancisci. *cit. n.*

X. Quenam sunt, quæ de legatis ad jus Gentium referri possunt? R. Prius est ut admittantur, deinde ne violentur. *§. III. num. 1.*

XI. An legatos omnes admitti præcipit jus gentium? N. Sed vetat rejici sine causâ justâ. *cit. n.*

XII. Quæ causa possunt esse justæ? R. Variæ, ex eò qui mittit, qui mittitur, ob quod mittitur. *cit. n.*

XIII. Qui vetari possunt ex primâ causâ? R. Venientes ab hoste armatò, sceleratò, perfidò: sic Lacedæmoniorum legatus Melesippus extra fines agri Attici dimissus est, quod ab armatò hoste
veni-

veniret. Totilæ perfidi legationem rejecit Justinianus. *cit. §. n. 2.*

XIV. *Qui ex alterâ ?* R. In quos est odium peculiare ; sic Lyfimachus audire noluit Theodorum atheum à Ptolomæo missum. *cit. n.*

XV. *Qui ex tertiâ ?* R. Cum causa mittendi suspecta est : sic legatio Rhabfacis ad populum concitandum erat Ezechix suspecta ; cumque non est conveniens dignitati, aut temporibus : sic Romani denunciârunt Ætolis, ne quam legationem admitterent, nisi permissu Imperatoris. *cit. n.*

XVI. *An vetari possunt assidue legationes ?* A. His enim opus non esse docet mos antiquus, cui illæ ignoratæ. *cit. n.*

XVII. *Quenam in non-violandis Legatis spectanda ?* R. Videndum habemus primò de legatorum personis, deinde de comitibus eorum ac bonis. *§. IV. n. 1.*

XIIX. *Quomodò legati sunt inviolabiles jure gentium ratione persona ?* R. Ita, ut rei fieri nequeant, nec eorum corporibus vis inferri. *cit. n.*

XIX. *An non sufficit vim duntaxat injustam*

justam à Legatorum corporibus arceri?

R. Ita censent nonnulli, eò quod privilegia ex jure communi sint interpretanda. *cit. n.*

XX. *Quid si jus Gentium à Legato laesum sit?*

R. Ita vim ipsi inferri posse putant: Nam in jure Gentium jus naturæ includitur, ita, ut ex omnibus delictis puniri jam Legatus possit, nisi quæ ex merò jure civili oriuntur. *cit. n.*

XXI. *Quid si contra statum Reipublicæ aut dignitatem ejus, ad quem legatus mittitur, aliquid fiat?*

R. Sunt, qui hoc ipsum periculosum putant, & querelas exponendas ei, qui misit, ejusque arbitrio permittendum Legatum. *cit. n.*

XXII. *An non sufficit reges consuli aut gentes, quarum nihil interest?*

R. Hoc prudentiæ esse potest, juris non potest. *cit. num.*

XXIII. *Quid igitur sentiendum de rationibus, quas pro se quisq; afferunt?*

R. Nihil definitè concludunt: quia jus hoc non, ut jus naturale, ex certis rationibus certò oritur, sed ex voluntate gentium modum accipit. Potuerunt autem gentes aut omninò cavere Legatis,
aut

aut cum certis exceptionibus : nam & hinc utilitas stat pœnæ in gravia delinquentes, & inde utilitas legationum, quarum mittendarum facilitas securitate, quanta potest esse maximâ, optimè promovetur. *cit. §. n. 2.*

XXIV. *Quid ergò factò opus ?* R. Spectandum, quousque gentes consenserint : Unde recurrendum tum ad sapientum judicia, tum ad conjecturas. *cit. num.*

XXV. *Quenam hac de re habemus judicia ?* R. Livii alterum, alterum Sallustii, de quibus *cit. §. n. 3.*

XXVI. *Quas conjecturas ?* R. Hinc stat altera, quâ verius est, privilegia esse ita intelligenda, ut aliquid tribuant ultra jus commune. Quod si legati ab injustâ tantum vi tuti essent, nihil in eò magni esset, nihil præcipui. Adde, quod securitas legatorum utilitati, quæ ex pœna est, præponderat. *n. 4.*

XXVII. *Qui hoc ?* R. Pœna haberi potest per eum, qui legatum misit volentem : & si nòlit, ab ipsò exigi bellò tanquam criminis approbatore. *cit. n.*

XXIIX. *Videtur tamen satius unum
plecti*

plecti quàm bello multos involvi? R. Sed si is, qui legatum misit, factum ejus probet, Legati pœna bello nos non eximet. *cit. n. 4.*

XXIX. *Quid ab alterâ parte metuendum?* R. Valdè in lubricò locatur salus Legatorum, si actuum suorum rationem alii reddere debeant, quàm à quò mittantur. Nam cum plerumque diversa, sæpè & adversa sint consilia eorum, qui mittunt legatos, & qui accipiunt, vix est, ut non semper aliquid in legatum dici possit, quod criminis accipiat speciem. *cit. n.*

XXX. *Quid si crimina sint ita manifesta, ut dubitationem non habeant?* R. Sufficit tamen ad æquitatem & utilitatem legis universalis periculum universale. *cit. nam.*

XXXI. *Attamen communis mos quemvis in alienò territorio existentem ejus loci territorio subjicit?* R. Censendum omninò placuisse gentibus, ut mos iste exceptionem pateretur in legatis, ut qui sicut fictione quadam habentur pro personis mittentium, ita etiam fictione

R

simili

simili constituerentur quasi extra territorium. *cit. §. n. 5.*

XXXII. *Quid sentiendum itaq; si delinquant?* R. Delictum leve dissimulandum est; aut jubendus è finibus decedere legatus: ut factum legato, qui Romæ fugiendi causam præbuerat obsidibus. *vit. n.*

XXXIII. *Si sit atrocius crimen, malumque publicum spectet?* R. Mittendus est admittentem, cum postulatò ut puniat, aut dedat; sic Galli postularunt ut sibi dederentur Fabii. *cit. n.*

XXXIV. *Si periculum immineat?* R. Retineri potest ac interrogari, si nullà alià ratione obviam iri possit: sic consules Romaniprehenderunt legatos Tarquinii. *cit. §. n. 6.*

XXXV. *An etiam hoc præceptum sanctimonia legatorum obligat in summâ necessitate?* N. Verum is apex necessitatis non est in sumptione pœnæ: multò minùs in locò, tempore ac modo sumendæ pœnæ, sed in præcautione gravis mali, præsertim publici. *cit. n.*

XXXVI. *Si vim armatam intentet?* R. Occidi potest per modum naturalis defensionis.

ensionis, non pœnæ: sic ab Athenien-
sibus interfectus Copreus legatus Eu-
rysthei. *cit. §. n. 7.*

XXXVII. *Quinam obligantur lege de
non violandis legatis?* R. li, ad quos mit-
tuntur. *§. V. n. 1.*

XXXIIX. *An semper?* N. Denuncia-
ri enim potest, ne mittantur, alioqui
pro hostibus fore, quod Romani denun-
ciarunt Ætolis. *cit. n.*

XXXIX. *Quando igitur?* R. Si admis-
si fuerint: quia ab eò tempore tacita
intercessit pactio. *cit. n.*

XL. *An & ii, per quorum fines legati
transeunt non acceptâ veniâ?* N. Quin-
etiam vinciri, imò interfici possunt, si
ad hostes eorum eant, aut ab iis veni-
ant, aut hostilia moliantur: quod fe-
cerunt Athenienses legatis inter Persas
& Spartanos. *cit. n.*

XLI. *Si nihil sit tale, ac tamen male
tractentur?* R. Non quidem violatur jus
gentium, sed amicitia ac dignitas mit-
tentis, ejusve, ad quem eunt. *cit. §. n. 2.*

XLII. *An legatio apud hostes & inimi-
cos etiam habet juris gentium præsidium?*

A. Si fuerit admittenda; nam & in bello

plurima incidunt negotia, quæ transigi nequeunt, nisi per legatos: & vix est, ut pax aliter coëat. §. VI.

XLIII. *An legatus potest jure talionis interfici, aut malè tractari, veniens ab eò, qui tale quid patravit?* N. Jus enim gentium non tantùm cavet mittentis dignitati, sed & securitati ejus, qui mittitur; quare cum hoc etiam tacitè contrahitur: huic ergò fit injuria, quamvis non mittenti: sic cum legati Romani malè excepti fuissent à Carthaginensibus, horum tamen legatos malè tractari Scipio non voluit. §. VII.

XLIV. *Quid dicendum de legatorum comitibus & vasis?* R. Etiam sui generis habere sanctimoniam: sed accessorie, quatenus legato videtur. §. VIII. num. 1.

XLV. *Si comites gravitus deliquerint?* R. Vi abstrahi non debent: sed à legato postulari poterit ut eos dedat; sic Romani jus gentium violatum dicebant ab Achæis, quod Lacedæmonios quosdam, Romanorum legatorum comites vi abstraxerant. *tit. n.*

XLVI.

XLVI. *Si nolit?* R. Eadem faciendæ quæ dicta sunt de legato. *cit. n.*

XLVII. *An legatus habet jurisdictionem in familiam, aut jus asyli pro quibusvis?* N. Jure gentium; sed hoc pendet ex concessione ejus apud quem agit. *cit. §. n. 2.*

XLVIII. *An legati bona mobilia capi possunt, pignoris causa, aut ad solutionem debiti?* N. Neque per ordinem judiciorum, neque manu regiæ; nam ut plena sit legato securitas, omnis ab eò abesse debet coactio, tam quæ res ei necessarias tangit, quàm quæ personam. §. IX.

XLIX. *Si verò debitum contraxit?* R. Ipse compellendus est amicum: & si detrectat, is qui misit: ita ut ad postremum usurpentur ea, quæ solent adversus debitores extra territorium positos. *cit. §.*

L. *Si id juris sit, an non metuendum, ut quis cum legato contrahat?* N. Nam & regibus non desunt creditores, qui cogi nequeunt. §. X. n. 1.

LI. *An bellum alicui licet inferre ab legatos male exceptos?* A. Jure gentium; eoque nomine David bellum gessit adversus Ammonitas. R; CAP.

CAP. XIX.

De jure sepultura.

I.

Quid porro nascitur ex jure gentium?
 R. Jus humandi mortuos. §. I. n. 1.
 item §. VI.

II. Quibus veteres hac jura ascribebant? R. Diis ipsis, quo sanctiora viderentur. cit. §. n. 2.

III. Qua primò affertur causa introducti hujus juxis? R. Gigantea feritas mandendi homines, cujus abolitæ signū sepultura. §. II. n. 1.

IV. Qua secundo? R. Hoc modo spontè solvisse homines debitum, quod alioquin, vel ab invitis repetit natura. cit. §. num. 2.

V. Qua tertio? R. Quo resurrectionis spes, à primis humani generis parentibus, hoc veluti monumento, confignata esset. Nam & ob reviviscendi promissum, adservanda corpora docuisse Democritum, Plinius testis est. cit. §. num. 3.

VI. Quatandem quarto verior & simplicior causa? R. Ut caveretur ne alia
 ani

animantia, humano corpore pascerentur: Hoc enim indignum videbatur, cum homo cæteris animantibus præstaret. *cit. §. n. 4. & 5.*

VII. *Quibus debetur sepultura?* R. Amicis, inimicis, hostibus publicis; officium enim hoc sepeliendi non tam homini præstatur quam humanitati. *cit. §. n. 6. & §. III. n. 1. 2. & 3.*

IX. *An & facinorosis?* A. Hebræorum, Romanorum, aliorumque ob id laudatorum legibus. *§. IV. n. 1.*

IX. *Varia tamen exempla sunt eorum qui insepulti sunt abjecti, & hodie quorundam damnatorum corpora in publico conspectu relinquuntur?* R. Sed an mos ille sit laudandus disputatur. *cit. §. III. n. 4. & §. IV. n. 2.*

X. *Deus tamen interdum aliquos punivit sepultura jacturâ?* R. Sed Deus supra leges constitutus hoc suo jure fecit. *cit. §. n. 3.*

XI. *Lege verò Hebræâ excipiebantur qui sibi ipsi mortem consciverant?* R. Quia scilicet in hos aliud supplicium constitui non poterat, mortem pro supplicio non habentes. *§. V. n. 1.*

R 4

XII.

XII. *Atqui mortui nihil sentiunt ?* R. Satis est id, quod mortuis accidit, à vivis metui, ut hoc pacto à peccatò retrahantur. *cit. n.*

XIII. *Ergone mors voluntaria planè illicita ?* A. Licet aliì servitutis & mortis fugam, imò & spem gloriæ, pro justa causa mortis voluntariæ admittant. Optimè enim Platonici contra Stoicos sentiunt, retinendum animum in custodiâ corporis, nec injussu ejus à quo ille nobis datus est, ex hac vita demigrandum. *cit. §. n. 2.*

XIV. *Annon aliqua ab hac regulâ exceptio datur ?* A. Nonnulli enim Hebræorum unam causam excipiunt ; Si quis nempe videat, se deinceps victurum in probrum ipsius Dei. Atque huc referunt exempla ; Samsonis ; Saulis ; Razis in historiâ Maccabaicâ. *cit. §. n. 4.*

XV. *Quid si quis mortem sibi inferret, ne, tormentis adactus, Christi religionem ejuraret, aut pudicitiam amitteret ?* R. Hos quandoque in martyrum censum, Ecclesia retulit, sed Augustinus lib. i. de Civ. Dei c. 16. eis ignoscere vult humanos affectus. *cit. n.*

XVI.

XVI. *Quanam est altera exceptio?* R. Apud Græcos à sepulturâ excipiebatur sacrilegus; apud Athenienses proditor. *cit. §. n. 5.*

XVII. *Quid si sepultura negetur?* R. Ob eam negatam bellum justè suscipi veteres judicarunt consensu magno. *cit. num.*

XIIX. *Suntne & alia quedam, quæ ex jure gentium voluntario debentur?* A. v. g. longò tempore possessa, successiones ab intestatò, & quæ ex contractu, quantumvis inæquali, veniunt. §. VI.

XIX. *Quæ horum omnium est ratio?* R. Hæc cuncta, quanquam ex jure naturæ ortum aliquatenus habeant, accipiunt tamen ex humanâ lege firmitatem quandam, sive adversus conjecturæ incerta, sive adversus exceptiones quasdam, quas alioquin ratio naturalis videtur suggerere.

cit. §.

De Pœnis.

I.

Consideratis factis ut possunt reparari,
quomodo ea porro consideranda? R.
Ut punienda. §. 1. n. 1.

II. *Quid est pœna?* R. Malum passionis quod ob malum actionis infligitur.
cit. num.

III. *An etiam pœnae sunt illa opera, quae pro pœnis injunguntur?* A. Nam ea tantum spectantur, quâ molesta sunt, atque ideò merito ad passiones referenda.
cit. num.

IV. *An aliquem pœnâ licet afficere?* A. Nam inter naturâ licita & non iniqua hoc etiam est, ut malum ferat, qui malum fecit: adeoque non fit injuria nocenti, si puniatur. *cit. §. n. 2.*

V. *An omni pœna inest ut reddatur delicto?* A. Illudque etiam pertinet ad eas pœnas quæ à Deo infliguntur; quamquam in illis interdum, ob humanam ignorantiam, latet culpa, ubi non latet pœna. *n. 3.*

VI. *Multi tamen incommoda quadam
patiuntur*

*patiuntur sine culpâ; cum arcentur à cæ-
tibus, aut functionibus, ob morbum con-
tagiosum, corpus mutilum, aliasve impu-
ritates?* R. Hæc incommoda propriè
non sunt pœnæ, quanquam per abusio-
nem & quandam similitudinem ita ap-
pellentur. *cit. n. 4.*

VII. *Ad quam justitiæ speciem pertinet
pœna?* R. In eâ primò ac per se exerce-
tur justitiæ expletrix: quia puniens jus
habere debet ad puniendum, ut rectè
puniat. §. II. n. 3.

IIIX. *Unde hoc jus oritur?* R. Ex no-
centis delicto: qui enim directè vult
peccare, vult per consequentiã quo-
que pœnam mereri. *cit. n.*

IX. *Cur non spectat ad assignatricem,
justitiã, cum tamen, qui plus peccârunt,
gravius, qui minus, levius puniantur?* R.
Id non per se, sed tantùm per conse-
quentiã evenit. *cit. §. n. 1.*

X. *Nonne assignatrix locum habet, quo-
ties inter terminos plures duobus institui-
tur æqualitas?* N. *conf. L. I. C. I. §. 8.
n. 2. & 3.*

XI. *Quid igitur per se spectatur in
pœnis?* R. Æqualitas inter culpam &
pœnam.

poenam. Quo referenda lex divina Dent. xxv. v. 2. cit. n. 1.

XII. *Veniunt tamen pœne ex toto ad partem?* R. Et assertum & asserti fundamentum negatur. Nec enim justitia assignatrix in processu à toto ad partem consistit, sed in habendâ ratione ejus aptitudinis, quæ jus strictè dictum in se non continet, sed occasionem ei dat. cit. §. n. 2.

XIII. *An propterea ad expletricem pertinet, quia nocenti aliquid quasi redditur, quod ei debetur ob delictum?* N. Nam cui propriè aliquid debetur, ille in alterum jus habet; sed cum pœna alicui deberi dicitur, nihil aliud est, quàm æquum esse, ut puniatur. cit. v.

XIV. *An mulier, quæ scienter se servâ alienò conjunxit, jure sit serva?* A. Nam videtur in servitutem sui consensisse, quia id pœnæ in tales est constitutum. cit. §. n. 3.

XV. *Cum quò convenit solutio pœnæ?* R. Cum contractibus. Nam non solum eò nomine veniunt, quæ mutuis conventionibus constant, sed etiam quæ legibus sunt vetita. add. l. 54. D. de Re Jud. cit. n. 3. & 4.

XVI.

XVI. Cui competit jus puniendi? R. Hoc per naturam non determinatur; sed conveniens est, ut punitio fiat à superiore, meliore, minus nocente. §. III. num. 1.

XVII. Quò sensu vocabulum superioris hic accipi solet? R. Ut ipse, qui malè egit, eò ipsò se quovis aliò inferiorem, censeatur fecisse, & quasi ex hominum censu detrusisse in censum bestiarum, quæ homini subjacent. cit. n.

XIX. Qualem innocentiam Christus Job. iix. v. 7. à Pbarisæis requirit? R. Non voluit, ut sine omni peccatò essent, sed solum sine tali, quo mulierem accusabant. num. 2.

XIX. An nocentes sunt omninò puniendi? N. Deus enim & homines multa condonant, ac ob id laudantur. §. IV. n. 1.

XX. An à Deo? A. Dei enim actiones niti possunt ipsò summi dominii jure, præsertim ubi speciale hominis meritum accedit. n. 2.

XXI. An etiam facit? A. Nam id extremum judicium, post quod nulla expectatur emendatio, & in hac vitâ poenæ quædam inconspicue ut: obduratio; & variz

varia locutiones biblicæ, (cum v.g. Deus dicitur voluptatem capere ex improborum malo &c.) aperte testantur. *cit. num. 2.*

XXII. *An homo potest ab homine puniri tantum puniendi causâ?* N. Quia homo homini consanguinitate ita alligatur, ut nocere ei non debeat, nisi boni alicujus consequendi causâ: adeoque in pœnâ semper utilitas aliqua proponi debet, qualis nulla reperitur in merâ ultione. *cit. §. n. 2. & 3. & §. V.*

XXIII. *Homini tamen natura convenit, dum inimici dolor optimum proprii doloris remedium est?* R. Convenit quidem ejus naturæ, sed quam cum brutis habet communem, non verò quatenus simul habet rationalem & socialem. *cit. §. V. n. 1.*

XXIV. *Quæ hæc natura homini dicitur?* R. Ipsi nihil agendum esse, quo noceatur alteri, nisi id bonum aliquod habeat propositum. *cit. n.*

XXV. *Quotuplex est illa prædicta utilitas?* R. (1) Ejus qui peccavit, (2) cujus intererat non peccatum esse, (3) quarumlibet indistinctè. *§. VI. n. 2.*

XXVI.

XXVI. *Qua pœna respicit finem primum?* R. Quæ constituitur in emendationem, peccantem reddens meliorem, medendi modo qui est per contraria: vitii enim adimenda est illecebra, efficiendo, ut saporem dulcedinis amittant subsequente dolore. §. VII. n. 1.

XXVII. *Quibus hæc punitio competit naturaliter?* R. Cuius iudicio valenti, nec ejusmodi generis aut paribus vitii obnoxio. n. 2.

XXVIII. *An hoc etiam de pœnâ, que coactionis aliquid continet, est dicendum?*

A. Nam nec in hæc natura potuit constituere discrimen; nisi quod parentibus in liberos ejus juris usurpationem, pro affectus necessitudine commendat. cit. num.

XXIX. *Quare leges communem generis humani propinquitatem ad proximos affectus restrinxerunt?* R. Ut vitarentur rixæ. cit. n.

XXX. *An hoc puniendi genus ad mortem pertinere potest?* N. Nisi modo reductivò, quo ingenii insanabilibus intelligitur melius esse emori quam vivere. cit. §. n. 3.

XXXI.

XXXI. *Quando hac animadversio habet locum?* R. Rarò. Nam, quia hæc ingenia difficulter cognoscuntur, charitas dictat neminem temerè habendum esse pro deploratò. *n. 4.*

XXXII. *In quò sita est utilitas ejus, cujus intererat non peccatum esse?* R. Ne posthac tale quid patiatur ab eodem, aut ab aliis. §. VIII. *n. 1.*

XXXIII. *Quomodò prius curabitur?* R. Si delinquens tollatur, nocendi vires ei adimantur, suòve malò dedoceatur delinquere. *cit. n.*

XXXIV. *Quomodò posterius?* R. Punitione apertà atque conspicuà, quæ ad exemplum pertinet. *cit. n.*

XXXV. *An licita est vindicatio privata, qua dirigitur ad hos fines, & intra equi terminos?* A. Jure naturæ: sive à læsò fiat, sive ab aliò. *cit. §. n. 2.*

XXXVI. *Quare etiam ab aliò?* R. Quia hominem ab homine adjuvari naturæ est consentaneum. Unde quoque Macabæi laudantur Sabbatho ultri innocentium necem fratrum suorum. *cit. n. 2. & 3.*

XXXVII. *An hac semper obtinet?* N. Cum

Cum enim in rebus nostris & nostrorum affectu corrumpamur, iudices constituti sunt, quibus solis vindicandi potestas à civitate est concessa. *cit. §. n. 4.*

XXXIIX. *An C. Caesar privatus adbut piratas, à quibus ante fuerat captus, jure cruci suffixit?* A. Quia, cum proconsul tanquam magistratus in eos animadvertere negligeret, & iudicium sic cessaret, redibat pristina naturalis libertas. *n. 5.*

XXXIX. *An non tamen alicubi remanet vetus illa libertas naturalis?* A. Ubi nulla sunt iudicia, in mari, ac locis desertis; maximè inter eos, qui non habent iudicem communem. *cit. n. 5. & 6.*

XL. *Quomodo procuratur utilitas quorumlibet?* R. Hoc agendo, ne aliis noceat, qui uni nocuit; aut ne alii aliis molesti sint, allecti impunitate. *§. IX. num. 1.*

XLI. *Quomodo illud procuratur?* R. Delinquentem tollendo; aut debilitando, vel constringendo, ut nocere nequeat; aut emendando. *cit. n.*

XLII. *Quomodo hoc?* R. Suppliciis conspicuis. *cit. n.*

XLIII. *Quem penes est hujus juris potestas?*

S

testas?

testas? R. Naturaliter penes unumquemque : sed ob vitandas rixas , huic fini constituta sunt judicia , quibus solis illa potestas conceditur. *cit. §. n. 2. & 4.*

XLIV. *Anne primi homines potuerunt bruta occidere ?* N. Nisi ipsis damnum intulerant , aut erant venenata & fera , ubi periculum erat , ne hominibus nocerent. *n. 3.*

XLV. *Cur ?* Quia Deus suam voluntatem de vertendis in hominum alimenta animantibus cœteris nondum prodidisset. *cit. n.*

XLVI. *Qui eligendi sunt ad hoc pœnale judicium ?* R. Optimi & prudentissimi , ut factum diligenter inquirent & pœnam æstimare possint. *n. 4.*

XLVII. *Nonne tamen alicubi restant vestigia prisca istius juris naturalis ?* A. In iis locis ac inter eas personas , quæ non subsunt certis judiciis ; ac præterea in quibusdam casibus exceptis. *n. 5.*

XLIX. *Quibus ?* R. Sic apud Hebræos deficiens à Deo ac Dei lege , aut ducem se præbens ad falsos cultus , illicò poterat à quolibet interfici : sic Phineas hoc zeli judicium exercuit : apud
varios

varios populos & dominis in servos, & parentibus in liberos; mansit jus puniendi plenum, etiam ad mortem usque. *cit. n. 5. & 6.*

XLIX. *Quare lex evangelica ea vetat, qua naturâ & per leges civiles conceduntur?* R. Quia ista, tanquam perfectissima lex, præmium promittit humanâ naturâ majus, meritò etiam ad id consequendum virtutes requiruntur, quæ sola naturæ præcepta excedunt. §. X. n. 1.

L. *An præceptis Evangelicis repugnant castigationes, quæ neque infamiam relinquunt, neque damnum permanens, & pro atatis aut alterius qualitatis ratione sunt necessaria?* N. Si fiant ab iis, quibus lege humanâ permittuntur, à parentibus, tutoribus, dominis, magistris: sunt enim hæc innocentia animorum remedia. *cit. n.*

LI. *An ultio Evangelio convenit, quatenus animum dolentis duntaxat exsatiat?* A. Nam & hæc est illicita naturaliter. n. 2.

LII. *Quid insuper requirit lex Hebræa?* R. Ut fratribus inimicis non tantum

non noceant , sed etiam benefaciant.
cit. n. 2.

LIII. *Estne hoc de omnibus injuriis intelligendum?* N. Sed solum de minoribus. Nam graviores adito iudice ulcisci illis permittebat. *cit. n.*

LIV. *Quid de his Lex Evangelica?* R. Neque in minoribus neque in gravioribus id permittit, nomine proximi ad omnes homines prolato. *cit. n.*

LV. *Unde hoc patet?* R. Non tantum existat oppositione Matth. V. v. 33. *audistis dictum veteribus: oculus pro oculo, & mox v. 34. ego vero dico vobis;* sed etiam ex sequentibus, quæ veterem permissionem, ut imperfectiori tempore congruentem rejiciunt. *cit. n.*

LVI. *An igitur Christiani quaelibet injurias pati necesse habent?* N. Nam non dicitur, quod planè iniqua sit ultio, sed quod ei patientia præstet. *cit. n.*

LVII. *An eam ultionem exercere valeamus, quæ cavet in futurum, non respiciens præteritum?* R. Et hanc vult Christus condonari, si lædens probabilia de pœnitentiæ testimonia. *cit. §. n. 6.*

LIX. *Quem hac pœnitentia habet effectum?*

fectum? R. Ut nihil à pœnitente pœnæ nomine exigi possit, cum plena debeat esse remissio, quæ etiam in jus veteris amicitia restituit eum, qui peccavit. *cit. n.*

LIX. *Sed si hac pœnitentia signa absint?* R. Damnum haud nimium grave insuper habendum docet Christus, dimittendæ tunicæ præcepto. *cit. n.*

LX. *Si dissimulatio secum ferat magnum periculum?* R. Eâ cautione contenti esse debemus, quæ quàm minimum noceat. *n. 7.*

LXI. *Qui est dicendus justus, b. e. vir probus ac facilis?* R. Is, qui non tantum ab ultionis atrocitate, sed etiam accusationis severitate alienus. Sic Josephus quoque justus dicitur ob id, quod cum uxorem suam adulterii compertâ crederet, divortio se liberare maluerit, quàm committere, ut traduceretur. *cit. n.*

LXII. *An legi Evangelicæ repugnant pœna publicò bonò consulentes, nocentem tollendo, aut coërcendo, ne cui noceat; aut alios exempli severitate deterrendo?* N.

Hæ enim lege Mosis imperatæ non sunt per Christum sublata. *cit. §. n. 8.*

LXIII. *Nonne videtur esse contra lenitatem Dei in novò fœdere, quæ proinde hominibus, etiam magistratibus sequenda?* N. Nam ista præcipuè spectat peccata contra primævam & Mosis legem commissa, ante acceptam Evangelii notitiã. Quæ enim postea committuntur, multò severioris judicii criminationem habent, quàm quod Moses instituerat, & jam in hæc vitã intales culpas Deus animadvertit. *§. XI. n. 1.*

LXIV. *Quomodo talium commissorum facinorum indulgentia impetrari potest?*

R. Si ipse homo de se quasi poenas exegerit, gravi quodam mœrore. *cit. n.*

LXV. *Nonne saltem pœnitentiã ductis danda est impunitas?* N. Nam primum de verã pœnitentiã hominibus vix constat; & si nuda ejus confessio sufficeret, quilibet impunè malefacta ferret; deinde ipse Deus non semper pœnam his remisit, ut Davidis exemplo apparet. *num. 2.*

LXVI. *An Deus mortis æternæ pœnam potest remittere?* R. Potest remittere, atque

atque interim peccatorem aut morte immaturâ ipse punire, aut velle, ut per magistratum puniatur. *cit. n.*

LXVII. *Multis tamen per inflictionem pœnae cum vitâ simul spatium ad pœnitendum praecluditur?* N. Nam pii magistratus non permittunt quemquam ad supplicium rapi, nisi dato tempore, quo peccata sua agnita seriò detestari possit. §. XII. *n. 1.*

LXIX. *Sed hac pœnitentia est absque bonis operibus?* R. Nihilominus hæc Deo grata est, quamvis opera morte interclusa non sequantur, ut latronis cum Christo crucifixi exemplo apparet. *cit. n.*

LXIX. *Olim quidem Christianis fuit orandum, ut reges fierent Christiani, quo impios tollerent & innocentibus essent praesidium, sed hodiè longè lateq; propagatum est evangelium?* R. Sicut jam quoque improbitas hominum magna est, ita etiam quorundam morte reprimi debet aliorum audacia; quippe ne sic quidem inter crucès & supplicia fontium satis tuta est innocentia. *n. 2.*

LXX. *Nonne tamen melius illas mitigare?* A. Atque capitales pœnas mutare

in damnationes ad opus : quo illi magis ad pœnitentiam ducerentur, & magis ad exemplum pœna proficeret. *cit. §. num. 3.*

LXXI. *An sublato uno sine pœnarum, tollitur in totum pœna ?* N. Sed omnes cessare debent, ut pœnæ non sit locus. *§. XIII. n. 1.*

LXXII. *Quæ in vindicandis injuriis princeps sequi debet ?* R. Tria juxta Senecam : ut aut eum, quem punit, emendet ; aut ut pœna ejus cœteros meliores reddat ; aut ut sublati malis securiores cœteri vivant. *n. 2.*

LXXIII. *An privato homini Christiano licet pœnam capitalem de improbis sumere, siue sui, siue publici boni causâ ?* R. Id valdè intutum est, quanquam jure gentium aliquando permittatur. *§. XIV.*

LXXIV. *Quid consultam igitur navigaturis, ut hoc liceat ?* R. Ut à publicâ potestate instruantur publicis mandatis, ad persequendos piratas in mari reperiros, ut occasione datâ uti possint ; non quasi suo propterea ausu, sed publicè jussi. *cit. §.*

LXXV. *An ad criminum accusationes ad-*

admittendi quibus id libet? N. Sed quibus id muneris impositum est à potestate publicâ ; ut nihil quisquam ad sanguinem fundendum faciat, nisi officii necessitate. §. XV.

LXXVI. *An se suâ spontè licet ingerere ad ea publica munera, qua de sanguine, judicium habent?* N. Christianum enim non decet existimare sibi, tanquam omnium excellentissimo, ac Deo cui-dam, deferri debere jus vitæ ac necis in cives. §. XVI.

LXXVII. *Quid si à societate deferuntur?* R. Nihilominus periculosum est de aliis judicare ; quia, quale judicium in alios ferimus, tale nobis in paribus causis à Deo est expectandum. cit. §.

LXXIIX. *Quid præstant leges humanae permittentes quorundam interfectionem?* R. Si dolori indulgeant, pœnam tollunt humanam, non vitium ; ut in marito, qui occidit adulteram uxorem, aut adulterum. §. XVII. v. 1.

LXXIX. *Si respiciunt futuri mali periculum, ex pœnæ dilatione?* R. Censentur privato concedere jus ac publicam potestatem, ita, ut in eò non sit privatus ;

tus: sic lege Romanâ conceditur cuivis exercere publicam ultionem adversus latrones publicos, ac militiæ desertores. *n. 2.*

LXXX. *An jus occidenti exules, quos bannitos vocant, differt ab harum legum specie?* A. Ibi enim præcedere debet sententia; hic generale edictum, accedente facti evidentia, vim latæ sententiæ obtinet. *n. 3.*

LXXXI. *An omnes actus vitiosi possunt ab homine puriri?* N. Humanæ enim naturæ congruum non est, ut jus aut obligatio nascatur ex actibus merè internis. §. *XIX.*

LXXXII. *Æstimantur tamen?* R. Non propriè ratione sui, sed externorum, in quos influunt; quique ex eò meriti sui qualitatem accipiunt. *cit. §.*

LXXXIII. *An actus inevitabiles nature humanae?* N. Si tales sint simpliciter: ab omni enim peccatò, & semper abstinere supra conditionem humanam est. §. *XIX. n. 1.*

LXXXIV. *An hac possunt propriè peccata dici?* N. Cum libertatem, quam in specie habere videntur, in suâ generali-

rali-

ralitate considerata non habeant. *cit. §. vum. 2.*

LXXXV. *An quedam huic & nunc inevitabilia, ob corporis concretionem in, animum transeuntem, aut adultam consuetudinem?* A. Non tam in se, quam ob culpam præcedentem: quia remedia neglecta sunt, aut ultrò attracti in animum morbi. *cit. v.*

LXXXVI. *An peccata non spectantia societatem humanam, aut hominem alterum?* N. Talia enim relinquenda sunt sapientissimo, æquissimo, potentissimo iudici Deo: exceptis pœnis emendatoriis, quæ causam habent, ut, qui peccavit, melior fiat, etiamsi fortè id aliorum non intersit. *§. XX. n. 1.*

LXXXVII. *An actus oppositi misericordie, liberalitati, gratiarum relationi, similibusq; virtutibus coactionem repudiantibus?* N. Tunc enim actus earum fierent necessarii, & honestatis gradum excellentem amitterent. *cit. n. 1. & 2.*

LXXXIIX. *An licet ignoscere, cum tamen pœna debita dicatur?* A. Est enim intelligenda debita à delinquente, seu eum sine injuriâ posse puniri; non vero

ro à sapiente debita, seu omnino ab illò oportere exigì. §. XXI.

LXXXIX. *Fuitne ante legem constitutam poena locus?* A. Quia naturaliter, qui deliquit, in eò statum est, ut puniri licite possit. §. XXI. n. 1.

XC. *Anne post constitutam est necessario exigenda?* N. Quia hoc pendet ex connexionem finium, ob quos poena instituta est, cum ipsa causa. *cit. n.*

XCI. *Quando ad poenam exigendam, precise nihil obligat?* R. Si fines poena per se morali estimatione necessarii non sunt, ut primo in peccato paucissimis cognitò, cuius proinde publica productio non necessaria est, aut etiam damnosa. *cit. n.*

XCII. *Secundo?* R. Si alii fines ex opposito occurrunt non minus utiles, aut necessarii; ut in eò, qui benemerita aut sua aut parentum repensari digna, culpa opponit. *cit. n.*

XCIII. *Tertio?* R. Si fines propositi alia via obtineri possunt; ut in eò, qui verbis emendatus est, aut læso verbis satisfecit. *cit. n.*

XCIV. *An clementia aliquando exigat*
à pa-

à pœnâ libertatem? A. Cum omnis pœna, præcipuè gravior, aliquid habeat, quod, per se spectatum, non quidem justitiæ, sed charitati repugnat; nisi major & justior charitas quasi irrefragabiliter obstat. *cit. §. n. 2.*

XCV. An pœna semper est exigenda?

R. Aliquando est omninò exigenda, ut in sceleribus exempli pessimi; aliquando omninò non est exigenda, si bonum publicum id exigat; aliquando licet utrumvis. *§. XXIII.*

XCVI. Quando legis autor suis legibus obligatur? R. Quatenus ut civitatis pars spectatur. *§. XXIV. n. 1.*

XCVII. Quando non? R. Qua civitatis ipsius personam & auctoritatem sustinet; Idque quia legis humanæ natura est, ut à voluntate humanâ pendeat, non in origine tantum sed & in duratione. *cit. n.*

XCIX. Quando eas potest tollere? R. Si probabilis causa adest, alioquin peccat in regulas justitiæ gubernatricis. *cit. num.*

XCIX. An vinculum legis circa personam & factum singulare solvere licet? A. Sed

Sed tantum necessitate exigente, ne auctoritas legis in detrimentum reipubl. evilescat. *cit. §. n. 2.*

C. *Quando licet ignoscere?* R. Cum causæ subsunt probabiles, intrinsecæ, aut extrinsecæ. *cit. §. n. 3. & §. XXV.*

CI. *Quæ intrinsecæ?* R. Cum poena ad factum comparata dura videtur, quamvis non injusta. *cit. §.*

CII. *Quæ extrinsecæ?* R. Meritum aliquod, aut alia res commendans, & magna spes in posterum. *§. XXVI.*

CIII. *Quando hoc causa genus sufficit?* R. Si ratio legis saltem particulariter cessat in facto, de quo agitur. Nam quanquam ad sustinendam legis efficaciam, satis est ratio universalis sine repugnantia contrariæ rationis, tamen cessatio rationis, etiam quæ particularis est, efficit, ut lex minore cum damno auctoritatis solvi possit. *cit. §.*

CIV. *In quibus delictis id maxime usu venit?* R. In iis, quæ committuntur per ignorantiam, quanquam omni culpa non carentem; aut per animi infirmitatem, difficulter superabilem. *cit. §.*

CV. *Estne justa dispensandi causa, de qua*

*quâ legis autor consultus dixisset, extra suam mentem esse eam observari? N. Est enim distingvendum inter *Interpretationes*, quæ legem interpretatur, & relaxationem. Et aliud est, legem ob causam tollere, aliud declarare, factum ab initiô mente legis non fuisse comprehensum. §. XXVII.*

CVI. Unde oritur relaxatio? R. Ex charitate & justitiâ rectrice. cit. §.

CVII. Quæ est pœna taxatio ex merito? R. Ut ultra id nemo debeat puniri: & intra meriti modum peccata puniri magis minusque, pro utilitate. §. XXVIII.

CVIII. Quomodo hæc taxatio procedit? R. Æqualitas in illâ non nudè spectatur, ut in pœnderibus & mensuris; sed ex pensô propositô ac votô ejus, qui deliquit. cit. §.

CIX. Quæ sunt examinanda in merito? R. Causa quæ impulit, causa quæ retrahere debuit, & personæ idoneitas ad utrumque. §. XXIX. n. 1.

CX. An etiam absq; talibus homines peccant? R. Rarò id accidit; sed si quem malitia propter se ipsam delectat, is ultra modum humanum procedit. cit. n.

CXI. Quæ causa impellentes? R. Declinan-

clinandi mali impetus, ac appetitus tendentes ad bonum aliquod delectans, & utile, aut etiam imaginarium. *cit. n. 1. & 3.*

CXII. *Quomodo meritum augetur vel minuitur horum respectu?* R. Ea sunt maximè excusabilia, quæ mortis, carceris, doloris aut summiæ egestatis vitandæ causâ fiunt: in reliquis eò peccata sunt foediora, quò magis abeunt à naturâ. *cit. n.*

CXIII. *An etiam vera bona, virtutes scilicet & earum actiones ad peccatum ducunt?* N. Consentunt enim virtutes inter se. *cit. n.*

CXIV. *Quæ sunt causa abstrahentes à delinquendo?* R. Generaliter iniustitia; quæ eò major, quò majus damnum infertur alteri: ad hanc autem alia sæpè accedunt vitia delictum augentia, ut impietas in parentes, inhumanitas in propinquos, ingratus animus in beneficos. §. XXX. n. 1. & 3.

CXV. *Quinam ordo delictorum in decalogo servatur?* R. Præcedunt consummata, deinde sequuntur quæ ad ultimum

imum actum nondum pervenerunt, de quibus præcepta ultima agunt. *cit. §. n. 1. & 2.*

CXVI. *Qui illorum?* R. *Primò* prohibentur communem ordinem turbantia ac proindè plurimis nocentia; *secundò* quæ tangunt singulos. *cit. n. 1.*

CXVII. *Quod in his discrimen?* R. Habentur maxima; quæ vitam, proxima, quæ familiam, cujus fundamentum est matrimonium, postrema, quæ res singulas expetibiles spectant; sive dolò malo causam dando damni; ut falsimoniis, sive directo eas abstrahendo. *cit. n. 1. & 2.*

CXIX. *Quale damnum æstimatur?* R. Non solum quod directè fit, sed & id, quod secuturum est; ut in incendio & aggere perfossò multorum summæ calamitates & mortes. *cit. n. 2.*

CXX. *Si quis deliquit sæpius?* R. In eò major pravitas apparet: quia habitus mali sunt actibus pejores. *n. 3.*

CXXI. *An vita anterior cum pœna semper in æstimationem pervenit?* N. Sed in his solum hominibus; quibus, alioquin non malis; subitò aliqua peccandi dulcedo

T

tedo

cedo irrepsit. Nam in eis, qui totum vitæ genus commutarunt, nec DEUS prioris vitæ rationem habet, Ezech. xix. v. 24. cit. n. 3.

CXXI. *Cui fini consideratur aptitudo persona?* R. Ad considerandas causas avertentes, aut suscipiendos affectus incitantes, in corporis mixturâ, ætate, sexu, educatione, circumstantiis actus: sic pueri, foeminae, crassioris ingenii homines malè educati, minus habent cognita discrimina justii ac injusti, liciti ac illiciti; sic biliosi sunt iracundi, sanguinei venerei, *huc* juvenus propendet, *illuc* senectus. §. XXXI. n. 1.

CXXII. *An imminens malum & recens dolor minuunt delicta?* A. Cum ita incitent affectus hominis, ut vix rationem audiri sinant. cit. n.

CXXIII. *Quid hic tenendum?* R. Quod judicium eligentis magis impeditur, quoque magis naturalibus causis, eò delictum esse minoris. n. 2.

CXXIV. *Qua augment?* R. Si quis à motu concupiscente aut non tentatus aut leviter, quærit enormes cupiditates, aut opulens alterius bona aufert; quo

quo etiam referendi amores senum.
cit. num.

CXXV. *Quomodo hoc intelligendum, si justitiam τὸ ἀδελφικὸν ἢ seu parem passionem in pœnis esse, dicunt?* R. Non, quasi, qui deliberatò nocuit, tantum dent nocumentì, non amplius, ferat; cum, lex perfectissima furta quadruplo & quintuplo velit luri, nec æquum sit, ut par sit periculum nocentis & innocentis. §. XXXII. n. 1. & 2.

CXXVI. *An criminibus perfectis major debet respondere pœna, quam incobotis?* A. Sed quia mortè nihil est gravius, eaque nequit iterari, ideò intra eam necessariò consistitur, additis aliquando cruciatibus pro meritò. *cit. n. 2.*

CXXVII. *An pœnæ magnitudo nude spectanda est?* N. Sed cum respectu ad patientem: nam eadem multa pauperem onerabit, non divitem; & ignominia vili leve malum est, honoratò grave. §. XXXIII.

CXXIX. *Dum ob idem delictum duplex pœna infligitur, nonne Bodini intervenit harmonica proportio?* N. Sed simplex & qualis in numeris. Nec magis

est comparata, quàm in contractibus; ubi merx & nummi alibi minoris, alibi pluris æstimantur. *cit.* §.

CXXIX. *Quò nos ducit charitas ejus qui punitur?* R. Ad minimum, intra concessum modum; nisi justior charitas plurium aliud svadeat, ob causam aliquam extrinsecam. §. XXXIV.

CXXX. *Quam?* R. Ingens periculum ab eò qui deliquit, aut exempli necessitas. *cit.* §.

CXXXI. *Unde hæc nascitur?* R. Ex generalibus invitamentis ad peccandum, quæ reprimi nequeunt, nisi remediis acerbis: suntque præcipua consuetudo & facilitas. *cit.* §.

CXXXII. *Qui ob facilitatem?* R. Ob hanc lex divinã Hebræis data gravius punit furtum de pascuò, quàm de domo. §. XXXV.

CXXXIII. *Qui ob consuetudinem?* R. Quamvis ea aliquid de culpã detrahat; poenæ tamen acrimoniam flagitat ex aliã parte: quia nimium multis grassantibus opus exemplo est. *cit.* §.

CXXXIV. *Ubi hæc duo observantur?* R. Illud magis in judiciis; hoc in legibus habi-

Habitâ ratione temporis, quo leges & judicia feruntur : quia pœnæ utilitas magis in universalitate spectatur, circa quam leges sunt ; culpa autem major aut minor est in singulis. *cit. §.*

CXXXV. *In quò est altera pars clementia sita?* R. Ut iudices pœnas, si donare non liceat, temperent ; cum ipsi quoque propter peccata sua misericordia Dei necessaria sit. §. XXXVI. n. 1.

CXXXVI. *Nonne est contra officium iudicis misericorditer in delinquentes agere?* N. Horum enim vitæ & necis legitimam habent potestatem. *cit. §. n. 2.*

CXXXVII. *Qua præprimis in jure civili considerantur in æstimandis damnis?* R. L. XVI. D. de Pœnis septem modi recensentur : causa, persona tam ejus, qui fecit, quam qui patitur, locus, tempus, qualitas, quantitas & eventus. §. XXXVII.

CXXXVIII. *Quando hæc causa cum alterâ nimirum damnum reparandi concurrunt?* R. Plerumque ; quando scilicet idem actus vitiosus fuit & damnum re ipsa intulit. §. XXXVIII.

CXXXIX. *An ob quævis delicta bella sunt*

sunt suscipienda? N. Sed minora & vulgaria dissimulanda: cum ne leges quidem culpis omnibus impendant suam illam ultionem quæ tuto nec nisi nocentibus nocet. *cit. §.*

CXL. *An semper iniquum est pœnas quemquam dare, quia arguitur malè facere voluisse?* N. Voluntas enim ad externos actus procedens pœnis solet esse obnoxia: sic Romani bellum ineundum censebant cum rege Perseo, quia arma, milites, classem comparaverat; nisi satisfaceret de consiliis belli parandi adversus Romanos. §. XXXIX. n. 1.

CXLI. *An omnis perversa voluntas pœnae locum facit?* N. Si enim ne quidem omnia perpetrata peccata vindicentur, multò minùs incæptâ aut cogitata. n. 2.

CXLII. *Quare lege divina aduersum pleraq; delicta inchoata contra pietatē aut hominum vitā extra iudicium nihil speciale constitutum fuit?* R. Quia & circa res divinas, utpote nobis inconspicuas facilis est error, & iracundiæ impetus non indignus est, cui ignoscatur. *cit. n.*

CXLIII. *Si quis alienas nuptias intente,*

tat, aut fraudem struit, quâ cum alienô damnô se locupletet? A. In tantâ matrimoniorum copiâ & tãm æquabili bonorum possessione. Nam & præceptum illud: *non concupisces* ad motus animi, qui facti produntur, pertinet. *cit. §. num. 3.*

CXLIV. *An justum est bellum ob inchoata delicta?* N. Nisi res sit gravis, & eò processum, ut ex tali actu certum secuturum sit malum, aut ingens periculum. *n. 4.*

CXLV. *Quomodo?* R. Ita ut vindictio conjuncta sit cum cautione futuræ noxæ, aut læsam tueatur dignitatem, aut perniciosô occurratur exemplô. *cit. n.*

CXLVI. *An reges & populi jus habent inferendi belli ob injurias, per quas in quibusvis personis violatur jus natura, aut gentium?* A. Imò tantò honestius est, alienas vindicare injurias, quam suas, quantò in suis magis metuendum est, ne quis, sensu sui doloris, modum excedat, aut animum inficiat: sic ab antiquis prædicatus Hercules hoc nomine, quod Antæo, Busyride, Diomede

similibusque tyrannis terras liberaverit. §. XL. n. 1. & 2.

CXLVII. *Nonne privati libertatem habent humanae societati per poenas consulendi?* N. Post civitates & judicia instituta. Nam subjectione hoc jus illis fuit sublatum & in summas potestates devolutum. *cit. n. 1.*

CXLIIIX. *In quos justa bella sunt?* R. In belluas, homines belluis similes, impios in parentes, humanam carnem epulantes, exercentes piraticam, delinquentes in naturam. n. 3. & 4.

CXLIX. *Nonne verò ad belli justitiam requiritur ut suscipiens sit laesus in se, aut suam republ. aut ut jurisdictionem habeat in bello impetendum?* N. Potestas enim puniendi non est effectus proprius jurisdictionis civilis, sed venit ex jure naturali. *cit. n. 4.*

CL. *Anne sub obtentu gentes ad cultiores mores ducendi cum iis bellum gerere licet?* N. Quia non sunt juris naturæ, quamvis inter multos populos non sine ratione sint recepti. §. XLI.

GLI. *Anne propter ea, de quibus non*
certo

certò constat, an sint juris natura? N. Quamvis sunt legis divinæ. §. XLII.

CLII. *Quomodo naturalia jura distinguuntur?* R. *In principia generalia, quale est honestè vivere & quædam his proxima, quæ tamen ita manifesta, ut dubitationem non admittant; & inter illationes, quarum aliæ faciliorem, aliæ difficiliorem cognitionem habent.* §. XLIII. n. 1.

CLIII. *An ignorantia juris natura excusat, ut civilis?* R. *Illæ tollit peccata, quatenus ei obstant rationis imbecillitas aut prava educatio; non, quæ oritur ex negligentia & modò delictum, minuit.* n. 2.

CLIV. *Quenam bella suscepta ad exigendam pœnam sunt suspecta injustitiæ?* R. *Quæ non suscipiuntur ob scelera atrocissima & manifestissima, aut nisi alia simul aliqua causa concurrat.* n. 3.

CLV. *Sufficit tamen Deus vindicandis, quæ in se committuntur?* R. *Hoc non obstat, cum idem & de aliis delictis dici possit, quæ tamen ab hominibus rectè puniuntur.* §. XLIV. n. 1. & 2.

CLVI. *Hæc delicta puniuntur ne ab homini-*

minibus, quatenus alii inde læduntur? R. Non tantum, quæ directò, sed & quæ per consequentiam lædunt, puniuntur. Nihil autem magis perniciosum, quam falsa persuasio de rebus divinis. *cit. §. n. 2.*

§ 3.

CLVII. *Qualis pernicietas affertur? R.* Tollitur omnis justitia & abstinetur ab his, quæ alteri nocent, solum poenæ metu. *n. 4.*

CLIX. *Quibus vera religio, quæ omnium ætatum communis est, consistit? R.* His quatuor notionibus: Deum esse & esse unum; Deum esse nihil eorum, quæ videntur, sed his aliquid sublimius; à Deo curari res humanas & æquissimis arbitriis dijudicari; Deum opificem esse omnium rerum extra se. *§. XLV. n. 1.*

CLIX. *Quare capite plectuntur Sabbathum violantes? R.* Quia ejus violatio continet abnegationem mundi à Deo creati, in cujus rei memoriam institutum erat. *n. 2.*

CLX. *Unde potest cognosci Deum esse colendum? R.* Ex dictis notionibus, quæ argumentis ex naturâ rerum desumptis patescunt. *n. 3.*

CLXI.

CLXI. *Quodnam est illorum precipuum?* R. Quod res aliquas esse factas ostendat sensus; res autem factis omnino nos ad aliquid non factum deducunt. *cit. n. 3.*

CLXII. *Vacantne culpâ homines hebetioris animi, si hæc universalia negant?* N. Quia neque ad honestum duces (cum crassiores, quàm ut vellent fallere, tum sapientiores, quàm ut fallerentur) ipsis desunt, neq; contraria sententia ullis argumentis nititur. *cit. n. & §. XLVI. n. 1.*

CLXIII. *An bellum suscipere licet ob delicta in Deum commissa?* R. Quemadmodum in benè constitutis civitatibus rectè coërcentur qui primi tollere incipiunt has universales notitias; Numen aliquod esse, & curari ab eò res hominum, adeoque colendum, ut Diogoræ Melio & Epicureis contigit: ita & iidem coërceri possunt nomine humanæ societatis, quàm sine probabili ratione violant. *cit. §. n. 4.*

CLXIV. *Quid dicendum de cæteris notionibus?* R. Hæ, Deum esse unum, incorporeum, &c. non sunt ita evidentes: adeoque lex ipsa Dei, quanquam
falso-

falsorum Deorum cultus maximè detestatur, non tamen omnes ejus culpæ convictos morte punit; sed eos demum quorum facta circumstantiam habent singularem. §. XLVII. n. 1. & 2.

CLXV. *Quinam impiis magis annumerandi sunt quàm errantibus?* R. Qui divinis honoribus colere instituunt eadæmonas, quos tales esse norunt; vitiorumque nomina, & homines flagitiosos, aut deos hominum innocentium, sanguine. n. 4. & 5.

CLXVI. *An arma licet inferre populis, quia nolunt amplecti religionem Christianam?* N. Quia religionis hujus veritas penitus in animum admitti nequit, nisi secretis Dei auxiliis accedentibus: quæ si negentur, negantur ob causas nobis ignotas, adeoque humano judicio non punibiles. §. XLIIIX. n. 1.

CLXVII. *Quid de eò Christus?* R. Ipsi omnino placuit, ut nemo ad legem illius suscipiendam pertraheretur hujus vitæ pœnis, aut metu earum. n. 2.

CLXIIIX. *Jubentur tamen Luc. XIV. 23. cogi intrare ad nuptias?* R. Illud cogere notat solùm instantiam vocatoris. n. 3.

CLXIX.

CLXIX. *Qui verò Christianismum docentes aut profitentes, eam ob causam pœnis subdunt ?* R. Faciunt contra ipsam rationem ; ita ut ea propter ipsi puniri possent ; nihil enim est in eâ disciplinâ per se consideratâ , quod noceat humanæ societati ; imò nihil quod non proficit. §. XLIX. n. 1.

CLXX. *At ex eò metuenda nova ?* R. Non omnia nova dogmata metuenda sunt , si ducant ad honesta , & ad exhibendam superioribus obedientiam. cit. num.

CLXXI. *At metuendi cœtus ?* R. Sint suspecta bachanalia , ac paci turbandæ cœtus ; non scholæ virtutum , cœtusvè proborum , & qui latere non quærunt ; nisi coacti. cit. n.

CLXXII. *An in tales savientes bello persequi licet ?* A. Quod multorum Imperatorum bella contra gentiles ob id suscepta testantur , quanquam hæc bella magis ad innocentium defensionem , quàm exactionem pœnæ pertinent. cit. §. n. 2.

CLXXIII. *Qui suppliciiis grassantur in eos qui Christi legem pro verâ habent, sed*
dubi

dubitant, aut errant in quibusdam, quæ extra legem sunt, aut in lege sensum habere videntur ambiguum, & ab antiquis Christianis non sunt eodem modo exposita?

R. Periniquè faciunt: ut ex antedictis, & Judæorum exemplò veteri ostenditur, qui Sadducæos aliosque errantes pœnis non subdiderunt. §. L. n. 1.

CLXXIV. *Si gravior sit error, & qui apud equos judices facile revinci posset sacrâ auctoritate, aut veterum consensu?*

R. Hic quoque cogitandum quanta sit vis inolitæ opinionis, & quantum libertatem minuat in suam ejusque sectam studium: adde quod quanta hic sit culpa pendet ex modò illuminationis, aliisque animi dispositionibus, homini ignotis. n. 2.

CLXXV. *Qui igitur hæretici puniendi?* R. Qui alicujus temporalis commodi & maximè gloriæ principatusque gratiâ falsas ac novas opiniones vel gignunt vel sequuntur. Cœteri enim hæretici quidem sunt apud alios, sed non apud se. n. 3.

CLXXVI. *Si qui irreverentes ac irreligiosi sint in deos, quos putant?* R. Justi-

us puniuntur : cum & qualiacunque
 quæ putantur numina pejerata à verò
 numine vindicentur ; quæ quoque in-
 ter cæteras causa allata est belli Pello-
 ponnensiaci inter Athenienses & Lace-
 dæmonios, & à Philippo Macedone in
 Phocenses. §.LI. n. 1. & 2.

CAP. XXI.

De pœnarum communicatione.

I.

Quomodo de pœnâ communicandâ quaeritur? R. Aut de iis, qui delicti sunt participes, aut de aliis. §.I. n. 1.

II. *Quomodo pœna transit ad eos, qui delicti sunt participes?* R. Ita ut non tam puniantur ex delictò alienò, quam suò. *cit. n.*

III. *Hi qui sunt?* R. Iisdem ferè modis quis venit in partem delicti, quo in damni dati. De quo cap. 17. *cit. n.*

IV. *An semper etiam delictum est, & pœnae locus, ubi est obligatio damni?* N. Sed tùm demum, si quæ malitia notabilior accesserit, quæ ad pœnæ meritum sufficiat : cum qualiscunque culpa facta
 pe

pè sufficiat ad obligationem damni dati. *cit. n.*

V. *An omnes puniri possunt, si in ipsis talis sit malitia, quæ ad meritum pœnae sufficiat?* A. Scil. qui factum vitiosum jubent; qui consensum requisitum adhibent; qui adjuvant; qui receptum præstant; aliove modo de ipsò crimine participant; qui consilium dant; laudant, assentantur; qui non vetant, cum vetare tenentur; injuriam patienti opem non ferunt; qui non dissuadent; cum dissuadere debeant; qui factum reticent; quod notum facere tenebantur: *cit. §. n. 2. vid. c. 17. §. 6. & seqq.*

VI. *Quomodo communitas civilis aut alia, non tenetur ex factò singulorum?* R. Sine factò suò aut omissione: sic pater, dominus, præfectus; non tenentur ex delictò liberorum, servorum; aut subjectorum; nisi aliquod vitium & in ipsis hæreat. *§. II. n. 1.*

VII. *Quomodo rectores veniunt in aliorum crimen?* R. Præcipuè ex patientiâ, & receptu. *n. 2.*

IX. *Quomodo patientiâ?* R. Ut delinquat, qui scit delinqui; nec prohibet; cum

cum prohibere possit ac debeat : ita quidquid delirant reges, plectuntur Achivi, non cogentes Agamemnonem, ut sacerdoti det filiam, cum hoc potuerint ac debuerint. *cit. §. n. 2. seqq.*

IX. *Si servus sciente domino occidit, num dominum obligat ?* A. Et quidem, in solidum : cum ipse dominus videatur occidisse. Et lege Fabiâ in dominum animadvertitur, si servus, domino sciente, alium servum subduxerit. *cit. §. num. 3.*

X. *Quomodo civitatibus institutis pœnas exigere convenit ?* R. Ut singulorum delicta, quæ ipsorum cœtum propriè spectant, ipsis ipsarumque rectoribus pro arbitriò punienda aut dissimulanda relinquerentur. *§. III. n. 1.*

XI. *An etiam jus tam plenum illis concessum est in delictis, quæ ad societatem humanam aliquò modò pertinent ?* N. Hæc enim persequi ita civitatibus aliis earumve rectoribus jus est, quomodo in civitatibus singulis de quibusdam delictis datur actio popularis. *cit. §. n. 2.*

XII. *Quomodo receptu ?* R. Ut civitas illa delinquat, apud quam nocens de-

U

git,

git, si puniri eum impediatur ab eò, cui nocitum est. *cit. n.*

XIII. *Intutum autem armatâ manu venire in alterius fines, nomine pœnae expetendæ?* R. Civitatis est, ut interpellata puniat nocentem pro meritò, aut ut eum permittat interpellantis arbitriò; sic Philistæi ab Hebræis postulant Samsonem; Cato vult Cæsarem dedit Germanis, ob bellum injustè illatum. §. IV. n. 1. & 2.

XIV. *Num Populus aut Rex strictè ad hoc tenetur?* N. Sed tantùm aut ad dendum, aut puniendum. Sic Elei bellum intulere Lacedæmoniis, quod illi in eos, qui injuriam Eleis fecissent nec animadverterent, nec reos dederent. *cit. §. n. 3.*

XV. *Quare fontes deposcentibus interdum optio datur?* R. Quo cumulatiùs satisfiat. n. 4.

XVI. *Quidnam inter cetera mala reputas, ex discordiis civitatum provenientia?* R. Cùm licet his, qui alteram injuriâ affecerunt, ad alteram confugere. *cit. §. n. 6.*

XVII. *An, qui à suâ civitate dediti, nec*
re-

recepti sunt ab aliis, cives manent? R.

Non manere censebat Publ. Mutius Scævola, quia quem Populus dedidisset, expulisse ex civitate suâ videretur, sicut faceret cum aquâ & igni interdiceret. Contraria tamen sententia verior est. *cit. §. n. 7.*

XIIX. *Quid significat hic vò dedere?*

R. Nihil aliud, quàm civem alterius Populi potestati permittere, ita, ut de eò statuatur, quod voluerit. *cit. n.*

XIX. *Sed annon permissio hac jus aliquod dat aut adimit?* N. Sed tantùm, executionis impedimentũ tollit. Quare si alter Populus concessio jure non utatur, erit is, qui deditus est, eò locò, ut à suò Populò possit puniri aut non puniri, ut multa sunt delicta, in quibus utrumvis fieri potest. *cit. n.*

XX. *An non jus civitatis, ut & jura & bona alia, amittitur ipsò jure?* N. Sed decreto aliquo aut judicio, nisi lex aliqua factum velit haberi pro re judicatâ, quod hîc dici non potest. Hoc denique modo & bona, si dedita nec accepta sint, manebunt, cujus fuerant. *cit. n.*

XXI. *Quid si deditio accepta sit, &*
ll 2 *postea*

postea à casu aliquò reversus sit is, qui fuerat deditus? R. Is civis non erit, nisi ex novò beneficio. *cit. v.*

XXII. *An hæc deditio & punitio tantùm pertinent ad eos, qui semper subditi fuerunt ejus, apud quem nunc reperiuntur?* N. Verum etiam ad eos, qui post crimen commissum aliquò confugerunt. *cit. §. num. 8.*

XXIII. *An his obstant jura supplicum, & asylorum exempla?* N. Hæc enim non pertinent ad nocentes, sed ad infortunatos: sic lege Hebræâ patebat asylum iis; quibus telum manu fugisset, quò homo esset interfectus. Sed nec sanctissimum altare patrocinebatur innocentem occidentibus deliberatò, aut statum civitatis turbantibus: qui enim comiserunt aliquod societati humanæ, aliisve hominibus injuriosum, ii puniendi sunt, aut dedendi, aut amovendi. Sic Cumæi Paçtyen Persam permiserunt abire Mitylenem, cum nec punire vellet, nec retinere auderent. *§. V. n. 1. & 4.*

XXIV. *An non aliquando tamen defendi possunt supplices?* A. Dum de causæ justitiâ cognoscitur. *§. VI. n. 1.*

XXV.

XXV. *Si naturali aut gentium jure vetitum non sit cujus accusantur supplices, ex quò jure res dijudicanda erit?* R. Ex jure civili populi, unde veniunt. *cit. §. num. 2.*

XXVI. *Circa quæ crimina solet usurpári jus ad pœnas deponendi eos, qui extra territorium profugerunt?* R. Nunc ferè circa ea tantùm, quæ statum publicum tangunt, aut nimiam habent facinoris atrocitatem. *cit. §. num. 5.*

XXVII. *Si minora fuerint?* R. Ea mutuâ dissimulatione transmitti invaluit, nisi fœderis legibus propius quiddam convenerit. *cit. n.*

XXIIX. *An latrones ac piratæ aliquando recipi possunt, ac defendi?* A. Quoad pœnam; si scilicet ita invaluerunt, ut se fecerint formidabiles. Interest enim humanò generi, ut à malefactis devocentur impunitatis fiduciâ, si aliàs non possint. *cit. n.*

XXIX. *Quomodo à summâ potestate culpa transit ad subditos?* R. Si consenserint in crimen, aut consensu ac fvasu summæ potestatis aliquid fecerint, quod facere non licebat. *§. VII. n. r.*

XXX. *Ad quos pertinet culpa?* R. Ad singulos, qui consenserunt, non eos, qui victi sunt sententiis aliorum. Civitati tamen adimi possunt, quæ habet communia, muri, navalia, naves bellicæ, arma, elephantum, ærarium, agri publici. *cit. §. n. 2.*

XXXI. *An universitas semper durare creditur?* A. Quia idem corpus manet, quanquam particulis succedentibus. §. *lxx. add. L. II. cap. IX. §. 3.*

XXXII. *Quotupliciter aliquid de universitate dicitur?* R. Dupliciter: vel primò ac per se; vel derivatione tantum à singulis. *cit. §.*

XXXIII. *Quenam primò ac per se?* R. v. g. Habere ærarium, leges & similia. *cit. §.*

XXXIV. *Quenam derivatione?* R. Cùm dicimus universitatem doctam & fortem, quæ plurimos habet tales. Atque de hoc genere est meritum: primò enim convenit singulis ut animum habentibus, quem universitas per se non habet. *cit. §.*

XXXV. *Quotuplex est damnum?* R. Duplex: aliud enim quod directè datur,

tur, aliud, quod in consequentiam venit. §. X.

XXXVI. *Quodnam directè datum vocas?* R. Quo cuiquam aufertur, ad quod jus proprium habet. *cit. §.*

XXXVII. *Quod per consequentiam?* R. Quod fit, ut quis non habeat, quod habiturus alioqui fuisset, cessante scilicet conditione, sine quâ jus non habebat. Exemplum est apud Ulpianum: Si in meo puteum aperui, quo factum est, ut venæ ad te perventuræ præciderentur: negat operis mei vitio damnum datum in eâ re, in quâ jure meo usus sum. *cit. §.*

XXXIIX. *An incommodum illud, quod liberi, parentum bonis confiscatis, sentiunt, propriè pœna dici potest?* N. Quia bona illorum futura non erant, nisi à parentibus ad ultimum spiritum essent conservata. *cit. §. n. 2.*

XXXIX. *Quomodo interdum imponitur alicui aliquid mali, aut boni aliquid aufertur, occasione alicujus peccati?* R. Non ita, ut id peccatum causa sit proxima ejus actionis, quod jus ipsum agendi attinet, verum sua cujusque spontanea

nea promissio, ut, si quis pro delinquente fidejussit. §. XI.

XL. *An ex fidejussione quis occidi potest?*

N. Cum nemo jus tale habeat in vitam, ut eam sibi ipse adimere, aut adimendam obligare possit. *cit.* §. n. 2.

XLI. *An idem de membris intelligi debet?* A. Nam & in illa jus homini datum non est, nisi corporis servandi causâ. *cit. num.*

XLII. *Quid si exsilium aut pecuniarum damnium in promissione sit, conditio verò delicto alterius sit impleta, num pœna erit in fidejussore?* N. Sed est executio juris antecedentis, quod erat penes auferentem. *cit.* §. n. 3.

XLIII. *Quando autem bestia occiditur ob concubitum cum homine?* R. Hæc vera pœna non est, sed usus domini humani in bestiam. *cit. n.*

XLIV. *An pœna ob delictum universitatis exigi semper potest?* N. Sed extinguitur meritum, extinctis illis, per quos ad universitatem deducebatur: adeoq; & pœnæ debitum, sine meritô non consistens: sic damnatur vindicta Alexandri in Persas, cum pridem periissent, qui

qui peccaverant in Græcos. *cit.* §. VIII.
num. 1.

XLV. *An immunes delicti puniri possunt ob alienum delictum?* N. Quia obligatio ad pœnam oritur ex meritô, quod est personale; utpote ortum ex voluntate nobis propriâ. §. XII.

XLVI. *Quare rejicitur Pauli sententia, quod pœna constituentur in emendationem hominum?* R. Quia exemplum videtur statui posse etiam extra personam delinquentis, in eâ tamen personâ, quæ ipsum tangat. *cit.* §.

XLVII. *An vitia parentum imputanda liberis?* N. Ob eandem rationem. §. XIII. n. 1.

XLIX. *An ergò peccant, qui morte puniunt insontes liberos tyrannorum aut proditorum, ne parentibus similes fiant, aut vindictam moliantur?* A. Quia incertum est, quales futuri sunt, nec incertus metus ad certam alicujus mortem sufficit. *cit.* §. n. 2.

XLIX. *Deus tamen minatur, se paternam impietatem vindicaturum in posteros?* R. Sed Deus dominium habens plenissimum in vitam nostram, ut munus

nus suum ; quod cuivis auferre potest, quovis tempore, sine ullâ causâ : hoc igitur jure non pœnâ utitur, si morte violentâ & immaturâ rapiat liberos Acanis, Saûlis, Jeroboami, Achabi ; eodem factô gravius parentes puniens. §. XIV. n. 1.

L. *An Deus hâc vindictâ utitur in delictis omnibus?* N. Sed in sceleribus, quæ propriè in ipsius contumeliam committuntur, ut in falsô cultu, perjuriô, sacrilegiô. cit. §. n. 2.

LI. *An semper ?* N. Maximè si insignis quædam virtus eluceat in liberis, & publica paterni criminis detestatio. cit. num.

LII. *An divinam vindictam licet hominibus imitari?* N. Quia solus Deus jus in vitam hominis habet, sine culpæ intuitu : homines verò non nisi ex gravi culpâ, & personæ propriâ : sic lex divina vetat parentes pro liberis puniri, aut liberos ob delicta parentum. Hebræorum, Græcorum, Romanorum legibus nefas fuit, mulierem prægnantem suppliciô mortis afficere. cit. §. n. 3. & 4.

LIII. *An dantur humana leges injustiores*

ores illis, quæ liberos occidunt, ob parentum delicta? A. Puta Lex Persarum & Macedonum devovens & propinquorum capita, quo, qui in regem peccarant, tristiores perirent: cujus legis diritate exsuperari Leges omnes scripsit Ammianus Marcellinus. §. XV.

LIV. *Quid verò licet in perduellium, liberos?* R. Jure quodam dominii potest ipsis auferri, si quid habeant aut expectent, in quod jus proprium sit populo aut regi; cujus tamen usus redundet in pœnam peccantium: ut cum arcentur ab honoribus ac dignitatibus. Sic Antiphanis proditoris posterii sunt honoribus prohibiti: sic Arcadii lege talium liberi ad nullos honores, ad nulla sacramenta perveniebant. §. XVI. n. 1.

LV. *An populus verè subditus malo potest affici ob regum ac rectorum facinora?* N. Immunis enim delicti nequit esse pœnæ particeps. §. XVII.

LVI. *Deus tamen pestilentiam confecit populum, teste Davide, innocentem, ob regis peccatum?* R. Sed jure dominii; neque hæc pœna populo fuit, sed Davidi; cum delinquentibus regibus acer-

bissi-

bissimum supplicium sit, quod infligitur populis. *cit.* §.

LVII. *Num idem dicendum de singulis, qui non consensere, malo afficiendis circa ea, quæ ipsorum sunt?* A. Ob delictum scil. universitatis. §. XIII.

LIIIX. *Cur hæres de cæteris debitis tenetur, non vèrò de pœnâ?* R. Quia personam defuncti non refert in meritò, quod merum est personale: sed in bonis, de quibus cum ipsò dominiò introductum, ut iis cohærent illa, quæ debentur alicui. §. XIX.

LIX. *Quid si ultra meritum nova quædam causa obligationis extiterit?* R. Deberi jam potest id, quod in pœnâ erat, quanquam non propriè ut pœna. §. XX.

LX. *Quando pœna pecuniaria ab herede debetur?* R. Alibi post sententiam, alibi post litem contestatam.

cit. §.

CAP. XXII.

De causis belli injustis.

I.

Quotuplices sunt belli cause? R. Duplices: aliæ enim sunt justificæ, aliæ svasoriæ. §. I. *add. L. II. C. I. qu. I.*

II. *Quid indigitas per causas justificas & svasorias?* R. Per illas intelligo prætextum sive titulum, per *has* causas veras & propriè sic dictas. Sic de Julio Cæsare ait Svetonius: Et *prætextus* quidem Illi civilium armorum hoc fuit: *causas* autem alias fuisse opinantur. *cit. §.*

III. *Qualia sunt bella, nec justificas causas, nec svasorias habentia?* R. Ferina: eorum cui voluptati est effusio sanguinis, & in hominem congenerum sævitia. §. II.

IV. *Quid sensere Jcti Rom. de iis, qui justificas planè non curant?* R. Applicuerunt illud, prædonem scil. esse eum, qui, rogatus de possidendi causâ, nullam aliam adfert, nisi quod possideat. §. III.

V. *Quid*

V. *Quid de iis, qui suasorias tantum, non justificas?* R. Prædonum; quales Brennus, Silo, Annibal, Attila, qui omnia esse volebant validiorum, justitiam esse ensem, & id æquius, quod validius. *cit. §. n. 2.*

VI. *An quedam habent falsam justitiæ speciem?* A. Quæ nempe injustæ reperirentur ad rectam rationem diligenter expensæ. *§. IV.*

VII. *Quomodo Reges pleriq; duobus nominibus pacis & belli, tanquam nummis utuntur?* R. Non ad id, quod justum est, sed ad id, quod expedit. *cit. §.*

VIII. *Quæ autem causæ sunt injustæ?* R. Cognosci aliquatenus possunt ex justis causis. Rectum enim obliqui est index. *cit. §.*

IX. *An justa belli causa est metus vicina potentia?* N. Ille enim jus non dat faciendi malum, quod ipsi metuimus. *§. V. n. 1.*

X. *Quid requiritur, ut defensio pronuncietur justa?* R. Ut sit necessaria, qualis non est, nisi constet non tantum de potentiâ, sed & de animo, & quidem ita constet, ut certum id sit eâ certitudine,

dine , quæ in morali materia locum habet. *cit. n.*

XI. *An, si vicinus arcem aut aliam faciat munitionem, quæ damnum aliquando dare possit?* N. Si nullâ pactione impediatur : adversus verò tales metus non quærenda est vis bellica, sed contrariæ in suò munitiones, aut alia remedia : adeoque injusta bella fuerunt Romanorum in Philippum, Lyfimachi in Demetrium. *cit. §. n. 2.*

XII. *An utilitas?* N. Hæc enim pars jus non habet cum necessitate. §. VI.

XIII. *An matrimonia negata?* N. Si laxa sit illorum copia : ob eandem rationem ; sic malè Hercules arma arripuit in Eurypum, Darius in Persas. §. VII.

XIV. *An amor sedis mutanda?* N. Ob eandem rationem ; quæ bellandi causa Germanis fuisse dicitur. §. IIX.

XV. *Licetne inventionis titulo sibi vendicare ea, quæ tenentur ab improbò, de Deo malè sentiente, bebetis ingenii?* N. Inventio enim eorum tantùm est, quæ sunt nullius. §. IX.

XVI. *An non ad dominium requiritur virtus moralis, aut religiosa, aut intellectus*

Etus perfectio? N. Adeoque malè Græcī dicebant, naturaliter sibi hostes esse barbaros, ita illis dictos ob morum diverfitatem & obtusius ingenium. §.X. n.1. & 2.

XVII. *Quid juris obtinet in populis, qui omninò rationis usu sunt destituti?* R. Hi dominium non habent, sed ex charitate iis debetur tantum, quæ ad vitam sunt necessaria. *cit. n.1.*

XIIX. *Ad quos populos pertinet sustentatio domini, quàm pro infantibus & amentibus facit jus gentium?* R. Ad eos, cum quibus est pactorum commercium: tales autem non sunt populi, si qui reperiuntur, toti amentes. *cit. n. add. L.II. C. III. qu. 10. & seqq.*

XIX. *An ob peccata gravia & naturam aut societatem humanam impugnantia, dominium auferre potest Princeps?* A. Idque non tantum ob injurias in se aut subditos suos commissas, sed & ob eas, quæ ipsos peculiariter non tangunt. *cit. §. n.2. add. L.II. C. XX. §. 40.*

XX. *An justa belli causa est libertatis desiderium in populo subditò?* N. Si legitima ratione venerit in servitutum: con-

contentus enim debet esse suâ conditione. §. XI.

XXI. *Quomodo libertas cum naturâ competere dicitur hominibus aut populis?*

R. De jure scil. naturæ præcedente factum omne humanum, & de libertate κατὰ σέξου, non de eâ, quæ est κατ' ἐναντιότητα, hoc est, ut naturâ quis servus non sit, non ut jus habeat, ne unquam serviat: nam hoc sensu nemo liber est. cit. §.

XXII. *Annon armis subigi possunt naturaliter servi?* N. Non enim, si quid alicui est utile, id statim mihi licet eî per vim imponere. §. XII.

XXIII. *An voluntas regendi alios invito, quasi ad ipsorum bonum?* N. Rationis enim usum habentibus libera debet esse electio utilium aut inutilium, nisi alteri jus quoddam in eos quæsitum sit. cit. §.

XXIV. *Quare regimen infantum occupanti & idoneo natura concedit?* R. Quia ipsi jus exercendæ αυτοπραγίας actionumque suarum moderandarum non habent. cit. §.

XXV. *An titulus universalis impertit*
X
ad-

adscriptus Imperatori Romano? N. Quia stultus est hic titulus, quo à quibusdam Jurisconsultis Romanis jus ei tribuitur imperandi etiam in remotissimos populos, & hæctenus incognitos; malè igitur Bartolus hæreticum pronunciat eam, qui hoc ausit negare. §. XIII. n. 1.

XXVI. *An Imperator noster idem jus hodie in omnia habeat, quæ olim fuere Populi Romani?* N. Multa enim, ut bello quæsitæ, ita bello amissa sunt; alia pactationibus, alia derelictione in aliarum Gentium aut Regum jus transferunt. cit. §. n. 2.

XXVII. *Quomodo civitates Populo Romano olim erant subditæ?* R. Quædam erant planè subjectæ, quædam postea ex parte tantum; aut tantum inæqualiter foederatæ esse cœpère. cit. n.

XXIIX. *An Ecclesia rectè adscribitur jus in populos ignota hæctenus partis terrarum?* N. Quia Paulus I. Cor. 5. apertè dicit sibi jus non esse judicandi eos, qui sint extra Christianismum. Jus etiam judicandi quod Apostolis competiit, cœlestis erat ingenii, non terrestris; non

non per arma & flagra, sed verbum Dei exercendum. §. XIV. n. 1.

XXIX. *An episcopi, quæ tales, habent jus regnandi in homines, humano more?*

N. Regnum enim suum de hoc mundo esse negat Christus, à quò fluxit omnis ecclesiastica potestas. cit. §. n. 2.

XXX. *An justam belli causam dat spes concepta ex divinorum vaticiniorum explicatione?* N. Quis enim interpretabitur ea, ac certa tempora statuet; nec ullum jus dat prædictio, sine expresso Dei mandato. §. XV.

XXXI. *An si quis mihi quid debet ex liberalitate, misericordiâ, aut virtute simili, non ex propriâ justitiâ?* N. Ad illud enim jus nobis esse debet: nec dans beneficium habet jus gratiam reposcendi; quia alias foret contractus, non beneficium. §. XVI.

XXXII. *Quomodo bello, ex causâ justo, vitium accidere potest ex animò agentis?* R. Si aliud quidpiam non per se illicitum, magis & principalius moveat animum, quàm ipsum jus; ut honor, & utilitas aliqua: aut si adsit affectus plane illicitus; ut gaudium acquiescentis

in malò alienò : sic Aristides meritó pe-
riisse Phocenses dicit, sed Philippum
non benè fecisse, cum eos perderet ;
quippe non religioni studentem, quod
præfererat, sed augendò imperiò. §.
XVII. n. 1.

XXXIII. *An ex tali bellò restitutio de-
betur, ubi causa iustifica non deest?* N.
Licet peccatum quidem arguant hæc ;
ipsum tamen bellum propriè injustum
non faciunt. *cit. §. n. 3.*

CAP. XXIII.

De causis dubiis.

I.

Q*uare in moralibus non æquè, ut in ma-
thematicis disciplinis, certitudo inve-
nitur?* R. Hoc exinde evenit, quia ma-
thematicæ disciplinæ à materiâ omni
formas separant ; & quia formæ ipsæ ta-
les plerumque sunt, ut nihil habeant
interjectum, sicut inter rectum & cur-
vum nihil est medii. At in moralibus
circumstantiæ etiam minimæ variant
materiam, & formæ, de quibus agitur,
solent habere interjectum aliquid eâ la-
titu-

ritudine, ut modo ad hoc, modo ad illud extremum propius accedatur, §. I.

II. *Qualis est actus ejus, qui omnibus expensis, aliquid injustum existimat, quod reipsâ sit justum?* R. Vitiosus. Deus enim humanis actibus ducem dedit vim judicatricem, quâ contemptâ, obrutescit animus. §. II. n. 1.

III. *Si judicium hesitet?* R. Abstinentium à re dubiâ. cit. §. n. 2. pr.

IV. *Si alterutrum omninò est faciendum?* R. Eligendum quod minus iniquum videbitur, cum hoc æqui rationem tunc induat. cit. n. in fin.

V. *Cum animus non semper in dubiâ hæret, post aliquod examen, quibusnam mediis ducitur in alteram partem?* R. Argumentis petitis ex re, & ex opinione, quam habet de aliis hominibus sententiam super eâ re pronunciantibus. §. III.

VI. *Unde petuntur argumenta ex re?* R. E causis, effectis & adjunctis aliis. cit. §. in fin.

VII. *Quid ad hac rectè noscenda requiritur?* R. Usus & peritia quàm qui non habent, ut activum judicium rectè con-

forment, tenentur audire sapientum, consilia. §. IV.

II. *Si ab utrâque parte sint argumenta intrinseca, aut extrinseca?* R. In re mediocri videtur vitio carere posse electio, in quam partem ceciderit. §. V.

III. *In re gravi?* R. Sumendum quod tutius est; sic satius est nocentem absolvere, quam innocentem condemnare. cit. §.

IV. *Si de bellô sit questio?* R. Vergendum ad pacem: cum ex bellô plurima mala sequantur, etiam in innocentes. §. VI.

V. *Quomodo vitatur ne controversiæ in bellum erumpant?* R. Primum colloquio, homini proprio; ita ut omnia prius experiri verbis quam armis deceat sapientem. §. VII.

VI. *Qui deinde?* R. Compromisso, inter eos, qui non habent iudicem communem: sic iudicium de Salamine tribus Lacedæmoniis permissum ab Atheniensibus & Megarensibus. §. VIII.

VII. *Cur præcipuè Christiani Reges & civitates tenentur banc inire viam ad armæ vitanda?* R. Si, ut iudicia alieno-

rum

rum à verà religione judicium vitarentur, & à Judæis & à Christianis arbitri quidam sunt constituti, & id à Paulo præceptum, quantò magis id faciendum est, ut multò majus vitetur incommodum, id est bellum. *cit. §. n. 3.*

XIV. *An militare Christiano licet?* R. Negat Tertullianus, cum ei sit ne quidem litigare permissum: quod tamen cum temperamento intelligas. *cit. num. add. L. I. C. II. §. 9.*

XV. *Qui porro?* R. Sorte, quam in hoc Salomon commendat Prov. XVIII, §. IX.

XVI. *Qui præterea?* R. Certamine singulari. §. X.

XVII. *An usus ejus non est repudiandus?* N. Si parati sint inter se armis decernere, quorum alioqui controversiæ totum populum gravissimis malis implicarent: hoc enim ut minus malum acceptari potest à civitatibus; sic de Peloponneso certarunt Hyllus & Echemus, Pycæchma & Degmæus de Elide. *cit. §.*

XIIX. *Cujus est querere conditiones quibus bellum vitetur?* R. Partis utriusque;

que; magis tamen petentis quam possidentis: cum hujus conditio melior sit naturaliter. §. XI.

XIX. *Si justam se causam habere sciens, non habeat documenta sufficientia, quibus possidens convincatur de possessionis injustitiâ?* R. Bellum erit illicitum: non enim jus habet alterum cogendi, ut de possessione decedat. cit. §.

XX. *Si jus est ambiguum, neuterque possideat, aut uterque ex æquò?* R. Iniquus dicendus est is, qui oblatam rei controversæ divisionem repudiat. §. XII.

XXI. *An bellum utrinq; justum esse potest, ratione habitâ principalium ejus motorum?* N. Ut nec lis, si justum dicatur ex causâ, acceptione justitiæ speciali, positivâ, pertinente ad opus: quia per naturam non datur facultas moralis ad contraria. §. XIII. n. 1. & 2.

XXII. *Quomodo distinguis varias acceptiones vocis justî?* R. Justum aliquid dicitur aut ex causâ, aut secundum effectus. cit. n. 1.

XXIII. *Quomodo ex causâ?* R. Aut speciali acceptione justitiæ, aut illâ generali,

nerali, quâ omnis rectitudo eò venit nomine. *cit. n.*

XXIV. *An verò fieri potest, ut neuter agat injustè?* A. Nemo enim agit injustè, nisi qui scit, se rem injustam agere: multi autem id nesciunt. *cit. §. n. 2.*

XXV. *Quomodò dividitur specialis acceptio vocis justì?* R. In eam, quæ ad opus pertinet, & eam, quæ pertinet ad operantem: nam ipse operans justè agere interdum dicitur, quotiens injustè non agit, etiamsi id, quod agit, justum non sit. *cit. n.*

XXVI. *Quidnam generali acceptione, justum dici solet?* R. Quod omni culpâ agentis vacat. Multa enim etiam sine jure fiunt absque culpâ, ob ignorantiam inevitabilem: cujus rei exemplum est in his, qui legem non observant, quam sine culpâ suâ ignorant, postquam lex ipsa promulgata est, & tempus per se ad scientiam sufficiens transit. *cit. §. num. 3.*

XXVII. *Quâ ratione accidere potest, ut pars utraq, non modò injustitia, sed & omni alio vitio careat?* R. Ubi pars utraque aut altera litigat non suò, sed aliendò nomi-

nomine, puta ex tutoris officio, cui congruit jus etiam incertum, non deferere. *cit. n.*

XXIIX. *An in bello fieri potest, ut temeritas saltim omnis & dilectionis defectus absit?* R. Vix id asserimus, idque ob negotii ipsius gravitatem, quæ omnino talis est, ut causis probabilibus non contenta, quam maximè evidentes requirat. *cit. §. n. 4.*

XXIX. *Quomodo justum accipitur quoad effectus quosdam juris?* R. Certum est, bellum hoc sensu justum utrinque dari. Sic enim & sententia non ex jure lata & possessio sine jure habent quosdam juris effectus. *cit. §. n. 5.*

CAP. XXIV.

Monita de non temerè, etiam ex justis causis, bello suscipiendo.

I.

Jure satis comperto, an statim suscipere bellum licet? N. Plerumque enim magis pium & rectum est, jus suum aut pœnas ommittere, ut bellum vitetur. §. I. *num. 1. & 2.*

II. *Qui*

II. *Qua nos ad pœnas omittendas hortantur?* R. Exempla parentum in liberos: circumstantiæ, quibus jure suô abstinere debitum est ratione dilectionis etiam inimicis debita: monitum Christi de re negligendâ ob lites vitandas. §. II. n. 1, 2. & 3.

III. *Quid est officium Christiani regis læsi?* R. Facile ac libenter condonare, quæ in eum commissa sunt, exemplo Moïsi, Davidis & aliorum. §. III. num. 1. & 3.

IV. *Quando id maxime locum habet?* R. Ubi aut nos nobis peccati alicujus sumus conscii, aut id, quod in nos peccatum est, ab humanâ quadam & excusabili infirmitate procedit, aut satis apparet, pœnitere eum, qui nocuit. cit. num. 3.

V. *An aliquando nobis & nostris præstandum habemus ne ad arma veniatur?* A. Quoties id ex usu non est. §. IV. n. 1.

VI. *Quando id ex usu non esse censeatur?* R. Quoties hosti pares esse non possumus; ut docemur ex parabolâ Christi Luc. xiv. v. 31. & 32. Sic Tusculani omnia patiendo & nihil recusando
pacem

pacem à Romanis meruerunt. Idem fecit Armeniorum Rex Severi tempore, cit. n. 1. § 2.

VII. *Ergone tunc omnis defensio negligenda?* N. Sed tamen temperamentum adhibendum. Sic Syrmus Triballorum Rex Alexandrum Macedonem in Insulam Peucen intrare vetuit, & simul donis eum honoravit, ut ostenderet se, quod faceret, justò metu, non odio aut contemptu ipsius, facere. cit. §. n. 3.

IX. *Quomodo in his deliberationibus procedendum?* R. Qui deliberant partim de finibus non quidem ultimis, sed interjectis deliberant; Finis autem semper est bonum aliquod; Partim de iis, quæ huc aut illuc ducunt; Et hæc per se non expetunt, sed quatenus ducunt: comparandi igitur sunt & fines inter se, & eorum, quæ ad finem ducunt, facultas effectiva ad finem producendum. §. V. num. 1.

IX. *Quæ circa has comparationes observanda norma?* R. Tres imprimis. cit. num.

X. *Quæ prima?* R. Si res, de qua agitur æqualem morali scil. æstimatione, effica-

efficaciam habere videtur & ad bonum, & ad malum, ita demum eligenda, si bonum aliquanto plus habeat boni, quam malum mali. *cit.* § 1. 2.

XI. *Quæ altera?* Si videatur esse æquale bonum & malum, quod à re, de quâ quæritur, possit procedere, ita demum ea res eligenda est, si efficacia ad bonum, quàm ad malum, major sit. *cit.* §. *num.* 3.

XII. *Quæ tertia?* Si videatur & bonum & malum inæquale, nec minus inæqualis rerum efficacia, res ea ita demum eligenda est, si efficacia ad bonum major sit, collatâ efficaciæ ad malum, quam ipsum malum est collatum bono; aut si bonum sit majus comparatione mali, quàm efficacia ad malum, comparata ad bonum. *cit.* v.

XIII. *An ergò libertas civiis Populo preferenda est paci, quâ bellam internecinum redimatur?* N. Quia pluris est, quàm libertas: utpòte bonorum omnium temporalium fundamentum, & occasio æternorum: sic Hebræi per Prophetam svadentur, ut sese Babyloniis in-

servi-

servitutem dedant, ne fame ac peste moriantur. §. VI. n. 1. & 2.

XIV. *An idem dicendum de rebus aliis expetibilibus?* A. Si oppositi mali majoris justior aut par sit expectatio: sic inoris est, navem servare jactu rerum, non vectorum. *cit.* §. n. 5.

XV. *An exigenda pœna nomine bellum licite suscipitur in eum, cui pares sunt vires?* N. Quia non tantum prudentia, aut charitas exigunt, ut bello periculoso abstinenceatur; sed etiam justitia rectoria, quæ superiorem non minus obligat ad curam pro inferioribus, quam inferiores ad obedientiam. §. VII.

XVI. *Ad qua tenetur Rex, qui bellum suscipit ob causas leves, aut ad exigendas pœnas non necessarias, magnumq; periculum secum trahentes?* R. Subditis ad reparationem damnorum quæ inde oriuntur: quamvis enim non in hostes, in suos tamen committit injuriam, eos talibus de causis tam gravi malo implicans. *cit.* §.

XVII. *Quæ igitur belli sumendi causa esse debet?* R. Rara, quæque remitti non potest,

potest, aut non debet: cum scilicet jura sunt armis sæviora. §. ILX.

XIIX. *Quæ altera?* R. Si à jure simulent vires: cum major emolumentis spes ostenditur, quàm damni metus. §. IX.

XIX. *Quare ita coarctatum jus belli?* R. Quia, etiamsi de bello demas injustitiam, ipsa per se necessitas miseranda est, cum homini homine non sit prodigè utendum; Prætereà res infelix & mali ominis bellum etiam non injustum. §. X. n. 1. 2. & 3.

CAP. XXV.

De causis belli pro aliis suscipiendi.

I.

Q*uæ cause possunt esse justæ aliis operentibus?* R. Eadem quæ justæ sunt ei cujus res agitur. §. I. n. 1.

II. *Quæ est prima & maxime necessaria?* R. Cura pro subditis, familiari vel civili imperio subjectis, sunt enim pars rectoris: sic Josua arma sumsit pro Gabaonitis, subditis Hebræorum. cit. §. n. 2.

III. *Quid Romani hæc in re fecerunt?*
 R. Idem Romani, pro quibus, ut Sociis, arma sumere noluerant, pro iis deditis, id est, factis subditis, eadem sumere necessarium duxerunt. *cit. n. 2.*

IV. *An justa causa subditi alicujus semper obligat rectores ad bella sumenda?*
 N. Sed ita demum, si id fieri potest sine omnium aut plurium incommodo. Rectoris enim est, magis circa totum versari, quam circa partem, & quo pars est major, eo ad totius naturam propius accedit. §. II.

V. *An civis innocens deserere potest qui ab hoste deposcitur ad exitium?* A. Si appareat civitatem viribus hostium multo esse imparem. §. III. n. 1.

VI. *Quid autem si spes eum defendi posse adhuc subsit?* R. Talis Civis temere deserere non debet, ubi eum defendi posse spes sit; hinc factum Italici pedatus, qui Pompejum, rebus nondum plane desperatis, deseruit; merito improbat Ferdinandus Vasquius. *cit. n. 1.*

VII. *An etiam in manus tradi?* R. Ipse civis hosti se tradere tenetur: non ex justitiâ propriè dictâ, sed officio dilectionis,

tionis, quo vita multitudinis innocen-
tis præferri debet unius propriæ : hoc
autem omitti nequit sine culpâ. *cit. §.*
n. 2. & 3.

*IIX. Ergo me potius mortem subire,
quàm malum irreparabile patriæ inferri
sinere decet?* A. Ita enim Phocion De-
mosthenem atque alios hortabatur, ut
ad Exemplum Lei Filiarum & Hyacin-
thidum potius mortem ipsi subirent,
quàm malum irreparabile patriæ infer-
ri finerent. *cit. n. 3.*

IX. Sed quid hæc de re sentit Vasquius?
R. Hoc quoque ille negat, quia natura
Societatis Civilis, quam sui quisque
commodi causa innit, id non postulet.
cit. n. 2.

*X. An cogi ad hoc, quod ex charitate
facere tenetur?* A. Superior enim infe-
riorem cogere potest non tantum ad ea,
quæ debet ex jure stricto; sed etiam ad
alia, quæ à qualibet virtute præcipiun-
tur. Sic in magnâ frumenti penuriâ ci-
ves cogi possunt in medium conferre,
quod habent. *cit. §. n. 4.*

*XI. Quid itaq; dicendum ad exemplum
divitis, quod argumenti loco in contrari-*

um affert Sotus, qui Egeno stipem dare ex misericordix præscripto tenetur, cogi tamen nequit? R. Aliam esse rationem partium inter se, aliam Superiorum, ubi cum sibi subditis comparantur, nam par parem cogere non potest, nisi ad id, quod ex Jure debetur strictè dicto; secus est de Superiore. *tit. n.*

XII. *Quinam sunt proximi subditis, ut defendi debeant?* R. Socii, in quorum foedere id est comprehensum; sive se dederint in aliorum tutelam ac fidem, sive mutua pacti sint auxilia. §. IV.

XIII. *Quid autem, si causa est injusta?* R. Pactiones tales ad bella, quibus justa causa non subsit, porrigi haud possunt. *cit. n.*

XIV. *An hæc est causa, tur Lacedæmoni, priusquam bellam in Athenienses susciperent, sociis omnibus de causa justitiæ judicium permiserint?* A. Et Romani Græcis de bellò in Nabidem. *cit. §.*

XV. *Daturne aliud simile Exemplum?* A. Sic Corcyræos, si causa justa erat, Athenienses defendere potuerunt etiam contra Corinthos socios vetustiores. *cit. §.*

XVI.

XVI. *An socius socium defendere teneatur, si nulla sit spes exitus boni?* N. Societas enim boni causâ contrahitur, non mali. *cit. §.*

XVII. *An socius defendendus contra fœderatum alium?* A. Nisi fœdere aliquid specialius convenerit. *cit. §.*

XIIX. *Quinam sunt proximi Sociis, ut defendi debeant?* R. Amici. *§. V.*

XIX. *An amici, quibus auxilium non sit promissum?* A. Habita scilicet amicitiae ratione; si facile possint exhiberi, & sine incommodo; sic pro Lotho cognato arma sumpsit Abrahamus. *cit. §.*

XX. *Quid Romani fecerunt?* R. Hi præceperunt Antiatibus, ne in Græcos utpotè Italorum cognatos, piraticam exercerent. Idem sæpè non pro Sociis tantum, quibus ex fœdere id debebatur, sed pro amicis bella susceperunt, aut suscipere minati sunt. *cit. §.*

XXI. *An homines quicumque?* A. Hominum enim inter se conjunctio sola sufficit ad opem ferendam. *§. VI.*

XXII. *An homo tenetur hominem ab injuriâ defendere, ac populus populum?* N. Si manifestum sit periculum: suam

enim vitam & res potest præferre alienis. §. VII. n. 1.

XXIII. *Si oppressus eripi non potest, nisi morte invasoris?* N. Si invasus vitam invadentis potest suæ præferre: si scilicet ex parte invasoris majus sit periculum irreparabilis & sempiterni damni. cit. §. n. 2.

XXIV. *An justè sumitur bellum pro defendendis subditis alienis, ut ab eis arceatur imperantis injuria?* A. Si manifesta sit injuria, si quis Busiris, Phalaris, Thrax Diomedes ea in subditos exerceat, quæ nulli æquo probentur; tunc enim præclusum non est jus humanæ societatis: sic Constantinus in Maxentium & Licinium, alii in alios arma ceperunt ut vim arcerent à Christianis. §. IX. n. 1. & 2.

XXV. *Si subditi verè deliquerint, & causa dubia sit?* N. Imperiorum enim distributio idè est instituta, ut rectorum quisque animadvertat in suos. cit. num. 1.

XXVI. *Quid si darentur, qui ne in summa quidem necessitate arma rectè à subditis sumi statuunt?* R. Non tamen inde sequer-

sequetur, non posse pro ipsis ab aliis arma sumi. Quoties enim actioni alicui impedimentum ponitur personale, non ex re; toties, quod uni non licet, alteri pro eodem licere potest; si modò tale sit negotium, in quò alter alteri prodesse possit. Sic pro pupillo, cujus persona iudicium non capit, litigat Tutor aut alius: pro absente, etiam sine mandato, defensor. *cit. §. n. 3.*

XXVII. *Unde Impedimentum, quod resistere subditum prohibet, venit?* R. Non ex causà, quæ eadem est in subditò & in non subditò, sed ex personæ qualitate, quæ in alios non transit. *cit. n.*

XXIX. *Quid Seneca existimat?* R. Bello à me peti posse, qui, à meâ gente sepositus, suam exagitat, cum de poenis exposcendis ageretur, quæ res sæpè cum defensione innocentium conjuncta est. *cit. §. n. 4.*

XXIX. *Quid de iis dicendum, qui sine causa respectu, mercede conducti militant?* R. Nullum vitæ genus esse improbius eorum, ut quibus ibi fas, ubi plurimam mercem. *§. l. n. 1.*

XXX. *Unde verò hoc?* R. Præter id, quod

Y 3

quod

quod suam vendant necem, etiam aliorum sæpè innocentium vendunt: tantò carnifice detestabiliore, quantò pejus est, sine causâ, quam ex causâ, occidere. Sicut Antistes dicebat, Carnifices Tyrannis esse Sanctiores, quod illi nocentes, *hi* innocentes interficerent. *cit. §. num. 2.*

XXXI. Ergò bellum inter artificia referendum non est? A. Cum res est tam horrenda, ut eam, nisi summa necessitas, aut vera charitas, honestam efficere nequeat. *cit. §. n. 3.*

XXXII. An justum est militare prædæ & stipendii causâ? N. Si id unice aut præcipuè spectetur: cum alioquin, omnino liceat stipendium accipere. Sic dicit Apostolus, quis suis impensis militat. I. Cor. x. §. X.

CAP. XXVI.

De causis justis, ut bellum geratur ab his qui sub alieno imperio sunt.

I.

AN etiam Cives singuli, uti filii familiarum, Servi, Subditi, in conditione parandi

rendi positi sunt? A. Si cum Civitatis suæ corpore comparentur. §. I.

II. *Quid faciendum illis, qui in conditione parendi sunt positi?* R. Easdem sequi debent regulas, quas illi, qui suoapte arbitrio bellum gerunt pro se, aut aliis; si adhibeantur ad deliberationem, aut libera ipsis optio detur militandi, aut quiescendi. §. II.

III. *Si ipsis edicitur, ut militent?* R. Omnino debent abstinere, si causam belli credunt esse injustam. Deo enim obediendum potius, quam hominibus. §. III. n. 1.

IV. *An rectè Gellius negat, probam esse sententiam, omnia esse parendum, quæ Pater jusserit?* A. vid. L. 35. ff. de Religios. junct. L. 15. de Condit. Instit. L. 185. de R. J. cit. §. n. 2.

V. *Cur irrisus olim Stratocles?* R. Quia legem Athenis rogaverat, ut quicquid Demetrio Regi placuisset, id in Deos pium, & inter homines justum esset. cit. num.

VI. *An ipsa Jura Civilia, quæ peccatis excusabilibus facile veniam præbent, favent his, qui parere necesse habent, in*

omnibus? N. Sed certa quædam excipiunt. *cit. §. n. 3.*

VII. *Quanam igitur illa sunt?* R. Ea, quæ atrocitatem habent facinoris vel sceleris; quæ suâ sponte scelerata ac nefaria sunt, ut loquitur Tullius; maleficia, quæ sponte & non disputatione Juris Consultorum, sed naturali interpretatione fugienda sunt. *cit. n.*

IIIX. *Quale quoad hoc narratum Hecato Josephus memorat?* R. Tale, Judæos, qui Alexandro Macedoni militabant, neque verberibus, neque contumeliis ullis adigi potuisse, ut ad belli templum, quod Babylone erat, instaurandum, humum cum militibus cæteris aggererent. *cit. §. n. 4.*

IX. *Sed in quibus propius nostri argumenti exemplum habemus?* R. In Thebæa Legione, & in Juliani militibus. *cit. num.*

X. *Quid spiculatores olim ad Christum conversi, elegerunt?* R. Mori potius, quam edictis & Judiciis in Christianos manum commodare. *cit. n.*

XI. *An tantundem erit, si quis persuasus sit, id, quod imperatur, injustum esse?*

A,

A. Nam huic tantisper ea res pro illicita est, quamdiu eam opinionem non potest deponere. *cit. §. n. 5.*

XII. *Quid si dubitet, res licita sit nec ne, eritne quiescendum, an parendum?* R. Parendum plerique censent. *§. IV. n. 1.*

XIII. *An obstat illud laudatum: quod dubites, ne feceris?* N. Quia, qui contemplativè dubitat, potest activo iudicio non dubitare. Credere enim potest, in re dubiâ obsequendum superiori. Atque hæc distinctio iudicii duplicis in multis actionibus moralibus locum habet. *cit. n.*

XIV. *Quid concedunt Jura Civilia, non Romana tantum, sed & aliarum Gentium in tali circumstantia?* R. Non modò impunitatem obedientibus, sed & actionem in eos Civilem denegant. Is enim damnum dat, qui jubet dare; ejus verò nulla culpa est, cui parere necesse est. *cit. num.*

XV. *Quibus annumerat Aristoteles Nicomachiorum quinto famulum Domini Imperantis?* R. His, qui injustum quidem aliquid faciunt, non autem injustè, *cit. §. n. 2.*

XVI. *Quem autem injustè ait agere?*

R. Eum, à quo actionis principium est; nimirum quia in famulo vis deliberatrix plena non est. *cit. n.*

XVII. *An datur bellum utrimq; justum, id est injustitiâ vacans?* A. Si subditos respexeris. *cit. §. n. 3.*

XIIX. *Si dubitent?* R. Contemplativè dubitans debet activo judicio partem eligere tutiorem, ac abstinere bello: præsertim si agatur de aliis impetendis, non suis defendendis: sic laudati Esseni, quod inter alia jurarent, se non nocituros cuiquam, ne si juberentur quidem. *num. 4.*

XIX. *At ex alterâ parte periculum est inobedientia?* R. Ea suapte naturâ in ejusmodi rebus minus malum est quàm homicidium, præsertim multorum innocentium: sic Mercurius occiso Argo non potuit à diis absolvi, quamvis se Jovis mandato defenderet. *num. 5.*

XX. *Sed non expedit rationes consiliorum edi populo?* R. Hoc verum est de causis svasoriis, non de justificis: has enim claras esse oportet ac evidentes, partem exponendas. *cit. n.*

XXI.

XXI. *An quod de Legibus (nimis fortè indistinctè) dictum à Tertulliano est, in his legibus sive edictis de bellò gerendò locum justissimè habet?* A. Neque enim civis fideliter legi obsequitur, ignorans, quale sit, quod ulciscitur lex: adde, quod nulla lex sibi soli conscientiam justitiæ debeat, sed eis, à quibus obsequium expectat. *cit. §. n. 6.*

XXII. *Quomodo denunciationes olim fieri solebant?* R. Palàm, & expressà causà; ut totum quasi genus humanum de justitiâ causæ posset cognoscere. *cit. §. n. 7.*

XXIII. *An autem aliquando sequenda in Quest. 18. allegata, Adriani sententia?* A. Si Subditus non modò dubitet, sed argumentis probabilibus inductus, magis in id propendeat, ut bellum injustum esse putet, præcipuè verò, si de aliis impetendis, non de suis tuendis agatur. *num. 8.*

XXIV. *Quomodo carnifex justè potest occidere damnatum?* R. Si ipsi sint cognita causæ merita, ex eò, quod quæstioni & actis interfuerit, aut ex rei confessione:

fessione: ut satis ei constet mortem ab eò commeritam. *cit. §. n. 9.*

XXV. *Si per causa expositionem subditorum anintis nequeat satisfieri?* R. Boni magistratus officium est ipsis in hac re, parcere, sub onere tributi extraordinarii; præsertim ubi non sunt defuturi alii, qui militent. *§. V. n. 1.*

XXVI. *Quomodo illarum voluntate, non tantam bonâ, sed & mala, uti potest Rex justus?* R. Eò modò, uti Deus & diaboli & impiorum paratâ operâ utitur. Sicut etiam culpâ caret, qui, egestate pressus, pecuniam sumit ab improbò fœneratore. *cit. n.*

XXVII. *Si de causâ belli dubitari non possit?* R. Iniquum tamen videtur, ut Christiani cogantur militare invitè: cum majoris cujusdam sanctitatis sit, à militiâ abstinere, etiam cum liceat militare. *cit. §. n. 2.*

XXIX. *An evenire etiam potest, ut in bellò, non dubiò tantùm, sed etiam manifestè injusto, justæ aliqua esse possit subditorum defensio?* A. Nam cum subditos innocentes, & à belli culpâ remotos interficiendi Jus verum & internum hostis,

stis, justum quamvis bellum gerens, non habeat, nisi aut ad necessariam defensionem, aut per consequentiam & extra propositum, (pœnâ enim illi obnoxii non sunt) sequitur, ut si certò constet, hostem eo venire animo, ut hostilium subditorum vitæ parcere cum possit, omninò nolit, subditi illi tueri se possunt ex Jure Naturæ, quod Gentium Jure ademptum illis non est. §. VI.

XXIX. *An bellum tunc utrinq; justum, est?* N. Non enim ibi de bellò, sed de certâ ac definitâ actione quæritur. Illa autem actio, quamvis de cæterò Jus ad bellum habentis, injusta est, & proinde justè repellitur.

cit. §.



Hugo-



HUGONIS GROTII
IN QUÆSTIONES REDACTI

De

JURE BELLI ac PACIS

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

*Quantum in bello liceat, regula gener-
ales ex Jure Naturæ.*

I.

Postquam visum, quibus bellum
gerere liceat, quibusq; de cau-
sis, quid nunc expendendum?

R. Quid liceat in bello, quan-
tumque, & quibus modis. Hoc autem
nudè spectatur, aut ex promisso antèce-
dente: nudè, ex Jure Naturæ, & Gen-
tium. §. I.

II. *Quomodo in bello quadam licent ad
finem consequendum?* R. Ita, ut intelli-
gamur jus habere ad ea, quæ moraliter
necessaria sunt ad finem juris conse-
quendi: adeoque liceat mihi vi quali-
cunq;

tunque injuriam à me arcerè, ut me & mea servem. §. II. n. 1.

III. *Sed quale jus hic indigitatur?* R. Illud, quod strictè ita dicitur, & facultatem agendi in solo societatis respectu significat. cit. n.

IV. *Quando etiam hoc cum interfectione me impetentis vi qualicunque est mihi licitum?* R. Si aliter vitam servare non possum. cit. §. add. L. II. c. 1. qu. 13. & L. I. c. II. qu. 2.

V. *Quid si me insultans vacet peccato?* R. Et tunc quoque præceptum est; quia jus hoc non propriè ex peccatò alterius oritur, sed ex jure, quod mihi pro me naturà concedit. cit. n.

VI. *An & rem alienam, ex quâ certum mihi periculum imminet, citra culpâ alienâ considerationem invadere possum?* A. Non tamen dominus fieri, sed custodire, donec securitati meæ satis cautum sit. cit. §. n. 2. add. L. II. c. II. §. 10.

VII. *An rem meam, quam alius detinet, eripere ei naturaliter mihi jus est, & si difficilius, aliud tantundem valens?* A. Quando scilicet alio modo læsa æqualitas reparari nequit. cit. n.

IX. *An jus nostrum spectandum est ex solò belli principiò? N. Sed ex causis subnascentibus. Sic mihi jus est me tuendi adversus omnes eos, qui se aggrogant me impetenti, sive subditi fuerint, sive focii: qui bello injusto se miscunt, obligant se ad sumtus ac damna resarcienda: qui accedunt bello sine probabili ratione suscepto, poenæ meritum quoque contrahunt. §. III.*

IX. *Quomodo quadam consequuntur sine injuriâ, qua non liceret ex proposito? R. Quo nostrum consequamur jus nobis est plus accipere, si tantundem accipi non potest: sed sub obligatione restituendi pretium ejus, quod redundat; sic navis piratis, aut domus latronibus plena peti potest tormentis, etiam si ex eò aliquibus infantibus, foeminis, aliisque innocentibus creetur periculum. §. IV. n. 1.*

X. *An semper ex omni parte licitum est, quod juri strictè sumto congruit? N. Sæpe enim proximi charitas non permittit, ut summò jure utamur. cit. §. num. 2.*

XI. *Si provideamus futurum, ut multa
multa*

mala accidant præter propositum? R. Talia cavenda sunt, nisi bonum quo nostra actio tendit multò sit majus malo quòd metuitur; aut nisi in pari bono & malo multò major sit spes boni, quàm metus mali. *cit. n. 2.*

XII. *Sed quid in dubio?* R. Semper in dubio ad eam partem, quæ alteri magis, quam sibi, consulit, ut tutiorem, inclinandum est. *cit. n.*

XIII. *An nobis in exemplum trahendum est, si tale quid DEUS interdum facit?* N. Ob plenissimum illud dominii jus, quòd ille in nos habet, nobis verò alteri in alterum non concessit. *cit. §. n. 3.*

XIV. *Quid licet in eos, qui hostibus res subministrant?* R. Sunt in partibus hostium, si res eæ tantum in bello usum habeant; ut arma. *§. V. n. 1. & 2.*

XV. *An super hoc puncto unquam fuit certatum?* A. Nam non solum olim, sed & hodiè eà de re acriter certatum fuit; cum alii belli rigorem, alii commerciorum libertatem defenderent. *cit. n. 1.*

XVI. *Si nullum in bello usum habeant?* R. Non sunt; ut quæ voluptati tantum inserviunt. *cit. n. 1. & 2.*

2

XVII.

XVII. *Si usum habeant in bello, & extra bellum?* R. Jus dabit necessitas, si me non possum tueri, nisi, quæ mittuntur, intercipiam: sed sub onere restitutionis, nisi alia causa accedat; hujus generis sunt pecunia, commeatus, naves, &c. *cit. §. n. 2. & 3.*

XIIX. *Si subvectio rerum impedieris juris mei executionem?* R. De damno culpâ dato tenebitur, qui advexit, si hoc scire potuerit: si oppidum obsessum tenebatur, portus clausi, ac sperabatur traditio aut pax. *cit. n. 3.*

XIX. *Quomodo damnum culpâ datur?* R. Quando v. c. quis debitorem carceri eximit, aut fugam ejus in meam fraudem instruit. *cit. n.*

XX. *Quomodo damnum datum resarciri solet?* R. Res ejus capiuntur & dominium earum debiti consequendi causâ queri poterit. *cit. n.*

XXI. *Si damnum necdum dederit, sed dare voluerit?* R. Jus erit rerum retentione cum cogere, ut caveat de futuro, obsidibus, pignoribus, &c. *cit. n.*

XXII. *Si evidentissima sit hostis mei in me injuria, ac in bello iniquissimo confirmetur*

metur ab aliò? R. Hic etiam criminaliter tenebitur de damnò: licebitque in eum statuere, quod delicto convenit, eumque spoliare. Demetrius suspendebat gubernatorem & magistrum navis frumentum Athenis inferre parantis, quas obsederat. *cit. n. add. n. 5.*

XXIII. *Quando quis non tantum civiliter, sed & criminaliter tenetur?* R. Si judici imminenti reum manifestum eximit: atque eò nomine licebit in eum statuere, quod delicto convenit. *cit. n.*

XXIV. *Quas ob causas bellum illaturi aliis populis hoc significant?* R. Tum ut de jure causæ, tum etiam ut de spe probabili juris exequendi appareat. *cit. §. num. 4.*

XXV. *Quare questio hac ad Jus Naturæ refertur?* R. Quia ex historiis nihil comperire possumus eâ de re jure voluntariò gentium esse constitutum. *cit. §. n. 5.*

XXVI. *Quid notandum circa agendæ modum in bello?* R. Maximè propriam bellorum esse vim ac terrorem. *§. VI. num. 1.*

XXVII. *Quid vocant Jcti Rom. dolunt?*
Z z *copium?*

bonum? R. Si aduersus hostem quis machinaretur : & alio loco dicunt , nihil interesse, vi quis, an fallaciâ, potestatem hostium euaserit. *cit. §. n. 3.*

XXIIX. *Quid sentiunt hâc de re Theologi?* R. Augustinus ait, cum bellum iustum suscipitur, vi aperta pugnet quis, aut ex insidiis, nihil ad iustitiam interest. Et Chrysostomus, maximè laudari Imperatores, qui fraude victoriam quaesissent. *cit. n.*

XXIX. *An dolo quoque licet uti in bellis?* A. Scilicet negativo. Fas enim est, quædam occultare apud quosdam : cum non teneamur aperire quæ scimus, aut volumus : sic Jeremias à rege interrogatus de obsidionis eventû, hanc sui colloquiî causam fuisse non indicat proceribus ; sed adfert aliam, nec tamen falsam. Et hûc quoque referri potest, quod Abrahamus Saram sororem, i. e. exusitato tum loquendi more, propinquam consanguineam vocat, matrimonium dissimulans. *cit. §. n. 1. add. §. 7.*

XXX. *Quomodo dicitur dolus, qui in actû positivo consistit?* R. Si in rebus, si-
mula-

mulatio; si in sermone, mendacium vocatur. §. VIII.

XXXI. *An non differentiam inter hæc duo nonnulli statuunt?* A. Dicunt enim, voces naturaliter esse signa intellectuum, res non item. cit. §. n. 1.

XXXII. *Sed num hoc verum est?* N. Cum voces naturâ ipsâ & citra hominum voluntatem nihil significant; nisi fortè vox sit confusa & ἀναρρητος, qualis in dolore, quæ ipsa rei magis appellatione venit, quam locutionis. cit. §.

XXXIII. *Quid hominis natura præ animalibus cæteris peculiare est?* R. Ut conceptus animi possit aliis indicare. cit. §. ad. §. 7. Proleg.

XXXIV. *Itane solis vocibus tale fit indicium?* N. Sed & nutibus, ut apud mutos: sive illi nutus aliquid habent cum re significatâ commune ipsâ naturâ, sive tantùm ex institutò significant: quibus nutibus pares sunt notæ illæ, quæ non voces lingvâ figuratas significant, ut Paulus Jctus loquitur, sed res ipsas; sive ex aliquâ convenientiâ, ut notæ hieroglyphicæ; sive mero arbitrato, ut apud Sinenses & Japonenses. cit. §. n. 1.

XXXV. *Quanam est ambiguitas in voce Juris Gentium?* R. Dicitur jus gentium, & quod singulis gentibus placuit sine mutuâ obligatione, & id quod mutuam obligationem in se continet. *cit. §. 7. 2. add. L. II. c. III. §. 5.*

XXXVI. *Ad quid igitur voces & mutua & nota sunt reperta?* R. Ad significandum cum mutuâ obligatione. *cit. n.*

XXXVII. *An idem de rebus aliis dici potest?* N. Hinc fit, ut rebus aliis uti liceat, etiam si prævidemus futurum, ut alter inde falsam concipiat opinionem. *cit. n.*

XXXVIII. *An non & Christus hujus rei exemplum præbet, dum speciem prætulit ituri longius?* N. Verè enim longius ire voluit, sub conditione tamen, nisi magno nisu retineretur; quomodo & DEUS multa velle dicitur, quæ non fiunt. Sic quoque alibi Christus dicitur voluisse præterire Apostolos navigantes, nisi impensè rogaretur navem ascendere. *cit. §. n. 3.*

XXXIX. *An non & Paulus in Thimothæi circumcissione, tunc temporis reverè abolitâ, simulavit?* R. Paulus hoc tantum quasi

quæſivit, ut familiarius cum Judæis verſandi facultas ſibi & Thimotheo præberetur. *cit. n.*

XL. *An licet dolo uti, qui conſiſtit in actu poſitivo in rebus, qua eſt diſſimulatio?* A. Rebus enim aliis uti licet, etiam ſi prævideamus futurum, ut alter inde falſam concipiat opinionem; ſi nullum nocumentum ex eò ſequatur: ſic Romani de capitolio panem projiciebant in ſtationem hoſtium, ne fame premi crederentur. *cit. n. 2. § 3.*

XLi. *An ſi ſequatur nocumentum?* A. Sed licitum: ſic hoſtium armis, veſtibus, ſignis uti licet: ſic Joſua ſuis præceperat fugam fingere ad Hajum expugnandum. *cit. §. n. 4.*

XLii. *Quâ ex cauſâ nocumentum hoc licitum eſſe dicis?* R. Ex belli juſtitiâ; ipſa autem fuga ex inſtitutò nihil ſignificat, quanquam hoſtis eam accipit, ut ſignum pavoris, quod alter cavere non tenetur, utens ſuâ libertate huc vel illud eundi, & magis minusve celeriter, & hoc vel illo geſtu habituve. *cit. n.*

XLiii. *Cujus ergò generis ſunt hæc omnia?* R. Ut à quovis pro arbitrio, etiam

contra consuetudinem, usurpari possint, quia consuetudo ipsa singulorum arbitrio non quasi consensu communi introducta est, qualis consuetudo neminem obligat. *cit. §. n. 5.*

XLIV. *An concessum est uti dolo, qui consistit in sermone, qui est mendacium?*
R. Non semper illicita est usurpatio locutionis, quæ sciatur in alium sensum accipienda. *cit. n.*

XLV. *Num turpis videtur falsiloquentia?* N. Si scilicet salus nascatur ex mendacio: cum mendacium dicere etiam sapienti, re urgente, concessum sit; neque hoc reprehenderunt Veteres Christiani. §. IX. n. 2. & 4.

XLVI. *Quomodo dissidentium sententiarum conciliatio aliqua reperi poterit?*
R. Ex largiore aut strictiore mendacii acceptione. §. X. n. 1.

XLVII. *An semper mentitur dicens mendacium?* N. Sed scienter proferens verba cum significatione, quæ disconveniat mentis conceptui. *cit. n.*

XLIX. *An qui dicit rem falsam, quam veram putat?* N. Quia hic non est falsitas,

tas, sed error ; & discrepantia rei à conceptu, non orationis. *cit. n.*

XLIX. *An qui dicit rem veram , sed quam falsam putat ?* A. Aliter enim sentit, aliter loquitur. *cit. n.*

L. *An mendacium committitur , cum dictio aliqua aut oratio ambigua est , ex usu , arte , figurâ ?* N. Si conceptus animi congruat uni istarum significatorum. *cit. n.*

LI. *An hæc locutio est licita ?* A. Non temerè usurpata, sed ex causis accedentibus honestata ; ad aliquem erudendum, aut vitandam interrogationem iniquam. Sic Christus eâ fuit usus, cum de templò instaurandò loqueretur, non ignorans, alios templum aliud intelligere. *cit. §. n. 2.*

LII. *An quandoque illicita ?* A. Cum necesse est, ut omninò patefiat sermone, quod cogitatur animo. *cit. §. n. 3.*

LIII. *Quo casu ?* R. Si id exigat honor Dei, amor in proximum, reverentia adversus superiorem, natura rei. *cit. num.*

LIV. *Quid requiritur ad communem mendacii naturam ?* R. Significationis falsi-

falsitas; scilicet, ut, quod dicitur, scribitur, notatur, innuitur, nequeat intelligi aliter, quam sensu discrepante à mente proferentis, §. XI. n. 1.

L.V. *An illicitum est mendacium hac generali notione sumtum?* N. Sed requiritur, ut significatio strictior ei adjiciat propriam aliquam differentiam. *cit. n.*

L.VI. *Quam?* R. Secundum communem gentium existimationem non videtur dari posse alia, præter repugnantiam aliquam cum jure existente ac manente ejus, ad quem sermo dirigitur, aut nota. *cit. n.*

L.VII. *Quale hujus est?* R. Non quodvis & rei extrinsecum, sed huic negotio proprium & cognatum. *cit. n.*

L.IX. *Quod?* R. Libertas judicandi, quam homines colloquentes intelliguntur debere his, quibus colloquuntur, idque pacto, quasi tacito. *cit. n.*

LX. *Cur hoc?* R. Hæc enim est mutua illa obligatio, quam homines volunt introduci, simulatque uti constituerunt sermone aliisque notis: quia, sine tali obligatione inane fuisset tale repertum. *cit. n.*

LX. *Cujus jus laedi intelligitur?* R. Ejus, quicum loquimur, quo laeso nascitur injustitia mendacio dans malitiam. *cit. §. num. 2.*

LXI. *Cur desideratur, ut jus illud subsistat ac maneat, quo tempore sermo fit?* R. Quia fieri potest ut jus quidem fuerit, sed sublatum sit, aut alio jure superveniente tollatur. *cit. n.*

LXII. *Quomodo hoc tollitur?* R. Expresso consensu ejus, quicum agimus; ut si quis praedixerit falsa se dicturum, aliusque permiserit; aut tacito, & quâve ratione praesumpto: ac oppositione juris alterius, quod multò plus communi omnium judicio valeat *cit. §. n. 3.*

LXIII. *An licet falsum loqui apud infantes & amentes?* A. Nulla enim illis injuria fieri potest circa libertatem judicii, quæ non est. §. XII.

LXIV. *An mendacium est, quoties sermo ad eum dirigitur, qui non decipitur, etiamsi tertius inde falsam concipiat opinionem?* N. Non ratione ejus, ad quem est sermo, quia libertas illi manet integra: sicut illis, quibus intelligentibus fabula narratur. §. XIII. v. 1.

LXV.

LXV. *An ratione tertii qui obiter id audit?* N. Quia, cum eo non agitur, nec ejus respectu sermo est sermo, aut obligatio ex eo: imò habet, quod sibi imputet, si opinionem sibi formet de eo, quod alteri dicitur. Sic hostes decepti sunt, Flavio alijs narrante urbem hostilem expugnatam esse ab Emilio. *cit. §. n. 1. & 2.*

LXVI. *An committitur mendacium injuriosum; quoties certum est, eum, ad quem sermo dirigitur, non agere laturum libertatis suae in judicando lesionem?* N. Ei enim nulla fiet injuria, utpote volentis; in tam certis enim praesumpta voluntas habetur pro expressa. §. XIV. n. 1.

LXVII. *Num furtum perpetratur, qui ex praesumpta domini voluntate rem ipsius exiguam consumit?* N. Si inde magnam eadem utilitatem parat. *cit. n.*

LXVIII. *An cum quis amicum solatur non verà persuasione?* N. Quia hoc gratissimum ei est, adeoque non injuriosum. Sic Aria Pætum solabatur filio. *cit. n.*

LXIX. *Cum falso nuncio, animum addit periclitanti, quo incitatus victoriam sibi pari-*

pariat ac salutem? N. Qui enim volens decipitur, non capitur: sic Quinctius Consul suos servavit mentiendo, quod ab altero cornu jam fugerent hostes. *cit.*

§. n. 2. & 2.

LXX. *Cum utitur jure supereminenti in sibi subditum?* N. Hoc enim jure uti potest ipsius bono sive proprio, sive publico. Sic Salomon protulit voces significantes voluntatem infantes sciendi, ut veræ matri partum addiceret suum. §. XV. n. 1. & 2.

LXXI. *Num DEO, cum jus summum in homines habeat, convenit mendacium?* N. Quia infirmitatis est, ad talia confugere. *cit.* §.

LXXII. *Cum aliter defendi nequit innocentis vita, aut par aliquid?* N. Injuriam enim nemini facio, cum servo vitam alterius, ac avertō alterum ab improbo facinore. §. XVI.

LXXIII. *An admittenda sunt interpretationes tacite; nescio, scilicet ut tibi dicam; non habeo, ut tibi dem, & similes?* N. Sic enim dici quis posset negare qui affirmat, affirmare qui negat: nam nulla vox est, quæ non recipiat ambiguum; adeo-

adeoque eas repudiat ipse sensus communis. §. XVII. n. 3.

LXXIV. *An joca dici possunt prolata gravi vultu, & seria pronuntiatione?* N. Hoc autem est vocem mendacii exhorrescere, non rem ipsam. *cit.* §. n. 4.

LXXV. *An falsiloquium licitum est apud hostem?* A. Quoad sermonem asserentem, nulli nocentem nisi hosti publico. Quale fuit Jabesitarum in obsidione: & Valerii Levini, qui Pyrrhum à se interemtum jactabat. §. XIX. & XVII.

LXXVI. *An quoad promittentem?* N. Nam ex promissione novum & speciale jus confertur ei, cui fit promissio. *cit.* §.

LXXVII. *An quoad jusjurandum?* N. Sive assertivum fuerit, sive promissivum. Vim enim hoc habet excludendi omnes exceptiones, quæ peti possunt ex personâ ejus, quicum agimus: quia hæc etiam cum Deo res est. §. XIX.

LXXIIX. *An licet ut pueros talis, ita viros jurejurando fallere?* N. Detestandum enim hoc est omnino; cum omne jusjurandum requirat veritatem in eo sensu, quam homo exaudiens existimatur fide optimâ intelligere. *cit.* §.

LXXIX.

LXXIX. *Quare fraudium concessarum genera quadam populi aut homines nonnulli repudiarunt?* R. Id non accidit ob justitiæ opinionem, sed ob eximiam quandam animi celsitudinem; interdum & virium fiduciam. §. XX. add. L. III. c. II. §. 7.

LXXX. *Quibus rebus homo proximè ad DEUM accedit?* R. Duabus: Vera semper loquendo, & benefaciendo aliis. Sic apud Jamblichum veracitas dux dicitur ad omnia divina humanaque bona. cit. §.

LXXXI. *Quæ firma censetur victoria.* R. Cum ita subjugati sunt hostes, ut id animo confiteri habeant necesse, se neque arte neque casu, sed collatis cominus viribus justo ac pio bello esse superatos. cit. §. n. 3.

LXXXII. *Quid de his lex Christi?* R. Generosius ac disciplinæ Christianæ convenientius est falsiloquio abstinere, etiam in hostem: cum non tantum simplicitas imperetur, sed & interdicitur omnis vaniloquentia. §. XX. n. 2.

LXXXIII. *An licet nobis quemquam impellere ad id quod nobis liceat, non ipsi?* N. Sem.

Semper enim ipse peccat, qui alteri dat peccandi causam: sic civem mihi impellere non licet ad occidendum regem, aut pröendam patriam: quia hoc ipsi nefas est. §. XXI.

LXXXIV. *Si ultrò offeratur operâ? R.* Licet eâ uti ad rem licitam. §. XXII.

LXXXV. *An transfugâ recipi potest? A.* Nam contra jus belli non est, ut eum admittamus, qui desertâ hostium partem nostram eligit. *cit. §.*

CAP. II.

Quomodo, jure gentium, bona subditorum pro debito imperantium obligantur: ubi de repressaliis.

I.

Quorsum spectant ea, quæ nunc ex *Jure Gentium* descendere dicuntur? *R.* Partim ad quodvis bellum, partim ad certam belli speciem. §. I. n. 1.

II. *Quinam tenentur ex alieno factò? R.* Naturaliter nemo nisi hæres. Simul enim cum dominus rerum est introductum, ut bona transirent cum oneribus. *cit. n. 1.*

III.

III. *An singuli debent, quod debet universitas?* N. Si hæc bona habeat: alioqui verò tenentur, ut pars universorum, non ut singuli. *cit. §. n. 2.*

IV. *Quomodo subditi tenentur pro debito imperantis?* R. Ita, ut res omnes & actus eorum, qui alicui societati, aut capiti subsunt, teneantur ac obligentur pro eo, quod civilis societas, aut ejus caput, præstare tenetur: sive per se primò, sive quòd se quoque obstrinxerit, jus non reddendo debito alieno. §. II. *NUM. 1.*

V. *Quo jure?* R. Gentium, necessitate ita cogente introductum; cum alioqui magna daretur injuriis faciendis licentia: quia bona paucorum imperantium non tam facilè possunt in manus venire, quàm privatorum plurimam. *cit. n.*

VI. *An hoc est contra jus natura?* N. Sed eo non repugnante introductum, more ac tacito consensu. *cit. §. n. 2.*

VII. *An membra ejusdem societatis facilius à se mutuò jus consequi possunt, quam externi?* A. Sic membra quoque prædicta indemnitati suæ melius consulunt,

A a

quam

quam externi, quorum multis in locis exigua habetur ratio. *cit. n.*

IX. Unde autem hic mos est receptus?

R. Non tantum ex bellis plenis, quæ Populi Populis inferunt: verum etiam, ubi ad eam belli plenitudinem nondum ventum est, sed tamen violenta quadam juris executione, id est bello imperfecto, opus est, idem videmus usurpari. *cit. §. n. 3.*

IX. Quæ sunt species violentæ istius executionis? R. Duæ, præhensio hominum & rerum, quæ oppignoratio & jus repræssaliarum. §. III. n. 1. & §. IV.

X. Quomodo pro debito civitatis, quæ obligatur, subditi, qui aliis nocuerunt, plectuntur? R. Obligatur jus quoddam incorporale subditorum, ipsa scilicet libertas morandi ubi velint, & agendi, quod velint; ita, ut in servitute interim sint, donec civitas id faciat, quod facere tenetur, id est puniat fontem. *cit. n.*

XI. An ergo corpus seu libertas pro debito obligari debet? A. Quia in eo nihil est naturæ repugnans; & mos non Græcorum tantum, sed & aliarum gentium in contrarium valuit. *cit. n.*

XII.

XII. *Quid est hominum præbentio?* R. Quoties est facultas rapiendi cives alterius Reip. Æla homicidas, qui ad ipsam confugerunt, non reddit, cum id altera postulaverit. Nam tunc jus erat apud Athenienses tres homines prehendendi adversus eos, qui dedere recusabant.

cit. §. n. 4.

XIII. *Quando locum habet?* R. Si jus denegetur, sive intra tempus idoneum obtineri nequeat in fontem, aut debitorem: aut planè contra jus judicatum sit in re minimè dubià. §. V. n. 1.

XIV. *Quid verò obtinet in re dubià?* R. Præsumptio tunc est pro his, qui ad judicia publicè electi sunt. *cit. n.*

XV. *Num autoritas judicantis idem in externos, quod in subditos valet?* N. Subditi enim executionem etiam injustæ sententiæ vi impedire, aut contra eam jus suum vi exsequi licitè non possunt; ob imperii in ipsos efficaciam: exteri autem jus habent cogendi, sed quo uti non licet, quamdiu per judicium suum possint obtinere. *cit. n.*

XVI. *Quid igitur passim receptum tali de causâ?* R. Ut capi possint corpora.

À a 2

aut

aut res subditorum ejus, qui jus non dedit. Sic Nestor, ob ereptos patri equos, rapuit pecora & armenta Eliden-
sium. *cit. §. n. 2.*

XVII. *An ex tali causâ etiam obligatur vita innocentium?* N. Fieri tamen potest, ut ex accidenti occidantur, qui per vim impedire volunt juris executionem. §. VI.

XIIX. *Quid si id prævideatur?* R. Ex charitatis lege omittenda potius juris persecutio; cum ex eâ lege, Christianis præsertim, pluris esse debeat vita hominis, quàm res nostra. *cit. §.*

XIX. *Quinam pignorationi subjacent, jure gentium?* R. Omnes subditi facientes injuriam, qui tales sunt ex causâ permanente; sive fuerint indigenæ, sive advenæ: legatis exceptis. §. VII. n. 2.

XX. *An qui alicubi sunt transeundi tantam aut exiguam mora causâ?* N. Pignorationes enim introductæ sunt ad exemplum onerum, quæ pro publicis debitis exsolvendis indicuntur; quorum sunt immunes, qui legibus loci tantum pro tempore subsunt. *cit. n.*

XXI.

XXI. *An non Jure Civili Populorum quorundam moratiorum quaedam persona excipi solent?* A. Scil. personæ mulierum & infantium; eorum verò, qui literis operam dant & ad mercatus veniunt, etiam res. *cit. §. n. 3.*

XXII. *Quanam est differentia quoad pignorationem Jure gentium & civili?* R. Jure gentium singulis pignorandi jus est; Jure civili multorum locorum peti id solet *alibi à potestate summâ: alibi à judicibus.* *Jure Gentium* ipso facto dominium rerum captarum acquiritur ad summam debiti & sumtum, ita ut residuum reddi debeat. *Jure Civili* solent citari, quorum interest, res publicâ auctoritate dividendi, aut addici iis, quorum interest. *cit. n.*

XXIII. *Quomodo tenentur causam dantes pignorationibus, non solvendo quod debebant, aut jus non reddendo?* R. Ad refarcienda damna aliis, quibus eam ob causam aliquid decedit, idque jure naturali ac divino. *cit. §. num. 4.*

CAP. III.

*De Bello justo, sive solenni, Jure Gentium:
ubi de Indictione.*

I.

U*Nde bellum justum oriri dicitur?* R. Non ex causâ, unde oritur, neque, ut aliâs, ex rerum gestarum magnitudine, sed ob peculiâres quosdam juris effectus. §.1. n.1. *add. L. 11. C. XVII. qu. 43.*

II. *Quale autem bellum est tale?* R. Hoc optimè intelligitur ex hostium definitione apud Romanos J Cros. *cit. n.*

III. *Quinam ergo hostes dicuntur?* R. Qui nobis, aut quibus nos publicè bellum decernimus: cæteri latrones aut prædones sunt. L. 118. de Verb. Signif. *add. L. 24. ff. de Captiv. & Postlim. cit. n.*

IV. *Inter quos est bellum solenne Jure gentium?* R. Inter diversos Populos & hostes publicos: non inter piratas aut latrones. *cit. n.*

V. *Quinam in aliis Civitatibus aut Rebus publ. exemplo Populi Romani, solenne bellum gerere dicitur?* R. Qui in civitate summum imperium habet. Sic Cice-

ro illum hostem esse ait, qui habet Rem-
publ. curiam, ærarium, consensum &
concordiam civium, & rationem ali-
quam, si res ita tulerit, pacis & fœderis.

cit. §. n. 2.

VI. *An populus agens injustè idem di-
cendus est cum piratis ac latronibus?* N.
Quia civitas esse non desinit, agens in-
justè, etiam communiter: nec cœtus
piratarum aut latronum est civitas, li-
cet servet inter se quandam æqualita-
tem. Hi enim criminis causâ sociantur,
illi juris fruendi & exteris jus dant,
si non per omnia secundum jus naturæ,
certè secundum pacta cum quibusque
inita, aut secundum mores jus reddunt.

§. II. n. 1.

VII. *Quid pro formâ est in moralibus?*
R. Principale. Ex eo enim, quod maxi-
mas partes continet, latissimeque fun-
ditur, tota res appellatur. *cit. §. n. 2.*

IX. *Annon, ubi injustus est Rex, ubi
injusti Optimates, aut ipse populus, Res-
publica vitiosa est, imò nulla?* N. Cor-
pus enim morbidum corpus tamen est;
& civitas, quanquam graviter ægrota,
civitas est, quamdiu manent leges, ma-

nent judicia, & quæ alia necessaria sunt, ut ibi jus exteri consequi possint, non minus quam privati inter se. Sic Aristides etiam cum tyrannide leges multas bonas consistere posse adstruit. *cit. n.*

IX. *Quomodo se habet lex (ea præsertim, quæ jus gentium facit :) in civitate?*

R. ut mens in corpore humano: eâ enim sublata, civitas non est amplius. *cit. n.*

X. *An non potest aliquando mutatio incidere?* A. Non in singulis tantum, sicut Jephthes, Arfaces, Viriatus ex prædonum ducibus justî duces facti sunt; sed etiam in cœtibus, ut qui prædones tantum fuerunt, aliud vitæ genus amplexi civitas fiant. §. III.

XI. *Quid requiritur ad naturam belli publici, solennis, ac justî, jure gentium?*

R. Primò summa potestas, de qua supra. §. IV.

XII. *An tale bellum gerere possunt, qui potestatem eam habent ex parte?* A. Et quidem pro eâ, quam habent. *cit. §.*

XIII. *An etiam, qui non subditi, sed inæqualiter sunt fœderati?* A. Sic inter Romanos & eorum socios, quanquam fœde-

scedere inferiores, Volscos, Latinos, Hispanos, Pœnos omnia justî belli exercita ex historiis discimus. *cit. §.*

XIV. *Quid ultra requiritur?* R. Denunciatio, ut scilicet publicè decernatur, ejusque decreti significatio alteri nota fiat. *§. V.*

XV. *Quid hic notandum, ubi de belli promulgatione agitur?* R. Accuratè distinguenda sunt, quæ jure naturæ debentur, quæ naturâ non debentur, sed honesta sunt, quæ jure gentium requiruntur ad effectus juris gentium proprios, & quæ præterea ex peculiaribus populorum quorundam institutis veniunt. *§. VI.*

XVI. *Quod si verò jus naturæ non præcipit talem interpellationem fieri?* R. Honestè tamen & laudabiliter interponitur, pura ut ab offendendo absteineatur, aut delictum poenitentia & satisfactione expiatur. *cit. §. n. 3.*

XVII. *An non cum Jure Gentium confunditur præceptum illud, quod DEUS Hebræis dedit, ut civitatem oppugnandam prius ad pacem invitarent?* R. Id specialiter illi Populo datum erat. Neque

ENI

enim erat illa qualiscunque pax, sed sub lege subjectionis & tributis. Cyrus, cum in regionem Armeniorum pervenisset, antequam noceret cuiquam, misit ad Regem, qui debitum ex fœdere tributum & militem exigere: humanius id existimans, quam si ultra duceret, nihil prædicens. *cit. n.*

XIX. *An semper ea requiritur, jure natura?* N. Quando vis illata arcetur, aut pœna deponitur à delinquente, aut si dominus rei suæ manum injicit. *cit. n.*

XIX. *Quando requiritur interpellatio, jure natura?* R. Quoties pro re aliqua res invaditur alia, aut res debitoris pro debitò; multoque magis, si quis occupare velit res eorum, quæ subsunt debitori. Idque, ut constat, nos aliam modo non posse consequi nostrum, aut nobis debitum. *cit. §. n. 2.*

XX. *An etiam antequam summa potestas impetatur, ex debitò aut delictò subditi?* A. Quæ illa constituatur in culpâ, ex quâ dampnum dare censeatur, aut & ipsa delinquere. *cit. n.*

XXI. *An omnibus casibus denunciatio requi-*

requiritur, Jure Gentium? A. Ad effectus illos peculiares. *cit. n.*

XXII. *An facta utrinque?* N. Sed ab alterâ partium. *cit. n.*

XXIII. *Quotuplex est denunciatio?* R. Duplex, conditionata, aut pura. §. VII.

XXIV. *Quæ est conditionata?* R. Quæ conjungitur cum rerum repetitione. *cit. §.*

XXV. *Quid rerum repetitarum nomine Jus Feciale comprehendebat?* R. Non tantum vindicationem ex jure domini, sed & persecutionem ejus, quod ex causâ civili, aut criminis, debetur. *cit. §.*

XXVI. *Quamodò hac rerum repetitio aliàs appellari solet?* R. Clarigatio, teste Plinio. Apud Livium conditionata est denunciatio, videlicet eam se injuriam, nisi ab ipsis, qui fecerint, dematur, omni vi depulsuros esse. *cit. §.*

XXVII. *Quæ est denunciatio pura?* R. Ubi aut bellum jam alter intulit, aut ea deliquit, quæ merentur pœnam. *cit. §.*

XXIX. *An non interdum conditionatam pura subsequitur?* A. Quanquam id necesse non sit, sed ex superabundanti. Hinc illa formula: *Testor populum illum inju-*

injustum esse, neq; jus reddere. Et altera: Quarum rerum, litium, causarum condixit Pater patratus populi Rom. Quiritium Patri patrato populi Priscorum Latinorum, hominibusq; priscis Latinis, quas res nec solverunt, nec dederunt, nec fecerunt, quas res dari fieri solvi oportuit, puro pioq; duello querendas censeo, consentio, consciscog. cit. §. n. 2.

XXIX. *Unde autem apparet, hoc casu denunciationem precise necessariam non esse?* R. Quod ad proximum præsidium ritè fieret, ut feciales in Philippi Macedonis & postea in Antiochi causâ consulti responderunt, cum primâ denuntiatio ipsi faciendâ esset, qui bello petebatur. cit. n.

XXX. *Num supervacua observationis argumentum hoc est, quod bellum sæpè utring; indictum est?* A. Cum ab alterâ parte indictum esse sufficiat. cit. §. n. 3.

XXXI. *Quid in denunciatione more Et institutis quarundam populorum, non jure gentium obtinuit?* R. Mittebatur apud Græcos caduceus, sagmina & hasta sanguinea apud Æquicolas primum, & horum exemplo apud Romanos, renun-

ciatio

ciatio amicitia & societatis, si qua intercessisset, post res repetitas triginta dies solennes, iterum hasta missio. &c.

§. II. X.

XXXII. *An bellam censeatur indictum tantum summam habenti potestatem? N.* Sed & omnibus ejus subditis, ac fociis; cum sint ipsius accessio. §. IX.

XXXIII. *Quid vocas diffidationem? R.* Bellum, quod adversus eum, cui indictum est, geritur. Et hoc vocabulo utuntur recentiores J Cti: Diffidato principe diffidatos ejus omnes adhaerentes. cit. §.

XXXIV. *An eo bello finito, opus est novâ indictione, si populus aliquis aut Rex bello sit impetendus, ob auxilia suppeditata? A.* Ut juris gentium effectus sequantur; jam enim non ut accessio spectatur, sed ut quid principale. §. X.

XXXV. *An ergo injustum jure gentium fuit bellum Mantii in Gallo-Gracos, & Cesaris in Ariovistum? A.* Non enim jam ut accessio alieni belli, sed principaliter impetebantur, quam ad rem, sicut ex Jure Gentium indictio, ita ex Jure

Roma.

Romano novus Populi Romani jussus desiderabatur. *cit.* §.

XXXVI. *Cur ad effectus illos requiritur denunciatio?* R. Ut certò constet non ausu privato bellum geri, sed voluntate populi, aut ejus capitum. §. XI.

XXXVII. *Nonne verò etiam ideò requirebatur, ne quid clam aut dolo agerent?* N. Id enim ad fortitudinis præstantiam magis, quàm ad jus pertinet; sicut Nationes quædam etiam prælii diem & locum condixisse leguntur. *cit.* §.

XXXIIX. *An in bellis talibus capta sunt capientium?* A. Verùm ex unâ duntaxat parte, idque ex Jure Naturali, non ex Jure Voluntario Gentium, ut quòd gentibus tantùm prospicit, non his, qui sine gente sunt aut pars gentis. §. XII.

XXXIX. *An indictione eget etiam bellum sui tuendi aut rerum tuendarum causâ susceptum?* A. Non quidem simpliciter, sed ad effectus peculiare. *cit.* §.

XL. *An bellum geri potest simulatque indictum est?* A. Indictio enim nullum tempus post se requirit, jure gentium;

sic

sic fecerunt id Cyrus in Armenios, Romani in Carthagenenses. §. XIII. *add.*
§. IIX.

XLI. *An jure naturali tempus aliquando requiritur, ex qualitate negotii?* A. Puta cum res repetitæ sunt, aut poena postulata in nocentem; nec id negatum sit: tunc enim dandum tempus, quo commodè fieri possit, quod petitur. *tit.* §.

XLII. *Si jus legationum violatum sit?* R. Non ideo minus denunciatione opus erit ad effectus illos: quæ fieri per literas poterit, aliove modo commodò. §. XIV.

CAP. IV.

De jure interficiendi hostes in bello solenni, & aliâ vi in corpus.

I.

A Non belli inter duos populos eorumve capita indicti sunt effectus quidam proprii? A. Tales scil. qui bellum ex sua naturâ non sequuntur. §. I.

II. *An verò illi sunt liciti?* A. §. II. *num. 1.*

III.

III. *Quomodo?* R. Si *licere* dicas id, non, quod salvâ pietate & officiorum regulis fieri potest, sed, quod apud homines pœnæ non subiacet. *cit. §. n. 2.*

IV. *Quenam est vocis licere in hoc sensu significatio?* R. Minus propria recepta tamen. Sic regibus dicuntur omnia licere, quia sunt exempti à pœnis humanis. *cit. n.*

V. *Estne alia vocis licere acceptio?* A. Sic licere dicitur id, quod rectum ex omni parte piumque est, etiamsi forte aliud quid fieri possit laudabilius. Ita licet matrimonium contrahere, sed laudabilior est ex pio proposito cælebs castitas. *cit. §. n. 1.*

VI. *Quid opponitur vobis licere in priore significato?* R. Tò oportet. Sic Cicero pro Milone *fas esse* ad naturam, *licere* ad leges refert. Et in declaratione Quintiliani est, aliud esse *jura* spectare, aliud *justitiam*. *cit. §. n. 3.*

VII. *Quomodo ergo hosti hostem ladere licet in bello solenni jure gentium?* R. Ita, ut impunè hoc liceat ex utraque parte, & indistinctè: neque ob eam causam puniri quis possit tanquam homici-

micida, aut fur; nec ab aliò bellum ipsi inferri talis facti nomine. §. III.

II. Cur id gentibus placuit? R. Quia alteri periculosum est de belli jure inter duos populos velle pronunciare; qui hac ratione bello alieno implicaretur: & quia in bellò vix cognosci potest, quis justus sit modus se tuendi, sua recuperandi, aut pœnas exigendi. §. IV.

IX. An præter hunc effectum licentia est & abusus? A. Domini scilicet, de quo h. L. c. 16. §. 1. seq. cit. §.

X. Ad quæ porrigitur illa ladendi licentia? R. Ad personas ac res. §. V.

XI. Quinam possunt offendi ac interfici? R. Non ii tantum, qui actu ipso armâ gerunt, aut qui moventis bellum subditi sunt; sed omnes, qui intra fines hostium sunt: nam ab his omnibus metui damnus potest, quod in bellò continuò & universali sufficit, ut hoc jus locum habeat. §. VI.

XII. An hoc quoq; locum habet in pignorationibus? N. Nam multò plus est licentiæ in bellò, quam in pignorandi jure, ad tuenda civitatis debita introducto. cit. §.

XIII. *Si eò venerint ante bellum ?* R. Jure gentium pro hostibus haberi videntur, post modicum tempus, intra quod decedere potuerant. Corcyraei Epidamnum obsessuri, copiam discedendi faciebant peregrinis, denunciantes alioqui pro hostibus futuros. §. VII.

XIV. *An hostium subditi possunt impunè interficì ubiq; locorum ?* A. Jure hoc gentium, in soldo proprio, hostili, nullius, in mari. §. XIX. n. 1. & 2.

XV. *Unde licet hoc jure gentium ?* R. Inde, quod cum bellum alicui indicitur, simul indicatur ejus populi hominibus: Hostis' autem qui est, ubique secundum jus gentium impeti potest. cit. §. num. 1.

XVI. *An etiam in pacato alterius territorio ?* N. Ex jure illius, qui istic habet imperium, non hostium: sic Pœni nihil ausi sunt contra Scipionem cum suis in regio portu Syphacis. cit. §. n. 2.

XVII. *Ex quò fundamentò ?* R. Quia judicia ibi vigent, ubi personarum spectantur merita. Unde cessat jus istud promiscuum nocendi, nihilque per vim

vim agi potest, nisi iudicio tentato. *rit.*

num. 2.

XIIX. *Ad quos porrigitur hoc jus offendendi?* R. Interfici licet infantes, foeminas, senes, captivos, supplices, dedere se volentes, sine ullâ conditione in deditioem acceptos, imò & obsides; *nec eos tantum*, qui se obligaverunt, quasi ex conventionem, *sed & eos*, qui ab aliis traditi. §. IX. X. XI. XII. & XIV.

XIX. *An causa interfectorum captorum aut supplicium referri potest ad talionem?*

N. Cum ea in bellò plerumque redundet in malum eorum, quorum non est culpa, quæ tamen propriè exercenda est in eandem personam quæ deliquit; sic Plutarchus accusat Syracusanos quod Hicetæ uxores ac liberos occiderint, idè quod Hicetas occidisset Dionis uxorem, sororem, & filium. §. XIII. *n. 1.*

XX. *An ad pertinaciam in resistendo?*

N. Hæc enim supplicio digna non est; præsertim si illæ partes à naturâ fuerint assignatæ, aut honestè electæ. Imò crimen potius est, præsidio decedere, & capitale fuit apud Romanos. Alexander, cum in oppidò quodam puberes

omnes jussisset interfici, quia acris re-
stiterant, Indis visus est bellare latro-
num more: eamque famam rex reve-
ritus victoriâ clementiâs uti cœpit. *cit.*
§. num. 2.

XXI. *An licet hostem tollere veneno?*

A. Jure naturæ: nihil enim refert, gla-
dio, igne, an veneno interimas mortem
meritum, quemque liceat interficere.
§. XV. n. 1.

XXII. *Annon generosius est ita occide-
re, ut, qui occiditur, sui defendendi ha-
beat copiam?* A. Sed non debetur hoc
cuiquam; qui mori meruit. *cit. n.*

XXIII. *An jure gentium licitum est?* N.
Ne scil. in bellô nimis intendantur peri-
cula: utque vita imperantium tuta ma-
gis sit hac religione, & metu infamiz.
Sic Cæsarum princeps, Arminii mor-
tem veneno promittens, rejectus fuit
à Tiberio. *cit. n.*

XXIV. *An spicula & aquas inficere ve-
neno licet?* N. Jure gentium Europæarû,
& si quæ ad Europæ melioris cultum ac-
cedunt. §. XVI. n. 1.

XXV. *An aquas corrumpere ne bibi
possint?* A. Hoc enim idem est, ac si flu-
men

men avertatur, aut fontis vena interceptantur; quod licitum est naturaliter & ex consensu. Illudque Solon & Amphictiones leguntur in barbaros justum censuisse. §. XVII.

XXVI. *An hostem interficere, percussore immissio?* A. Si hic fidem non violat; nam hostem ubivis occidere licet: nec refert, quam multi sint, qui id faciant, aut patiantur. M. Scævola factum nil nisi virtutem inesse judicabat ipse, Porfenna. §. XIX. n. 1. & 2.

XXVII. *Tales tamen deprehensi supplicii exquisitis affici solent?* R. Non quia in jus gentium delinquant; sed quia in hostem quidvis licet, jure gentium: gravius autem, aut levius malum, quisque statuit pro suâ utilitate. cit. §. n. 3.

XXIX. *An licet mittere exploratores?* A. Jure gentium. cit. n.

XXIX. *An deprehensi possunt interfici?* A. Et quidem justè ab his, qui manifestè justam habent bellandi causam: ab aliis verò licentiâ illâ, quam dat belli jus. cit. n.

XXX. *Si qui reperiuntur, qui tali operâ oblatâ uti nolunt?* R. Id ad animi cel-

fitudinem, & virium apertarum fiduciam, non ad justum injustive opinionem, referendum est. *cit. n.*

XXXI. *An subditos licet in regem immittere, vasallos in seniore, milites in eum cui militant; receptos ut supplices, advenas, transfugas in eos qui receperunt?* N. Horum enim percussorum factio inest perfidia: adeoque & ipsi peccant, & qui eorum opera utuntur; hoc enim admissio nimium intenderentur pericula eorum, qui eminent. *cit. §. n. 1. 4. & 5.*

XXXII. *Ergone planè hoc est illicitum?* A. In bello solenni: extra hoc verò jure gentium habetur pro licito. *cit. §. n. 6.*

XXXIII. *An supra sunt permissa?* N. Jure scilicet gentium meliorum; quia efferata libidinis actus, ad securitatem aut pœnam non pertinens, nec bello nec pace debet esse impunitus. Marcellus antequam Syracusas caperet, legitur curam habuisse pudicitiae, etiam in hoste servandae. *§. XIX. n. 1.*

XXXIV. *An & hoc inter Christianos observari debet?* A. Nec tantum ut pars disciplinae militaris, sed & ut pars juris gentium, id est, ut qui pudicitiam violat,

fit, quamvis in bello, ubique poenæ sit obnoxius. *cit. §. n. 2.*

XXXV. *An lege Hebraea id quisquam tulit impunè?* N. Idque ex eâ parte, quæ de captiva ducenda, neque vendenda postea constituit. *cit. n.*

CAP. V.

De rebus vastandis eripiendisque.

I.

AN est contra naturam spoliare res hostium? R. Non est contra naturam, spoliare eum, quem honestum est necare. §. I.

II. *Quid jure gentium licet in res hostium?* R. Munitiones, portus, urbes, naves, agros, fructus & similia, eripere, corrumpere, dirimere, solo æquare, exurere &c. nam quos interficere licitum, eorum res eripere & corrumpere nequit esse illicitum. *cit. §.*

III. *An hoc licet in hostium res indistincte?* A. Etiam in deditorum. *cit. §.*

IV. *An excipienda sacra, Deoꝝ, diisve dicata?* N. Hæc enim revera non eripiuntur usibus humanis, sed publica-

sunt : dictaque sacra à fine, cui destinantur : quæ ipsa populus, & qui sacravit, ex sacris facere potest profana, etiam in belli usum convertere : ut Sylla, Pompejus, Cæsar & alii fecerunt. §. II. n. 1. 2. & 3.

V. *Quare autem nec sacra excipiuntur?* R. Signum ejus est, quod, cum quis populus alteri populo aut Regi se dedit, tum etiam ea dedit, quæ Divina dicuntur. *cit. n. 1.*

VI. *Cujus res sacra more Græcorum, Barbarorumq; communi fiunt?* R. Arbitrii eorum, qui urbes capiunt. *cit. n. 2.*

VII. *An res sacra in belli usum converteri possunt absolute?* N. Sed sub Pollicitatione restituendi tantundem. *cit. n. 3.*

IX. *An licitum violare & corrumpere simulacrum, cui numen inesse creditur?* N. Ab iis, qui in eâ persuasione conveniunt ; adeoque tales sæpè accusati impietatis & læsi gentium juris. *cit. §. num. 4.*

IX. *Si hostes non idem sentiant?* A. Illudque non modò Jûdæis permissum fuit, sed & præceptum ; arque à gentibus variis exercitum. *cit. n.*

X. *Scie-*

X. *Sciebantne Hebraei, in simulacris non habitare Numen?* R. Sciebant, Dei certissimo monitu, in iis nec Numen, nec Dei spiritum, aut bonos Angelos, aut vim astrorum habitare, ut deceptæ gentes existimabant, sed pravos & humano generi infestos dæmones. *cit. n.*

XI. *Ergo non mirum est, si templa profani cultus à Maccabais incensa non semel legimus?* A. Sic & Xerxes cum simulacra Græcorum corrumpit, nihil fecit contra Jus Gentium, etsi multum id ad invidiam exaggerant Græci scriptores. *cit. n.*

XII. *Quid Persæ credebant?* R. Persæ non credebant, in simulacris esse ulla Numina, sed Deum esse Solem, & portionem ejus aliquam ignem. *cit. n.*

XIII. *An excipienda religiosa?* N. Hæc etenim non sunt mortuorum, sed viventium; sive populi alicujus, sive familiæ: quæ ab hostibus capta, desinunt esse religiosa. §. III.

XIV. *An mortuorum corpora?* A. Hæc enim tractare malè, est contra jus hominum sepeliendorum, jure gentium introductum. *cit. §.*

XV.

XV. *An autem vi solâ res hostium, hostibus eripi ex Jure Gentium licet ? N. Sed & doli, qui perfidiâ careant, permitti censentur, imò alienæ perfidiæ incitatio. Nimirum ad minora & frequentia hæc delicta ita connivere cœpit Jus Gentium, sicut Leges Civiles ad metreticium & improba fœnora. §. IV.*

CAP. VI.

De jure acquirendi bello capta.

I.

Q*uale est jus natura, circa acquisitionem rerum bello captarum ? R. Ut nobis acquiramus paria ei, quod nobis debetur, quodque aliter consequi non possumus, aut quæ nocenti damnum inferunt; intra æquum pœnæ modum. §. I. n. 1.*

II. *An pars etiam prædæ præcipuâ fundatur & locum habet in sacris ? A. Genes. xviii. vers. 22. Do tibi partem unam supra fratres tuos, quam à manu Amorrhæi cœpi gladio & arcu meo. cit. n.*

III. *An jus prædæ à DEO approbatur ? A. Nam DEUS, in suâ lege de Civitate, post*

post pacem repudiatam, expugnata loquens, sic ait: Omnia ejus spolia diripies tibi, & frueris prædâ hostium, quam DEUS dederit tibi. *cit. §. n. 2. & 3. & §. 11. n. 1.*

IV. *Quale quoad hoc est jus gentium?*

R. Ut ex justâ causâ bellum gerens dominus fiat eorum, quæ hosti aut hostium subditis eripit: & etiam in bellô solenni, quilibet, sine fine modoque: ita ut ipse, & qui ab eô titulum habet, à gentibus sit tuendus in possessione rerum: sic Cicero dicit Mitylenas esse Populi Romani factas, belli lege ac jure victoriæ. *cit. §. 11. n. 1. & 3.*

V. *An justum est, sibi attribuere res captas in bellô?* A. Nam Lex velut pactum commune est, quô bellô capta captientium fiunt; nam & spoliare non semper est injustum, sed propter legem belli introductum, ut jure incipiat quis possidere rem istam. *cit. §. n. 2. 3. & 4. add. §. 1. n. 1.*

VI. *Unde rerum Dominium ortum, secundum Paulum JurisConsultum?* R. Ex naturali possessione habet suum ortum, ejusque rei-vestigium remanet in his, quæ

quæ terrâ mari, cœloque capiuntur, item in bellô captis, quæ omnia protinus eorum fiunt, qui primi possessionem apprehenderunt. *cit. n. 4.*

VII. *An licet bona subditorum hostilium eripere?* A. Quia hosti eripi censentur, quæ subditis hostium eripiuntur. *cit. §. n. 5.*

IX. *Quando res captae censentur, hoc jure?* R. Cum ita detinentur, ut effugerint persecutionem, adeoque ut alter eas recuperandi spem amiserit. *§. III. num. 1.*

IX. *Qui hoc procedit in mobilibus?* R. Ut capta dicantur quæ perducta sunt intra fines sive præsidia hostium. *cit. n.*

X. *Qui in navibus aliisque rebus mari captis?* R. Cum in navalia aut portus, aut ad eum locum, ubi tota classis se tenet, perducta sunt: nam tunc incipit desperari recuperatio. Sed Jure gentium recentiori inter Europæos, quando per horas viginti quatuor fuerunt in hostium potestate. *cit. §. n. 2.*

XI. *Qui in agris?* R. Quando manus munitioibus ita includuntur ut alteri parti palam aditus non sit, nisi iis expugnatis. *§. IV. n. 1.*

XII.

XII. *Cur non simul ac inſeſſi ſunt?* R. Quia ad juris gentium effectum non ſufficit qualiscunque poſſeſſio, ſed firma requiritur. *cit. n.*

XIII. *Unde dicitur Territorium?* R. Variè derivatur, aut à terrendis hoſtibus, aut à terrendo, aut à terrâ, aut à terrendi jure, quod habeat Magiſtratus. *cit. §. n. 2.*

XIV. *An bello acquiri poſſunt res apud hoſtem exiſtentes, quarum domini nec apud hoſtes ſint, nec hoſtium ſubditi, nec hoſtilis animi?* N. Ut enim res aliqua, belli jure, noſtra fiat, requiritur ut hoſtium fuerit. Nam aliàs ratio deficit, & jus hoc mutandi per vim domini odioſius eſt, quàm ut produci queat. §. V.

XV. *An hoſtiles cenſenda ſunt res in hoſtium navibus reperta?* N. Jure gentium; ſed tantùm ex quâdam præſumptione, quæ tamen elidi poſſit validis in contrarium probationibus. §. VI.

XVI. *An per nos hoſtibus erepta vindicari poſſunt ab his, qui ea poſſederant ante hoſtes noſtros, & bello amiſerant ſolemni?* N. Jure enim gentium hoſtes domini eorum fuere; Sic David pro ſuo habuit quæ

quæ eripuerat Amalecitis, & hi antea Palestinis. Romani non reddiderunt Antiocho Syriam, huic à Tigraue, huic ab ipsis ereptam. §. VII. n. 1. & 3. vid. L. II. C. IV. n. 2.

XVII. *An, propter non sufficientem tuitionem terra alter jus habet de non reddendo & restituendo, quod ereptum est?* R. Pompejus Antiocho ita respondet: Nemo tenetur dare & reddere, quod alter tueri nescit. cit. n. 3.

XIX. *Cur acquiruntur bona hostium in bello solenni & publico?* R. Gravis quidem disputatio est & variant Juris Interpretes recentiores: (1) quidam putant prædam distribuendam esse arbitrio publico (2) quidam ipso jure fieri capta singulorum, qui manu capiunt (3) quidam putant Duci assignanda. Sed accuratiùs respondetur & dicitur, gentibus placuisse ut res hostium hostibus essent, non alio loco, quam quo sunt res nullius. §. XIX.

XIX. *Cur serui, filii & liberi homines, qui se addixerunt aliis, non acquirunt sibi metipsis quod acceperunt, sed iis quibus operam præstant?* R. Quia naturaliter homo

homo hominis alterius volens volentis instrumentum est. §. IX. n. 1.

XX. *Cui acquiruntur res hostiles captæ bello solemnî?* R. Populo, ea, quæ capiuntur per actus belli verè publicos: sic Scipio docebat Syphacem ejusq; omnia prædam esse Populi Romani: & Antiochus Cælen adscribendam Seleuco, cujus fuisset bellum; non autem operam navanti Ptolomæo. §. X.

XXI. *Cui ea quæ per actus privatos acquiruntur, & factos belli publici occasione?* R. Privatis, primò ac directè. §.

XXII. *Cui res soli & quomodo acquiruntur?* R. Populo, aut ei cujus est bellum. Hæ enim capi non solent, nisi actu publico, inducto exercitu, præsidiisque impositis: sic Romani captos, agros locandos retinuerunt, distraxerunt, assignarunt colonis, aut fecerunt vectigales. §. XI. n. 1. & 2.

XXIII. *Cui res mobiles & se moventes?* R. Cipientibus singulis, captæ actu privato & extra ministerium publicum: nisi lex civilis dominium antevertens aliud statuatur: qualia sunt detracta hosti
in

in dimicatione singulari spolia, aut liberis excursibus, aliisque casibus, quibus aliquid capiunt non jussi nec in procinctu. §. XII. n. 1. & 2. §. XIII. & §. XIV. n. 1.

XXIV. *Cui, capta actu publico?* R. Semota lege civili, populo, primo ac directe; aut ei, cujus est bellum: hoc enim casu quilibet ac singuli sustinent rei publ. personam, & ejus vice funguntur adeoque populus per hos accipit possessionem atque dominium, idque transfert, in quos vult: sic, quæcunque apud Romanos per virtutem eripiebantur hostibus, erant publica, ita, ut non modo privati eorum domini non fierent, sed nec ipse imperator; sed quæstor ea accipiebat & vendita referebat in publicum. *cit.* §. IX. n. 2. §. X. §. XV. n. 1. & 4. §. XXI. n. 3. & §. XXII.

XXV. *Quomodo prada distribuenda?* R. Pro populorum meritis, & qui fungitur munere Imperatoris, fert etiam de communi partem majorem cæteris. Diversimode verò distribuitur in genere. *cit.* §. XIV. n. 2. §. XVI. n. 3. & §. XXIV. n. 7. *infra.*

XXVI.

XXVI. *Qualis mos apud Francos circa distribuendam prædam?* R. Ibi obtinebat fors, & omnia, quæ capta erant, dividebantur sorte, nec Rex ipse aliud habebat de prædâ, quàm quod fors ipsi addicebat. *cit. §. XIV. n. 3.*

XXVII. *An apud Romanos in usu fuit militibus prædam dare?* N. Nam hoc erat præcis Romanis ambitiosum; nisi forsitan voluerint sibi conciliare hoc modo potentiam; aliàs habebatur in Senatu hæc largitio pro novâ, prodigâ, inconsultâ. *§. XVII. n. 1.*

XXVIII. *An etiam alia res loco prædæ dari potest?* R. Quandoque præda in pecuniam redacta militibus donabatur, loco prædæ. *cit. §. n. 2.*

XXIX. *An simplex ratio in distribuendâ prædâ est habenda?* N. Nam meritorum ratio observanda, sicut Marcius quod fortiter fecisset, ex prædâ Coriolanâ donatus est à Posthumio & ita duplex est habenda ratio. *cit. n. add. q. 25.*

XXX. *An cedit hoc in laudem, an vituperium, si quando Imperator participat de prædâ?* R. Laudatiores illi habendi, qui jus suum remittunt, & nihil de prædâ

capiunt, putantes, se male de virtute, cum optimis, quam de pecuniâ cum ditissimis certare. *cit.* §. n. 4.

XXXI. *Quot genera pradarum, & quomodo prae dividuntur?* R. (1) in homines captivos, (2) armenta, (3) Greges, (4) pecunias, (5) res mobiles & alias pretiosas aut viliores. §. XX. n. 2.

XXXII. *Per quem vendebantur prae apud Romanos?* R. Per Quæstores jubebantur vendi, cum & Captivi venderentur per Eundem. *cit.* n.

XXXIII. *Quid concedebatur militi?* R. Id, quod ad victum & vestem faciebat. *cit.* num.

XXXIV. *An Imperator etiam potuit accusari Criminis peculatus, propter prae celatas?* R. Si eas non in publicum derulit, tenebatur, quia sacramento quoq; erat adstrictus. §. XXI. n. 3.

XXXV. *An res ante acquisitionem potest concedi?* A. Nam subsecuta captura junguntur actiones brevi manu, nec ea concessio nominatim tantum fieri debet & potest, sed & in genere. §. XXII. n. 1.

XXXVI. *Quid est juris translatio, quae lege & concessu fit?* R. Semper est donatio,

tio, interdum contractus, interdum solutio ejus, quod debetur, aut remuneratio ob damna, quæ quis passus est. *cit. §. n. 2.*

XXXVII. *An socii sine stipendio, suo sumtu, suoq; periculo bellum gerentes, sua facere possunt quæ capiunt?* A. Quia socius naturaliter tenetur socio ad reparationem damnorum, quæ ob commune negotium obveniunt, nisi alia causa appareat, puta beneficentia mera, aut contractus antecedens, spem ex hostibus lucrandi spectatam in damni & operæ compensationem: sic Latini in prædæ partem æquam admittebantur in iis bellis, quæ populi Romani auspiciis gerebantur. §. XXIII. §. XXIV. n. 2.

XXXIIX. *An alter adstrictus est alteri, qui auxiliatrices manus eidem tulit, concedere, prædas agere?* A. Propter retributionem tenetur & loco mercedis laborisque & est pars emolumenti quæ ei tribui debet. *cit. n. & §. XXVII.*

XXXIX. *An & hoc aliquando procedit in subditis?* A. Ubi enim aliqui tantum militant, illis à corpore civitatis debetur retributio ejus, quod plus cæteris

operæ ac sumtus impendunt, multoque magis damnorum : in cuius certæ retributionis locum concedi debet spes incertæ prædæ, totius aut partis : sic apud Hebræos pars prædæ dimidia cedebat his qui in procinctu fuerant. *cit. §. XXIV. n. 1. & 3.*

XL. *An omnes res captæ, militi gregario in bellò cedunt ?* R. Privatas res & opes militi, ærario verò regias cedere, usu hæctenus receptum fuit. *cit. §. n. 4.*

XLI. *Si tam exigua sint, ut publicari non digna videantur ?* R. Hæc ubique solent capientes sequi, populi concessu : talia apud Romanos erant hasta, hastile, ligna, pabulum, uter, follis, facula, & si quid minoris esset nummi argentei. *cit. §. n. 7.*

XLII. *Quid nanc passim terrâ solet usurpari ?* R. Ut in direptionibus oppidorum & præliis suum quisque faciat quod cepit : in excursibus verò captæ communia fiant eorum qui sunt in comitatu, inter ipsos pro dignitatis ratione partienda. *num. 8.*

XLIII. *Quid mari ?* R. Pars prædæ militibus datur, alia præfecto, alia rei publicæ

publicæ relinquatur aut regi. *cit. n. 7.*
 & 8.

XLIV. *Si apud populum bello non permixtum, controversia oritur de re bello captâ, cui res addicenda erit?* R. Cui favent leges aut mores populi, à cujus partibus res capta est. §. XXV.

XLV. *Si nihil ejus probetur?* R. Ex jure gentium communi est adjudicanda ipsi populo, si in actu bellico capta sit. *cit. §.*

XLVI. *An res, quæ hostium non sunt, licet apud hostes reperiantur, capientium sunt?* N. Naturali enim juri hoc non congruit, nec jure gentium introductum est. §. XXVI. n. 1.

XLVII. *Cujus sunt capta extra territorium utriusq; partis bellum gerentis?* R. Capientium, si jus gentium respiciamus. *cit. §. n. 2.*

XLVIII. *Si verò consideremus in eò locò habentem imperium?* R. Hic prohibere potest, ne id fiat: & si contra legem factum sit, de eò tanquam de delictò poscere ut sibi satisfaciatur. *cit. n.*

XLIX. *An hoc jus res bello captas acquirendi proprium est bello solenni ex jure*

gentium? A. Ita ut in aliis bellis locum non habeat. §. XXVII.

L. *An ergò inter cives in bellis intestinis hac acquisitio procedit?* N. Nam nulla est mutatio Domini, nisi intercedat Autoritas Judicis. *cit.* §.

CAP. VII.

De jure in captivos.

I.

Quo sensu dicitur à Juris Consultis, *servitutem contra naturam esse?* R. Servi naturam quidem nulli sunt, i. e. citra factum humanum aut primævo naturæ statu, ut tamen justitiæ naturali non repugnet, quo minus pactione aut delicto servitus originem acciperet. §. I. *num. 1.*

II. *Quam latè patet servitus quoad personas, jure gentium?* R. Ita, ut pro servis habeantur non solum qui se dedunt, aut servitutem promittunt: sed omnes omninò capti bello publico solenni, eorumque posteris in perpetuum; nempe qui ex matre servam nascuntur post servitutem. *cit.* §. 1. 2. & §. II.

III.

III. *Quam latè quoad effecta?* R. Hæc sunt infinita, ita ut in servum nihil non licere dicatur; ac domino acquirantur res omnes, quæ cum personâ capiuntur. §. III.

IV. *An igitur incorporalia possunt acquiri belli jure?* A. Non primò ac per se, sed mediâ personâ: nisi inalienabilia sint ex singulari proprietate personæ, ut jus patrium. §. IV.

V. *Cur hæc ita sunt introducta?* R. Ut captores his deliniti commodis, libenter abstinerent à summò illò rigore quo captos interficere licebat. §. V. n. 1.

VI. *An ab hæc sevitiâ jure gentium, tanquam ex quasi pactione abstinere coguntur?* N. Est enim tantum modus persuadendi ab eò, quod est utilius, qui obligationem non inducit. cit. n.

VII. *Cur ad liberos quoque porrigitur?* R. Quia si captores uterentur summò illò rigore, non nascerentur ipsi. cit. §. num. 2.

VIII. *An ante calamitatem nati servi sunt?* N. Nisi ipsi capiantur. cit. n.

IX. *Cur nati sunt materna conditionis?* R. Quia nulla sufficiens præsumptio pa-

trem indicare potest : cum serviles concubitus nec lege constringantur , nec certâ custodiâ. *cit. n.*

X. *Cur hoc jure non usi sunt in bellis civilibus ?* R. Quia in servitutem redigi non poterant, hinc videmus in illis plerumque captos interfectos esse. *cit. §. num. 3.*

XI. *An injusto bello captis non licet auferere , nisi ad suos ?* N. Quia tale religionis vinculum animis non injicitur , cum hæc belli jura tantum spectent exterius judicium. §. VI. n. 1.

XII. *Quid interest si ad suos fugiant , aut alios ?* R. Si ad suos , bello manente , consequuntur libertatem : si ad alios , aut pace factâ ad suos , reddendi sunt vindicanti domino. *cit. n.*

XIII. *Nonne ex dominii naturâ permanenti obligatio in animo nascitur ?* N. Nam multæ sunt dominii species , & quemadmodum in aliis juris generibus potest dominium dari , quod tantum in judicio humano , & quidem coactivo valet , ita & in hoc : nisi exegerint fidem aut jus jurandum. *cit. n. 1. & 3.*

XIV.

XIV. *An animus eorum furti crimine attaminatur si res suas abdicant, aut laboris mercedem supra alimenta debitam?*

N. Modo nihil domino debeant, suo aut reipubl. nomine. *cit. §. n. 4.*

XV. *An talis fugitivus deprehensus puniri possit?* R. Ut alia multa, ita & hæc faciunt potentiores, non quia æqua sunt, sed quia ipsis expedit. *cit. n.*

XVI. *Sed cur prohibetur in Canonibus servum docere alienum contemnere dominum suum, vel ejus ministerium destituere?* - R. Si ad servos referas qui pœnam justam ferunt præceptum est justitiæ; sin ad eos qui bello injusto capti sunt, ostendit exemplum patientiæ, cujus auctores Christiani Christianis maximè esse debent. *cit. §. n. 5.*

XVII. *An servo licet resistere domino jus illud externum exsequenti?* N. Alias enim jus illud inane foret, quod tamen non solâ impunitate agendi constat, sed & judiciorum tutelâ. §. VII.

XIIX. *An ubiq; & semper valet hoc jus gentium de captivis?* N. Apud Hebræos enim perfugium illis erat qui nullâ suâ culpâ

culpâ devenerant in eam calamitatem.

§. IIX. n. 1.

XIX. *An apud Christianos ?* N. His enim universim placuit bello captos non fieri servos, ita ut vendi possint, ad operas urgeri, aliaque pati servilia.

§. IX. n. 1.

XX. *Cur ?* R. Quia contra charitatis legem videbatur à miseris hominibus interficiendis abduci non posse, nisi servitiz minoris concessione. *cit. n.*

XXI. *Quid igitur placuit ?* R. Captos custodire, donec pretium persolvatur. *cit. §. n. 2.*

XXII. *A quo estimandum ?* R. A victore, nisi quid aliud certi convenerit. *cit. num.*

XXIII. *Quibus concedi solet hoc jus captos servandi ?* R. Singulis, qui ceperunt, extra personas eximiaz dignitatis: in has enim plerarumque gentium mores jus dant reipublicæ, aut ejus capiti. *cit. n.*

CAP.

CAP. IIX.

De imperio in victos.

I.

AN, qui sibi singulos subdicere potest servitute Personali, potestne etiam hoc pacto sibi subdicere universos? A. Sive illi Civitas fuerunt, sive Civitatis pars. §. I. num. 1.

II. *Quanam autem subjectio hic intelligenda?* R. Sive merè Civilis, sive merè herilis, sive mixta nihil interest. cit. num.

III. *Quomodo Imperia queruntur?* R. Armis queruntur, victoriis propagantur, teste Tertulliano. cit. n.

IV. *Quo Jure verò continentur?* R. Jure belli Regna, Populos, fines Gentium atque Urbium contineri, inquit Quintilianus. cit. n.

V. *A quo dicuntur Leges?* R. A victoribus, accipiuntur verò à victis. cit. n.

VI. *Quid verò intentarunt aut quasi-verunt ii, qui ante Ninum bella gesserunt?* R. Non Imperium sibi, sed gloriam quassisse & contentos victoria abstinuisse
Impe-

Imperio narrat Justinus ex Trogo. *cit.*
 §. num. 2.

VII. *Ergò Ninus primus fuit, qui Imperium sibi quaesivit?* A. Primus enim erat, qui fines Imperii proferret, aliosque Populos bello subigeret, & ex eò abiret in morem. *cit. n.*

IIIX. *An victor acquirere potest imperium civile, ut tantum est in rege, aut alio imperante?* A. Ita ut tunc in jus tantum ejus succedat, nec ultra. *cit. §. n. 3.*

IX. *An etiam, ut est in ipso populo?* A. Ita ut illud alienare victor possit, sicut poterat populus: sic factum, ut quaedam regna essent in patrimonio. *cit. n.*

X. *An & imperium herile?* A. Et tunc civitas esse desinit, quæ fuit: sive ut accessio fiat alterius civitatis, ut provinciarum Romanorum: sive ut nulli civitati adhæreat, nullave sit civitas, sed tantum magna familia, quam rex ad suam præcipuè utilitatem regit. *§. II. n. 1.*

XI. *An hæc interdum miscentur?* A. Ita ut mixtum fiat imperium ex civili & herili; cum scilicet servitus miscetur cum aliquâ personali libertate; sic arma populo adempta, imperatū, ferri usus
 extra

extra agriculturam ; alios coactos sermonem & vitæ genus mutare. §. III.

XII. *Quorum sunt res universitatis ?*
R. Eorum qui eam sibi subjiciunt, si velint ; sic Pompejus populi Romani fecit quæ Mithridates bello capta suo adjece-
rat imperio. §. IV. n. 1.

XIII. *An idem dicendum de rebus singulorum ?* A. Res enim, quæ singulorum fuerunt, Jure belli iis acquiruntur, qui eos sibi subjiciunt. *cit. n.*

XIV. *Nullane, ratione deditorum, datur Exceptio ?* N. Nam deditio spontè permittit, quod alioqui vis esset ereptura. *cit. num.*

XV. *Quorum sunt incorporalia jura ?*
R. Itidem victoris, quatenus velit : qui enim dominus est personarum, idem & rerum est, omnisque juris quod personis competit ; sic Albâ victâ Romani vindicarunt sibi jura quæ fuerant Albanorum. *cit. §. n. 2.*

XVI. *Ergò falsum est, quod pro Thebanis apud Quintilianum adfertur, id demum Victoris esse, quod ipse teneat : jus verò, quod sit incorporale, apprehendi manu non posse ?* A. Alia enim est conditio
hære-

hæredis, alia Victoris, quia ad Illum Jus, ad hunc res transeat. *cit. n.*

XVII. *Si quis populo victo relinquat civitatis jus, an quadam sibi sumere potest que civitatis fuerant?* A. In ipsius enim est arbitrio quem esse velit sui beneficii modum. *cit. §. n. 3.*

CAP. IX.

De postliminio.

I.

Unde hac doctrina de postliminio est petenda? R. Non ab iis, qui retroactis seculis juris cognitionem professi sunt; sed à veteribus, quamvis & hi jus gentium & civile non parum confuderint. *§. 1. n. 1.*

II. *Unde vox postliminii oritur?* R. A post, quod reditum notat, & limine, quod à voce limo, quæ transversum significat, oritur. *cit. §. n. 2.*

III. *Quid est postliminium?* R. Jus, quod nascitur ex reditu in limen, id est, fines publicos: quo jure tuti esse incipiunt nomine publico, qui redierunt ad suos, aut belli focios. *§. II. n. 1.*

IV.

IV. *Sed si ad alios amicos pervenerunt?*

R. Hi statum suum non mutant : Nisi specialiter inter belligerantes ita sit pactum. Sic in secundo foedere icto inter Romanos & Carthagenenses convenerat, ut, qui à Carthagenensibus capti è populis amicis Romanorum in portus Romanis subjectos venerant, in libertatem vindicari possent, atque Carthagenensium amicis par jus esset. *cit. §. num. 2.*

V. *Quot species postliminii statuerunt Jcti Romani posteriores?* R. Duas: aut enim nos revertimur, aut aliquid recipimus. §. III.

VI. *Quibus est postliminium in pace?* R. His qui reperiuntur apud hostes cum subito bellum exoritur. §. IV. n. 1.

VII. *Cur non dimittuntur, qui virtute bellicâ capiuntur?* R. Quia ex jure gentium utraque pars jus habet, quod aliàs solum justæ parti competeret; ita quælibet captos in actu repugnandi habet, quasi ex justâ causâ captos. *cit. §. n. 2.*

VIII. *Cur verò dimittuntur bello exorto deprehensi?* R. Quia in illis nullum injuriæ consilium fingi potest. Et solummodo

modò retinendi sunt, bello manente, ad minuendas vires hostium, quod eo composito neutiquam obtendi potest. *cit. §. num. 3.*

IX. *Quibus in bello?* R. Redeunt qui liberi fuerant, antequam caperentur: recipiuntur servi, & alia quædam. *cit. §. num. 4.*

X. *Quando liber homo redit postliminio?* R. Si hoc animo venerit ad suos, ut eorum res sequeretur. *§. V.*

XI. *Quibus modis redit postliminio?* R. Tribus: si bellicà vi receptus fuerit, dolo aufugerit, & spontè ab hostibus traditus. *cit. §.*

XII. *Quanam acquirit liber homo rediens sibi?* R. Et se, & res omnes, quas habuerat apud populos pacatos, sive corporales, sive incorporales: & sicut ad ipsum jura redeunt, ita & in ipsum jura restituuntur. *§. VI. & VII.*

XIII. *Quale est dominium, quod quis habet in res ejus, quem bello cepit?* R. Conditionale. Nam sicut victor dominus ipsum captum hominem, qui ad suos pervenit, ita & ejus res perdit, cujus erant accessio. *cit. §. VI. n. 1.*

XIV.

XIV. *Si quis aliquid ab eo, qui belli tempore dominus erat, accepit, an tutus erit jure gentium & perdita poterit recuperare?* R. Distingvendum inter res, quæ ejus sunt generis, ut postliminio redeant, & quæ extra id genus sunt: illa videntur alienata cum sua causa & sub conditione; hæc simpliciter. *cit. §. n. 2.*

XV. *Qui postliminiâ jure carent?* R. Ii, qui armis victi hostibus se dederunt. Nam pactiones cum hostibus factæ valent ex Jure Gentium. §. IX.

XVI. *An induciarum tempore datur postliminium?* N. *cit. §.*

XVII. *Si sociorum vis imperio hostili eximat populos antea liberos?* R. Hi suam recipiunt libertatem. §. IX. n. 1.

XIIX. *Si dissoluta sit multitudo, quæ constituerat civitatem?* R. Non censetur idem populus; nec res restituitur postliminio. *cit. n.*

XIX. *Si civitas creditrix in servitutem redigitur, aut alio modo deletur, an, ista restituta, creditum quoque reviviscit?* N. Nam & novus est populus, & creditum non est in eorum numero, quæ postliminio redeunt. *cit. n.*

XX. *An conjugia olim dissolubilia postliminio restituebantur? N. Sed novo consensu redintegrabantur. cit. §. n. 2.*

XXI. *Qui liberi homines Jure Civili postliminio non revertuntur? R. Transfugz. §. X. n. 7.*

XXII. *Quare pater in filios transfugas reversas potestatem non recuperat? R. Quia militaris disciplina antiquior fuit parentibus Romanis, quam charitas liberorum. cit. n.*

XXIII. *An de jure gentium detrahit, quo legibus civilibus constitutum est, ut redemptus ab hostibus redemptori serviat, donec pretium sit restitutum? A. Sed favore libertatis est introductum, ne, ademptâ spe recuperandæ pecuniæ, multi in hostium manu relinquuntur. cit. §. num. 2.*

XXIV. *Si non restituitur, an alio modo redempti liberantur? A. Sic Lege Justiniani finitur redempti servitus operis quinquennii, morte redempti, contracto inter redimentem & redemptum matrimonio, mulieris redemptæ prostitutione. cit. n.*

XXV. *Per quod Jus civile auxit postlimi-*

liminii jus? R. Per id, quod juxta illud non ea tantum, quæ in postliminio sunt jure gentium, sed & res omnes & jura, perinde habeantur, ac si is, qui redit, nunquam in hostium fuisset potestate. Unde etiam est Edictum de majoribus in integrum restituendis. Sic Messenior, qui diu servierant, libertatem & regionem recepisse narrat Dion Prusæensis, *cit. §. n. 3.*

XXVI. *Quid insuper Lex civilis Cornelia addidit?* R. Idem beneficium attribuit heredibus eorum, qui capti apud hostes decesserunt. *cit. §. n. 4.*

XXVII. *Cujus tunc bona essent, hac lege non latâ?* R. Occupantium; quia, qui apud hostes est, pro nullo habetur. Nam quod captivorum bona fisco cedant, si nullus heres adest, ex speciali Jure Rom. est. *cit. n.*

XXIX. *Si servus captus manumissus aut alienatus sit?* R. Civi nostro domino servi manumissio hostis obesse non potest. *§. XI. n. 1.*

XXIX. *Quid requiritur, ut recipiatur servus?* Ut reverà habeatur à domino, aut facillè haberi possit. Igitur quam-

vis servus in urbe sit, sed lateat, non factus est ad postliminii jus. Per quod & differt servus à rebus inanimatis. *cit. n.*

XXX. *Per quod differt à libero homine?*
R. Quod, ut postliminio recipiatur, non requiratur, ut animo res nostras sequendi venerit. Nam id in eo solum requiritur, qui se recepturus est. *cit. n.*

XXXI. *An servi transfuga jure civili excipiuntur, quo minus recipiantur?* N. Ne contrarium jus non tam ipsi injuriosum sit, qui servus permanet, quam domino damnosum. *cit. §. n. 2.*

XXXII. *Ad quos redempti pertinent?*
R. Ad redimentes, donec pretium sit restitutum. *cit. §. n. 3.*

XXXIII. *Quid leges constituerunt, ut servi reverterentur?* R. Promiserunt libertatem his, quibus membrum ruptum esset, statim, cæteris post quinquennium. *cit. n.*

XXXIV. *An populus, qui alieno imperio subjectus fuit, recidit in veterem causam?* R. Si sociorum aliquis eripuit, idem dicendum, quod de servis, nisi sociali foedere aliter convenerit. §. XII.

XXXV.

XXXV. *Quando?* R. Si hostes ita expulsi sunt, ut apertè eò accedere non possint. §. XIII. n. 1.

XXXVI. *Quæ res sunt in postliminio?* R. Agri, & omne jus, quod adhæret solo: sic Lacedæmonii reddiderunt Atheniensibus Æginam insulam, ab aliis ereptam. Sic loca ab hoste occupata, quæ antea fuerant religiosa vel sacra, si sunt hæc calamitate liberata, pristino statui sunt restituenda. *cit.* §.

XXXVII. *An & res mobiles?* N. Sed in prædâ sunt. §. XIV. n. 1.

XXXIX. *An & omnes jure civili?* N. Sed excipiuntur res, quæ in bello usum habent, ut arma, naves longæ & onerariæ; quod tamen rursus in desuetudinem abiisse videtur. *cit.* §. XIV. & XV.

XXXIX. *Si res mobiles ab hostibus occupatæ nondum in præsidia sunt perductæ?* R. Non egent postliminii, quia dominium nondum mutarunt ex Jure gentium. §. XVI.

XL. *Si à piratis sunt erepta?* R. Nec hæc postliminii egent; quia Jus gentium illis non concessit, ut jus domini mutare possent. *cit.* §.

XLI. *An igitur ubicunq; inveniuntur, vindicari possunt?* A. Sed Jure naturali tantum ei, qui suo sumtu comparavit, est reddendum, quantum ipse dominus ad rem recuperandam libenter impensurus fuisset. *cit. §.*

XLII. *An hoc potest lege civili mutari?* A. Neque enim iniquum est, ut privata res publicæ utilitati cedat, præsertim in tantâ recuperandi difficultate. Sic lege Hispanicâ est constitutum, ut res à piratis captæ eorum fiant, qui eas illis eripiunt. *§. XVII.*

XLIII. *An postliminium potest esse inter populos externos, qui non sunt hostes?* N. Sed quod olim quædam belli inter privatos quasi ipsis moribus in dicti licentia fuerit, id erat contra sensum naturalis societatis, quæ inter homines est; consequens tamen erat, ut postliminio locus esset. *§. XIX. n. 1.*

XLIV. *An qui apud nos serviunt ex fœderato populo, si domum reverterunt, postliminio redeunt?* R. Distingvendum inter fœdera, ut, si qua essent, quæ belli duntaxat publici componendi aut cavendi causa essent inita, ea nec captivitati

tati in posterum nec postliminio ob-
stent. At si qua id continerent, ut tuti
essent publico nomine, qui ab his ad il-
los pervenissent, ut tunc, captivitate,
sublatâ, cessaret postliminium. *cit.* §.
n. 2. & 3.

XLV. *An hodiè in usu est jus postlimi-
nii?* N. Nec inter Christianos, nec apud
plerosque Mahumetistas: necessitas e-
nim ejus est sublata, ob restitutam vim
ejus cognationis, quam inter homines
esse voluit natura. §. XIX. n. 1.

XLVI. *An prorsus locum habere non
potest?* A. Si cum tam barbarâ gente,
res est, ut sine indictione & causâ o-
mnes externos & res eorum hostiliter
tractare pro jure habeat. Sic in sum-
mò auditoriò Parisiensi fuit judicatum,
ut bona, quæ Francorum civium fue-
rant ab Algiriensibus, populo prædoni-
bus maritimis in omnes alios grassari
solito, captæ belli jure mutarent
dominium. *cit.* §.

CAP. X.

Monita de his, quæ sunt in bello injusto.

I.

Quo sensu multa jure gentium permittuntur licita esse intelliguntur? R. Quod sicut impunitè, ac judicia coactiva suam auctoritatem illis accommodent. §. I. num. 1.

II. An multa talia sunt illicita? A. Quia exorbitant à regulà recti, sive jure stricto, aliarumve virtutum præceptis; aut omittuntur sanctius, & majori laude apud bonos. cit. n.

III. Qualem respectum hoc in loco significat Pudor? R. Non tam hominum & famæ, quàm æqui & boni, aut certè ejus, quod melius æquiusque est. cit. §. n. 2.

IV. Quomodo inter justitiam & verecundiam fines regit Cicero? R. Ita, ut Justitia partes statuatur non violare homines, Verecundia non offendere. cit. n.

V. Cur Jus à Justitiâ distinguitur? R. Quia Jus accipit id, quod in judiciis externis viget. cit. §. n. 3.

VI.

VI. *Quales acceptiones habet hoc in loco vox licere?* R. Diversas, altera est exterior, altera inferior. *cit. n. add. L. III. C. IV. §. 2. n. 1. & 2.*

VII. *Qualem sensum apud Livium habet illa Marcelli in Senatu Romano distinctio?* R. Ex æquo & bono: scilicet non quid ille fecerit, sed quod isti pati debuerint. *§. II. n. 1.*

VIII. *Quomodo appellant sæpè Jus Captivitatis Juris Consulti Romani?* R. Injuriam, & æquitati opponunt naturali. *cit. §. n. 2.*

IX. *Quomodo vocantur Itali apud Livium, retinentes ea, quæ Syracusanis bello ademerunt?* R. Pertinaces ad obtinendam injuriam. *cit. n.*

X. *Quales sunt actus, qui nascuntur è bello solenni modo suscepto, cujus causa sit injusta?* R. Injusti, internâ injustitiâ, ita ut peccent omnes, qui scientes tales actus operantur, aut ad eos cooperantur. *§. III.*

XI. *Sed quorum in numero isti belligerantes habendi sunt?* R. In eorum numero, qui ad Regnum Cœleste serie penitentiâ pervenire non possunt. *cit. §.*

XII.

XII. *Qualis autem pœnitentiâ requiritur?* R. Vera, si tempus & copia suppetat. *cit. §.*

XIII. *An tenentur ad resarcienda damna?* A. Ea scilicet, quæ dederunt trucidando homines, res corrumpendo, & prædas agendo. *cit. §.*

XIV. *Quinam igitur ad quam restitutionem tenentur?* R. Belli auctores jure potestatis aut consilio, de omnibus, quæ bellum solent consequi. *§. 17.*

XV. *An etiam de insolitis?* A. Si tale quid jusserunt, svaserunt, aut non impedierunt cum possent. *cit. §.*

XVI. *An & belli duces?* A. De his, quæ ductu eorum facta sunt. *cit. §.*

XVII. *An & milites alii?* A. In solidum omnes, qui ad aliquem actum communem concurrerunt: urbis scilicet incendium, &c. *cit. §.*

XVIII. *Quomodo in actibus dividuis?* R. Quisque pro damno, cujus ipse causa fuit unica, aut certè inter causas. *cit. §.*

XIX. *An admittenda ista exceptio, quam nonnulli adferunt de his, qui alius operam novant, si modò in ipsis aliquid habeat*

bereat culpa? N. Ad restitutionem enim sufficit sine dolo culpa. §. V.

XX. *An res bello capta, etiamsi justa, belli causa non adfuerit, reddenda non sint, uti quidam videntur existimare, eo quòd bellantes inter se, cum bellum inierunt, ista capientibus donasse intelligantur?* N. Nemo enim suam jactare temerè præsumitur, & bellum per se longè abest à contractuum naturâ. *cit. §.*

XXI. *An sufficiebat introductio externi domini, quo pacati populi certi quid haberent, quod sequerentur, nec bello implicarentur invito?* A. Quia ista introductio cum interna obligatione restitutionis potest consistere. *cit. §.*

XXII. *Qualis facultas nascitur Jure Gentium ex contractu sine dolo inito, cui inest inæqualitas?* R. Cogendi eum, qui contraxit ad implenda pacta. *cit. §. n. 2.*

XXIII. *Ad quid tenetur, qui plus æquo stipulatus est?* R. Rem ad æqualitatem, reducere, ex probi ac pii hominis officio. *cit. n.*

XXIV. *An poterit aliquid deducere, si quid sumtus aut opera impendit is, qui rem*

rem tenet? R. Tantum, quantum domino valebat adipisci desperatam possessionem. *cit. n.*

XXV. *An, quod si rei possessor culpa exsors eam consumserit aut alienaverit, tenebitur?* N. Nisi in quantum censi potest locupletior factus. *cit. n.*

XXVI. *An reddende res injusto bello captae?* A. Et ab eò, qui cepit, & ab eò, qui detinet: nulla enim causa subest, cur alter re suâ careat, non ipsius consensus, non mahum meritum, non compensatio. Sic cum P. Claudius suo ductu captos Camerinos sub hastâ vendisset, Populus Romanus, etsi ararium pecuniâ, fines agris auctos animadvertibat, tamen, quia parum liquidâ fide id gestum ab imperatore videbatur, maximâ curâ conquistos redemit, ac prædia restituit. §. VI.

CAP. XI.

*Temperamentum circa jus interficiendi
in bello justo.*

I.

AN in bello justo quidam actus careant internâ justitiâ? A. Sunt enim officia

tia quædam adversus eos servanda, à quibus injuriam accepimus: estque ulciscendi ac puniendi modus. §. I. n. 1.

II. *Cur est ulciscendi & puniendi modus?*

R. Quia possunt, qui se vindicant, injusti esse, si modum excedant. Nam qui in puniendo progreditur ad id, quod iniquum est, secundus est injuriæ auctor. cit. n.

III. *Quis igitur & quando justè interficitur, ex proposito?*

R. Tantùm is, qui deliquit, quod mortem mereatur: idque non nisi in pœnam, aut quatenus absque eo vitam & res nostras tueri non possumus; imò & à charitatis lege decedit hominem occidere ob res caducas. §. II.

IV. *Quanam actiones merentur pœnam, ac obligant ad restitutionem damni?*

R. Injustæ. cit. §. & §. IV. n. 8.

V. *An & infortunium?* N. Quia infortunati sequuntur partes invita. §. III. num. 1.

VI. *An culpa media inter infortunium*

& injuriam? R. Illa quidem est obnoxia restitutioni, sed pœnam sæpè non meretur, præsertim capitalem; quia
talis

talis actio non est merè scientis & volentis. §. IV. n. 1.

VII. *Quotupliciter spontè facimus aliquid?* R. Dupliciter, deliberatò & non deliberatò. cit. §. n. 2.

IX. *Quomodo hæc fiunt?* R. Quæ præeunte consultatione quadam animi fiunt, dicuntur fieri deliberatò; quæ verò aliter, indeliberatò. cit. n.

IX. *Quot modis igitur damni datio in hominum societate contingit?* R. Tribus; Ea enim vel ab ignorantia procedit, & *infortuniam* dicitur: Vel expectari & prævideri aliquo modo potuerit, sed non improbo animo, & *culpa* erit: Vel id, quod facit, sciens facit, non tamen deliberatò, & fatendum est, adesse *injuriam*. cit. n. 2. §. 5.

X. *Quid sentiendum igitur est de iis, quæ faciunt homines per iracundiam & perturbationes naturales, aut necessarias?* R. Qui ira commodi lædunt & culpam admittunt, ab injuria non vacant: neque tamen injusti aut improbi dicuntur, cum ea, quæ per iram fiunt, censentur non ex præviso fieri, non enim inci-

incipit is, qui ex ira quid facit, sed is, qui iram provocavit. *cit. n. 2. 3. § 5.*

XI. *An omnia, quæ non spontè fiunt, veniâ digna sunt?* N. Nam veniâ digna sunt, quæ non ab ignorantibus modo, sed & ob ignorantiam fiunt. At si quæ ab ignorantibus admittuntur, nec tamen per ignorantiam, non digna sunt, quibus ignoscas. *cit. §. n. 4. § 5.*

XII. *An eodem loco habendi sunt auctores belli, & qui eos sequuntur?* N. Hi enim non pariter, ac illi, puniendi sunt: sic Demetrius, captis Thebis, interfecit solos decem auctores defectionis. *§. V.*

XIII. *Quemodo cause distinguenda sunt in ipsis auctoribus?* R. Probabiles ab improbabilibus: sunt enim quandoque tales, quæ etiam non improbis imponant, quamvis injustæ: sic deprecationis causa æquissima est, si quis, quæ peccavit, non odio neque crudelitate, sed officio & recto studio commotus fecerit: sic Cerites petebant erroris veniam, quod fuerint auxilio consanguineis Phocensibus. *§. VI. n. 1.*

XIV. *An pena rectè condonatur hostibus*

bus mortem meritis ? A. Szpè. Quia ignoscere, convenit bonitati, modestiæ, animo excelso : sic Alexander, quam belli auctoribus poterat irasci, tamen omnibus veniam dabat. §. VII. *nam. 1. seqq.*

XV. *An indifferenter id fas & piuum est ?* N. Nam quod sui est officii, non quod leges humanæ permittunt, qui vult respicere, parcit hostili sanguini, neminique mortem irrogat, nisi quo mortem mortive simile quid evitet. *cit. §. n. 4.*

XVI. *Quid tenendum de noce eorum, qui occiduntur casu non destinato ?* R. Misericordiæ est, aliquid tale non agredi, unde perniciës imminere posset nocentibus; nisi magnis de causis, & ad multorum salutem perventuris. §. II. X.

XVII. *Quibus igitur est parcendum ?* R. Ætas excusat pueros & senes, foëminam sexus, mares aliquos vitæ genus ab armis abhorrens: sic Valerius M. Munati Flaccii in infantes & foëminas efferatam vocat crudelitatem, & auditu intolerabilem. Camillus expugnatis Vejis edixit, ut ab inermi abstineretur. §. IX. & X.

XIII.

XIIX. *In horum genere quinam ponendi?* R. Sacerdotes aliique sacra curantes, monachi aliique vitæ genus sacerdotali simile eligentes, operam navantes honestis literarum studiis ac humano generi utilibus, agricolæ, mercatores, opifices, artifices, aliique, quorum quæstus pacem amat: sic Philistæi hostes Judæorum non nocebant collegio Prophetarum, quod erat Gabæ. Cretenses abstinebant à sacerdotibus: agricolis parcebant Indi, Corinthii, Megarenses, Cyrus, Bellisarius, alii. *cit. §. X. n. 1. & 2. §. XI. & XII.*

XIX. *An & qui arma gesserunt?* R. Æqui respectu parcendum captis, sese in prælio aut obsidione dedere volentibus sub æquâ conditione, sine conditione victori se permittentibus supplicibus: imò ad hoc allaborandum, ut potius metu cogantur ad deditiorem, quàm ut interficiantur: sic Brutus non patiebatur adversarios oppugnari impetu, sed circumdabat equitatu; parci jubens, ut mox suis futuris. *§. XIII. n. 1. §. XIV. & XV.*

XX. *An hoc semper observandum?* A.

Ee

Nisi

Nisi satis grave delictum obster, quod æquus iudex morte vindicandum censeret: ut si persistant in apertâ belli injustitiâ, si sint violatores fidei, & legatorum, ac transfugæ &c. §. XVI. n. 1.

XXI. *Si talio exigatur, si terrore sit opus, si restitutum pertinacius?* R. Hæc ad justam cædem non sufficere patet ex antedictis. *cit. n.*

XXII. *Si delicta ipsa videantur morte digna?* R. Misericordiz erit, de summò jure aliquid decedere, ob multitudinem delinquentium. §. XVII.

XXIII. *An obsides occidendi?* N. Nisi deliquerint ipsi; nam nemo cuiquam solo consensu jus dare potest in vitam suam, aut sui civis: dominium enim in vitam Deo excipitur. §. XVIII. n. 1.

XXIV. *An non verò supplicium eorum aliquando vacare potest injuria?* A. Si obses est, vel fuit in numero graviter delinquentium, aut fidem à se datam fallat in re magni momenti. *cit. §. n. 2.*

XXV. *Quid dicendum de illis dimissionibus, quæ nullius sunt usus ad jus consequendum, aut finiendum bellum; sed metram viriam ostentationem habent propositam?*

positam? R. Pugnare cum officio hominis Christiani, & ipsâ humanitate: & auctores inutiliter fusi sanguinis rationem reddituros ei, cujus vice gladium gerunt. §. XIX.

CAP. XII.

*Temperamentum circa vastationem
& similia.*

I.

Q*uamnam requiruntur, ut perdere quis sine injuriâ res alterius possit?* R. Aut necessitas talis, quæ in primi domini institutione excepta debet intelligi: aut debitum aliquod præcedens ex inæqualitate: aut meritum aliquod malum, cui poena talis par sit, aut cujus mensuram poena non excedat. §. I.

II. *Da mihi exemplum requisiti primi?*

R. Ut si quis tertii gladium, quo usus sit furiosus, periculi sui evitandi causâ, in amnem projiciat, quo ipso tamen casu manet obligatio damni refarciendi. *cit.* §.

III. *Da secundi?* R. Ut res perdita imputetur in illud debitum, quasi per-

cepta ; alioqui enim jus non esset.
cit. §.

IV. *Da tertii ?* R. Ut , propter pecora abacta aut domos aliquas incensas, totum regnum non vastetur, idque ex æquitate : vel ne in bello in infinitum pœna vagetur, sed usque eò, ut delicta æquo modo expientur. *cit. §.*

V. *An nullo suo bono Imperator nocere potest hosti ?* N. Sapiens itaque Imperator hostium terram perdere, urere, populari meminerit. Nam & pecuniarum & frugum penuria bellum minuit, quantum auget copia. *cit. §. n. 2.*

VI. *Quanam populatio ferenda est ?* R. Quæ brevi ad pacem faciendam subigit hostem : quo genere belli Romani usi sunt in Campanos, Capenates, Hispanos, Ligures, Nervios, Menapios, &c. *cit. §. n. 3.*

VII. *Annon verò plerumq̄, admittuntur talia odio magis, quàm prudenti ratione ?* A. Fermè enim evenit, ut aut causæ illæ svadentes cessent, aut aliæ sint validiores, quæ dissvadeant. *cit. n.*

VIII. *Quando ab eâ abstinendum est ?*
R. Si res nobis fructuosa sit, & extra
hostis

hostis potestatem : sic lex divina vult ad belli opera impendi arbores feras, fructiferas ad victum servari ; multoque magis post plenam victoriam : sic Cicero horrificum, nefarium, omni imbutum odio dicit bellum, quod parietibus, tectis, columnis, postibus fit. §. II.

n. 1. & 3.

IX. *An res inanimes v. c. arbores, vineæ & c. populari & delere licet ?* N. Quia non, ut homines, adversum nos in prælium consurgere possunt. *cit. n.*

X. *An hæc lex etiam ad animantia ruris operi inservientia producenda ?* A. Nam his quoque, ut in bello parceretur, à Mose præceptum fuit : Thalmudica, verò scripta & Hebræi Interpretes addunt, legem hanc porrigendam ad rem quamvis, quæ sine causâ peritura sit ; ut si ædificia comburantur, esculenta ac potulenta corrumpantur. Consentit cum hac lege Timothei ducis Atheniensis prudens consilium, qui non patiebatur, aut domum, aut villam vel tugurium dirui, aut arborem frugiferam excindi. *cit. §. n. 2.*

XI. *An hoc quoq; locum habebit post plenam victoriam?* A. Idque multò magis ob gratiam inde resultantem. Sic Livius laudat Romanorum lenitatem victâ Capuâ, quod non sævitum sit incendiis ruinisque in tecta innoxia murosque. *cit. §. n. 3.*

XII. *Sed tamen docet nos sacra historia, urbes quasdam à DEO damnatas excidio, etiam contra illam legem generalem arbores Moabitarum jussus excindi?* R. Hoc non factum odio hostili, sed injustam detestationem facinorum, quæ aut publicè erant cognita, aut, DEO judice, tanti æstimata. *cit. §. n. 4.*

XIII. *Quando præterea?* R. Si magna spes sit celeris victoriæ, cujus præmium æger & fructus futuri sunt, Sic Alexander milites præhibuit à populatione Asiæ, brevi subjugandæ. *§. III. n. 1.*

XIV. *Quando porro?* R. Si hostis aliunde habeat, quo se sustentet, si scilicet pateat mare aliique fines: sic inter Cyrum & Assyrium convenerat, ut cum agricolis pax esset, cum armatis bellum. *§. IV. n. 1. & 3.*

XV. *Sub quâ conditione in confinio par-*
cendum

cendum rebus agros colentium? R. Ut utrique parti tributum præstent: quod factum diu in Belgico Germanico superiori seculo edocent nos historiarum. cit. §. num. 1.

XVI. *Quid apud Indos hæc in parte obtinuit?* R. Agricolarum intacti fuere ac velut sacrosancti; imò prope castra & agmina opus fecere sepositi à periculo. cit. §. n. 2.

XVII. *Quare canones humanitatis magistri hos mores Christianis omnibus imitandos proponunt?* R. Quoniam hi majorem cæteris humanitatem debent ac profitentur. cit. §. n. 4.

XIIX. *Quibus rebus durante bello parcendum?* R. Quæ ad bellum faciendum aut ducendum nihil momenti habent: qualia sunt templa, porticus, statuarum & similia, quæ perdita nec hosti vires adiungunt, nec perenti emolumentum afferunt. Sic Marcellus ædificiis omnibus Syracusanorum publicis ac privatis sic pepercit, quasi ad ea defendenda cum exercitu venisset. §. V.

XIX. *In quibus accedit hic specialis ratio?* R. In iis, quæ sacris usibus sunt di-

cata, itemque religiosis, ac in mortuorum honorem exstructis: illa enim conservari s'vadet rerum divinarum reverentia: neque violantur, nisi contemptâ humanitate. Sic, Albâ à Romanis dirutâ, Deum templis temperatum. Marcellus religione impeditus non attigit, quæ victoria fecerat profana. §. VI. & VII. n. 2.

XX. *An idem, quod de sacris dictum, de religiosis & iis, quæ in honorem mortuorum structa sunt, intelligendum est? A.* Nam & hæc, quanquam Jus Gentium, impunitatem iræ in ista exercendæ indulget, violari non possunt, nisi contemptâ humanitate. Et summam esse rationem dicunt Jcti, quæ facit pro religione. l. 43. ff. de Religios. cit. §. VII. n. 1.

XXI. *Qua, præter justitiam, utilitas ex moderatione istâ in servandis rebus? R.* Eripit primò hæc hosti magnum telum, desperationem; Secundo speciem præfert, manente bello, magnæ de victoriâ fiduciæ; Tertio apta per se frangendis & conciliandis animis. Consiliis contrariis contrarii quoque eventus respondebunt. §. IIX. n. 1. & 2.

XXII.

XXII. *An probande sunt violentæ urbium direptiones?* N. Ab his enim semper abhorret bonitas Christiana, & ipsa justitia plerumque. Quia abire non possunt sine multorum innocentium malo: & parùm sæpè proficiunt ad belli summam. Amphyctionum decreto cautum erat, ne qua urbs Græca excinderetur. *cit. §. n. 4.*

CAP. XIII.

Temperamentum circa res captas.

I.

AN neq; peccato vacare, aut à restitutionis onere immunis censeri debet rerum hostilium in bello justo captura? A. Quippe si id, quod rectè fit, spectas, non ultra licitum est capere aut habere, quam causa subest debendi in hoste. *§. 1. n. 1.*

II. *Quomodò retinentur hostilium subditorum res bello capta?* R. Ad modum debiti, non ultra; aut ad securitatem necessariam, sub onere restituendi, periculo cessante. *cit. n.*

III.

III. *Cum autem deberi aliquid vobis possit aut ob inaequalitatem rerum, aut ex poenâ, potestne ex utraq; causâ acquiri res hostilis?* A. Sed cum discrimine tamen: nam suprâ dictum. L.3. C.2. §.2. n.1. ex debito illo priore non res tantum deditis, sed & subditorum ejus, ex introducto Jure Gentium, quasi fidejussione obligari. *cit. §. n.2.*

IV. *Sed quale Jus Gentium subesse creditur hic?* R. Alterius generis, quam illud, quod ex impunitate solâ aut externâ vi judiciorum existit. *cit. n.*

V. *Quale Jus quaritur in res nostras ex consensu privato nostro ei, qui cum actum est?* R. Non externum modò, sed & internum: sic & ex communi quodam consensu, qui singulorum consensum vi quadam in se continet. *cit. n.*

VI. *Cur hac lex Gentium introducta est?* R. Non solâ majoris mali vitandi causâ, sed etiam Juris cuique sui consequendi ratione. *cit. n.*

VII. *An etiam in poenam alieni criminis, hostilium subditorum res bello captae retineri possunt?* N. Odiosa enim est talis alienarum rerum obligatio; eoque
latius

latius produci non debet, quam actum
appareat. §. II.

*II. An par est utilitas in posteriore
hoc & in priore debendi genere?* N. Nam
prius illud est in bonis, posterius hoc
non est, ideoque persecutio ejus sine
damno omitti potest. *cit. §.*

*III. An obstat, quod supra b. l. c. 2. §. 3.
dictum de Jure Attico?* N. Nam ibi ho-
mines obligabantur non ex eò proprie,
quod civitas puniri poterat, sed dunta-
taxat ad cogendam civitatem id facere,
quod facere debebat, id est, judicium
reddere in fontem, quod debitum ex
officio ad prius illud, non ad posterius,
debendi genus refertur: Aliud enim
est, debere punire, aliud debere & pos-
se puniri: quanquam, ex cessatione cir-
ca illud, hoc sequi solet, sed ita, ut di-
stincta sit causa illa & hoc effectum.
cit. §.

*IV. An ergo pœna nomine acquiri res
subditorum hostilium poterunt?* N. Sed
eorum duntaxat, qui ipsi deliquerint,
in quibus & Magistratus continentur,
qui delicta non puniunt. *cit. §.*

V. Quale debitum hic intelligitur? R.
Et

Et primarium, unde bellum ortum est; & quod in bello subnascitur. Sic Samii damnabantur impensas belli solvere. §. III.

XII. *Quomodo accipiendum, quod scribunt Theologi quidam, capta in bello non compensari cum debito Principali?*

R. Ita hoc intelligendum, usque dum secundum sanum Judicium satisfactum sit de eo damno, quod in ipso bello datum est: sic in disceptatione, cum Antiocho Romani, impensam, quæ in bellum facta esset, omnem præstare Regem æquum censebant, cujus culpâ bellum excitatum esset. *cit. §.*

XIII. *An hic utendum summo jure?*

N. Hoc enim summa foret injuria: cum latius charitatis, quam juris strictè sic dicti regula pateat. §. IV. n. 1.

XIV. *An, qui divitiis floret, immiseri- cordia reus erit, si inopem debitorem, omnibus re culis suis excutiat, ut ipse ultimam quadrantem consequatur?*

A. Multo que magis, si is ipse debitor in id debitum venerit suâ bonitate; ut si pro amico fidejusserit, ipse autem nihil pecuniæ verterit in rem suam. Miserabile

le

le enim est, ut ait Pater Quintilianus, sponsoris periculum. *cit. n.*

XV. *Quid ergo exigit humanitas?* R. Ut his, qui extra belli culpam sunt, quique non aliò, quam fidejussorio nomine, obstringuntur, relinquuntur talia, quibus nos faciliùs, quàm ipsi, careamus. Sic, Babylone captà, Cyrus militibus: injustè quidem non possidentur, quæ tenetis, sed vestræ humanitatis erit, si quid non auferatis hostibus. *cit. §. num. 2.*

XVI. *An cum in subsidium introductum sit Jus hoc in bona subditorum innocentium, quamdiu spes est, nos nostrum satis facile consequi posse ab originariis debitoribus, aut ab iis, qui Jus non reddendo spontè suà debitores se faciunt, ad eos venire, qui culpâ vacant?* A. Etiam si enim concedatur, cum stricto Jure non pugnare, ab it tamen ab humanitatis regula. *cit. §. n. 3.*

XVII. *An etiam exempla hujus humanitatis extant in historiâ?* A. Præsertim Romana, ut cum agri, hostibus devictis, eâ conditione concessi fuerunt, ut in civitatem venirent, id est, victæ civitati cede-

cederent; aut cum ex agris modicum, honoris gratiâ, veteri possessori relinquebatur. *cit. §. n. 4.*

CAP. XIV.

Temperamentum circa captos.

I.

Quouſq; licitum eſt homines capere, juſtitia internâ? R. Quouſque patitur quantitas debiti, primarij aut ſubnaſcentis: niſi fortè in iſtis hominibus peculiare delictum ſit, quod libertatis damno puniri fert æquitas. *§. I. n. 1.*

II. Ergone juſtum bellum gerens in hoſtis ſubditos captos juſ habet? A. Quod & in alios validè transfert. *cit. n.*

III. Annon aliquis æquitati & bonitati hic eſt locus? R. Eadem hic adhibenda ſunt discrimina, quæ circa interfectionem hoſtium inculcantur. *cit. §. n. 2.*

IV. An ita capti ſubditi pari jure cenſendi ſunt cum ſeruis pœna? N. Nec enim ex delictò naſcitur hoc juſ, ſed quali ex fidejuſſione pro civitate. *§. II. n. 1.*

V. Unde porro induci poteſt differentia? R. Inde, quod ejuſmodi capti non ſuo

suo facto speciali, sed (miserandâ magis calamitate) regentium culpâ in eam sortem deveniant. *cit. n.*

VI. *Quinam juri itaq; par erit jus hoc in captos generale?* R. Illi, quod haberit domini in eos, qui se, paupertate coacti, in servitutem vendiderunt. *cit. n.*

VII. *Ad quid igitur obligantur?* R. Ad perpetuas operas pro alimentis itidem perpetuis. *cit. §. n. 2.*

IIIX. *Videmus tamen longè aliter tractari captos?* R. Multùm distat id, quod impunè in servum fit ex gentium jure, ab eò, quod naturalis ratio fieri sinit. *cit. §. n. 3.*

IX. *An domino licet occidere servum innocentem?* N. Quia domestica hæc jurisdictio debet eadem religione exerceri, quâ exercetur publica: sic Cato non furebat supplicium de servo capitale admittente, nisi postquam damnatus esset etiam judicio conservorum. *§. III.*

X. *Quomodo sese habere oportet circa verbera aliasq; pœnas minores?* R. Circa eas est adhibenda æquitas & clementia. Sic lege Hebræâ libertas debebatur ser-
vo

vo aut ancillæ, non tantùm pro oculo, sed & pro dente excusso, per injuriam. scilicet. §. IV.

XI. *Quorum præterea est habenda ratio?* R. Ne operæ nimium graves imponantur, ut pro iis dentur alimenta, ac eorum valetudinis ratio humanè habeatur: sic laudat Germanos Tacitus, quod servos haberent tanquam colonos. §. V. & VI. n. 1.

XII. *An servo est peculium?* A. Si quid enim servus, suum defraudans genium, comparfit, aut succisivi temporis diligentia quæsit, id aliquo modo ipse est. cit. §. VI. n. 2.

XIII. *Potest tamen dominus peculium suo arbitrio adimere aut minuire?* R. Si sine causâ id faciat, non faciet, quod æquum est. cit. n.

XIV. *Quanam causa est sufficiens?* R. Non pœna modò, sed & domini necessitas: Nam servi utilitas utilitatibus domini subest, magis etiam, quam res civium civitati. cit. n.

XV. *An dominus repetit, si quid servus in servitute debitum post manumissionem solvit?* N. Quia debiti vel non debiti ratio

ratio in conditione naturaliter intelligitur : Dominus autem servo debere naturaliter potest. *cit. §. n. 3.*

XVI. *Annon ad justitiam hanc internam leges retraxerunt jus illud exterius dominorum?* A. Multos apud populos. Sic & apud Græcos servis durius habitis licebat ad venditionem proclamare, & Romæ ad statuas confugere, aut præsidum implorare opem contra sævitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam. §. fin. J. De his, qui sui vel alien. jur. sunt. *cit. §. n. 4.*

XVII. *Annon post longas operas, aut valdè magnas, libertas datur servo?* R. Non ex jure stricto, sed ex humanitate & beneficentia, interdum tali, quæ & debeatur. *cit. n.*

XIIX. *Quid fecutum est introductam Jure gentium servitutem?* R. Beneficium manumissionis, etiam de lege Hebræa. l. 4. ff. de J. & J. *cit. §. n. 5.*

XIX. *An fugere licet justo bello captis, si publico facto in hanc fortunam deciderint?* N. Suas enim operas debent nomine civitatis; nisi sævitia intolerabilis hanc eis necessitatem imponat. §. VII.

XX. *Si parentes suo delicto pœnam mortis erant commeriti, poteruntne eorum posteris, qui sperabantur, ad vitam servandam obstringi servitio?* A. Quia alioqui extituri non fuerant: Nam & ob alimenta, alioquin defutura, prolem suam in servitutem parentes vendere possunt. §. *II. n. 1.*

XXI. *An pro debito civitatis obligari poterant jam nati?* A. Ut pars civitatis, non minus, quàm parentes ipsi. *cit. §. num. 2.*

XXII. *An nondum nati?* N. Ex hac causâ: Sed vel ex parentum consensu expresso accedente alendi necessitate, idque etiam in perpetuum: aut ex ipsa alimentorum præstatione, idque duntaxat, usque dum operæ totum, quod impensum est, expunxerint. *cit. n.*

XXIII. *Si quid ultra juris in hos domino datur?* R. Id videtur ex lege civili, dominis plus æquo largiente, procedere. *cit. n.*

XXIV. *Quid faciendum, ubi captivorum servitus in usu non est?* R. Optimum est, captivos permutari; proximum dimitti pretio non iniquo. §. *LX. n. 1.*

XXV.

XXV. *Quali?* R. Hoc præcisè defini nequit : sed humanitas docet, non ultra intendi debere, quam deducto, ne captus egeat necessariis : nunc plerumque inter milites menstruo stipendio definitur. *cit. n.*

CAP. XV.

Temperamentum circa acquisitionem imperii.

I.

AN eadem qua in singulos, ita & in populos aut in populorum partes exigitur æquitas, aut laudatur humanitas? A. Idque tantò magis, quantò in multos insignior est & injuria & beneficentia.

§. 1.

II. *Quatenus acquiri potest imperium, justitiâ internâ?* R. Quatenus fert modus pœnæ nascentis ex delicto, aut alterius debiti; & causâ summi periculi evitandi. *cit. §.*

III. *Annon verò hac ultima causa præcipue spectanda est?* A. Tum in pace constituenda, tum in utenda victoria. *cit. §.*

IV. *Quid de cæteris statutis?* R. Hæ remitti possunt est misericordiâ. *cit. §.*

V. *Quid si præsens sit publicum periculum?* R. Securitas illa, quæ modum excedit, tunc potius immisericordia dicitur. Eatenus enim hostes edomandi sunt, quantum satis erit, ut tuam regionem in tuto colloces. *cit. §.*

VI. *An utendum semper hoc jure?* N. Sed laudabile est, eò invictos abstinere: sic, Romanos veteres nihil victis, præter injuriæ licentiam, eripuisse, testatur Sallustius. §. II.

VII. *Quare bellum geritur?* R. Pacis causâ, utque labor spe otii sustentetur. *cit. §. add. L.I. C.I. §.1.*

IX. *Quid igitur dicendum de studio proferendorum per arma finium?* R. Hoc omninò esse detestandum: cum finis belli sit, ac omnibus esse debeat, tantum amovere ea, quæ pacem perturbant. Sic studium illud in Ammonitis severè reprehendit Amosus Propheta. *cit. §. n. 2.*

IX. *Quid hæc in re antiquissimis temporibus obtinebat?* R. Fines imperii turbantur magis, quam proferebant; intra

tra suam cuique patriam regna finiebantur : Reges non imperium sibi, sed populis suis gloriam quærebant, contentique victoriâ imperio abstinebant. *cit. num.*

X. *Num pertinet ad virum bonum, gaudere de Imperii latitudine?* N. Felicitas quippe major est, vicinum habere concordem, quam vicinum malum subjugare bellantem. *cit. n.*

XI. *Quid faciendum victori?* R. Victos miscebit victoribus : quo res Romana fuit aucta : vel victis regibus aut populis relinquet imperium, quod habuerant : quod Cyrus Armenio reliquit, Alexander Poro. §. III. & IV.

XII. *Quomodo cum imperii concessione simul consuli poterit securitati victoris?* R. Per præsidia, tributa ; traditionem armorum ; classis, elephantorum ; prohibitionem aciei, exercitus, &c. §. V. & VI.

XIII. *Quomodo verò per tributorum, indictionem victori consulitur?* R. Non tam ut facti sumtus restituantur, quam ut imposterum securitas concilietur victori & victo, qui æquo animo parte ali-

quâ suorum fructuum pacem sibi sempiternam redimat atque otium. *cit.*

§. VI.

XIV. *Quare autem victis relinquendum suum imperium? R.* Quia id non tantum humanitatis est, sed sapè & consilii. §. VII.

XV. *Cur à Termini sacris omnem sanguinem abesse voluit Rex Rom. Numa? R.* Ut ostenderet, esse ad quietem & certam pacem nihil utilius, quam suis sensibus tenere. *cit.* §.

XVI. *Quale imperium Lacedamonii, & in initio Athenienses, in captas civitates sibi judicabant? R.* Nullum, sed tantum eas Republicâ uti volebant ad suam accommodatâ. §. II. X.

XVII. *Si minus tutum sit omni imperio in victos abstinere? R.* Temperari res poterit, relinquendo ipsi, aut eorum regibus aliquid imperii. Sic apud Judæos manebat sceptrum in synedrio. §. IX.

XIX. *Si omne imperium eripiat? R.* Relinqui illis possunt circa res privatas, & publicas minores, suæ leges, sui que mores & magistratus: sic Luculli beneficio

neficiò suis legibus utebantur Amiseni.

§. X.

XIX. *An religionis avita usus eripiendus?* N. Nisi persuasis; hoc enim & victis pergratum est, & victori innoxium: sic Romani eam relinquebant Judæis.

§. XI. n. 1.

XX. *Quousq; se extendebat Hierosolymitarum quoad sacra beneficium à Romanis concessum?* R. Ut templo alienigenas arcere possent, etiam capitis periculo. *cit. n.*

XXI. *Quid si victorum falsa sit religio, an toleranda?* R. Tunc rectè curabit victor, ne vera opprimatur. *cit. §. n. 2.*

XXII. *Si assumatur imperium plenissimum, & quasi herile?* R. Victi tamen clementer habendi, ita, ut eorum utilitates cum victoris utilitatibus socientur. Sic Cyrus Assyrios victos bono esse jubebat animo, eandem ipsorum sortem fore, quæ fuisset, mutato tantùm rege. §. XII.

XXIII. *Qualem pacem ex mente Priverne victores à victis expectandam habent?* R. Si bonam dederint, & fidam & perpetuam; si malam, haud diuturnam.

nam. Non enim credendum (ex mente ejusdem) ullum populū, aut hominem denique, in eā conditione, cuius eum poeniteat, diutiūs, quā necesse sit mansurum. *cit. §. n. 2.*

XXIV. *Qui sunt bellorum egregii fines?*
R. Quoties ignoscendo transigitur; cum non tam vincere pulcrum sit; quā victoriā clementer uti. *cit. n.*

XXV. *Qua juxta Casarem nova ratio est vincendi?* R. Ut misericordiā & libertate nos muniamus. *cit. n.*

CAP. XVI.

Temperamentum circa ea, qua postliminio carent, Jura Gentium.

I.

Qua res ex bellō justō non sunt capientium? R. Ea, quæ recipiuntur postliminiū jure. Sunt enim hæ pro non captis. *§. I. n. 1.*

II. *An interna justitia exigit, ut redantur ea, qua hostis noster aliis eripuit injusto bellō?* A. Dominium enim internum (quod describitur Lib. I. C. I. §. 5. & 6.) non habuit, qui primō cepit; ad
eoque

eoque nec illud habere potest secundus. Sic L. Æmilius, Gallorum victor, prædam iis reddidit, à quibus abacta fuerat. *cit. n. & §. II. n. 2.*

III. *An etiam tertius talem rem restituere debet, ad quem ab iis, qui injusto bello ceperunt, pervenit?* A. Nemo enim plus juris in & ad alium transferre potest, quam ipse habuit, L. 20. pr. D. de A. R. D. *cit. §. I. n. 1.*

IV. *Quid est dominium externum?* R. Est Jus, commodum hoc secum ferens, ut tenens rem utique judiciariâ auctoritate & manu pro domino tuendus sit. Tale autem dominium habent prædicti secundus & tertius possessor. *cit. n.*

V. *An etiam hoc uti potest adversus dominum?* N. Cum ei res malo facto sit erepta. *cit. n.*

VI. *Annon Jcti hoc de eis tantum, que à latronibus capta sunt, affirmant?* R. Idem ex jure naturæ respondendum est de iis, quæ bello injusto capiuntur. Nam in jure interno bellum injustum à latrocinio non differt. *cit. §. n. 2.*

VII. *Quid igitur faciendum, ut res ad dominos suos rursus possint pervenire?* R.
Præda

Præda post pugnam est exponenda, ut quodlibet à domino cognoscatur & recipiatur; sicut multoties fecerunt Romani, Livio narrante. §. II. n. 1. & 2.

IX. *Quid si commercio res talis ad aliquem pervenerit, potestne is ei, cui res erepta fuit, imputare pretium à se numeratum?* A. In quantum ipsi, qui rem amiserat, valitura fuerat desperata possessionis recuperatio. §. III. n. 1.

IX. *An etiam laborem & periculum?* A. Nam in hoc convenit cum eo, qui rem alienam in mari deperditam educit: sic Gen. xiv. v. 16. Abrahamus vir non pui tantum, sed & excelsi animi solum necessarios sumtus detraxit, ast ejus socii simul partem quoque prædæ, æstimando periculum, auferebant. *cit. n. 1. & 2.*

X. *Quid porrò potest retineri?* R. Decimæ, quæ Deo debentur, quas idem Abrahamus l. c. detractas sacerdoti Dei obtulit. *cit. n. 2. conf. L. III. C. IV. §. 1. num. 1.*

XI. *An etiam reddendi populi, & partes populorum?* A. His scilicet, qui jus imperii habuerant. Ita, Camilli ævæ,
Sutrium

Sutrium est receptum, ac sociis restitutum. §. IV.

XII. *An etiam populi reddendi sibi? A.* Si sui fuerint juris ante vim injustam. Sic à Flaminio libertati redditæ Græciæ civitates, quas Macedones invaserant. *cit. §.*

XIII. *Quo tempore reddendi obligatio extinguitur inter ejusdem imperii cives? R.* Hoc definiendum est ex ipsorum legibus. §. V.

XIV. *An semper juxta illas extinguitur? A.* Si illæ internum jus concedunt; *N.* Si externo solo consistunt. *cit. §.*

XV. *Unde hoc patet? R.* Hoc colligendum est ex verbis & proposito legum prudenti inspectione. *cit. §.*

XVI. *Quo verò tempore extinguitur inter eos, qui alii aliis externi sunt? R.* Id ex solâ derelictionis conjecturâ definiendum. *cit. §.*

XVII. *Quid faciendum in causâ dubiâ? R.* Sequendum est Arati Sicyonii consilium, qui partim novis possessoribus persuasit, ut pecuniam accipere mallent, possessionibus cederent: partim

tim veteribus dominis, ut commodius putarent, numerari sibi, quod tanti esset, quam suum recuperare. §. VI.

CAP. XVII.

De his, qui in bello mediū sunt.

I.

IN quos jus bellicum exercere non possumus? R. In eos, qui extra bellum sunt positi. §. I.

II. *Quando jus aliquod in rem alienam nanciscimur?* R. Cum adest necessitas summa. *cit. §. add. L.II. C.II. qu. 4r.*

III. *Quid observandum, ubi de necessitate illā constet?* R. Non ultra sumendum, quam exigit: id est, si custodia sufficiat, non sumendum usum: si usus, non sumendum abusum: si abusu sit opus, restituendum tamen pretium. *cit. §. add. L.II. C.II. qu. 46. 47. & 48.*

IV. *An aliquid sumere licet à pacatis?* N. Nisi summa necessitas urgeat, quæ non subsit in ipso domino: nec ultra illam; & cum restitutione pretii: sic Moses, cum ipsum & populum summa urgeret necessitas transeundi per agros Idu-

Idumæorum, ait, se transiturum viâ regiâ, neque deflexurum in arva aut vineeta; & si vel aquâ ipsorum opus haberet, persoluturum se ejus pretium. *cit. §. I. & II.*

V. *Quomodo copiz per fines pacatorum sunt ducenda?* R. Ita, ut nullo detrimento afficiantur fruges, agri, urbes, homines. Sic de Gothis, Hunnis, Alanis, qui Theodosio mærebant, prædicatur: quod nullus tumultus, nulla confusio, nulla direptio à barbaris fuerit; quin si quando difficilior frumentaria res fuisset, inopiam Ipsum patienter tulisse, & quam numero arctarat annonam, comparcendo laxasse. *cit. §. II. n. 2.*

VI. *Sed quomodo hoc præstari potest?* R. Exactâ curâ provivus rerum necessarium, & benè solutis stipendiis, & vigore disciplinæ. Ejusmodi leges sunt: pacatorum terras non debere calcari: neminem pullum alienum rapere: ovem neminem contingere, uvam nullum auferre, segetem neminem deterere, oleum, sal, lignum neminem exigere. *cit. §. n. 3.*

VII.

VII. *Annon verò hac potius dicuntur pulchrè, quam præstari possunt?* N. Fieri enim posse, exempla modo allata probant populorum, qui id exactè præstiterunt, quibus accedat illud insigne, quod ex Scauro memorat Frontinus, pomiferam arborem, quam in sede castrorum fuerat complexa metatio, postero die abeunte exercitu intactis fructibus relictam. *cit. §. n. 2.*

VIII. *Sed tamen nonnulli milites Rom. in castris ad Sucronem, noctu pradatum in agrum circa pacatum ierunt?* R. Tunc omnia libidine ac licentia militum, nihil instituto ac disciplina militari gestum. *cit. §. n. 5.*

IX. *Quibus tenetur Rex, qui stipendia non solvit militibus?* R. Militibus, de damnis inde secutis: & subditis ac vicinis, quos milites inediâ coacti malè habuerunt. *cit. §. n. 6.*

X. *Quid est pacatorum officium circa bellantes?* R. Nihil facere, quo causam fovens improbam fiat validior, aut quo impediuntur motus justum bellum gerentis. *§. III. n. 1.*

XI. *Sires dubia sit?* R. Æquos sese
præ-

præbere utrisque in permittendo transitu, comœatu præbendo legionibus, obsessis non sublevandis; sic Romani Philippo Regi objiciunt, fœdus ab eò dupliciter violatum, & quod sociis populi Romani fecerit injurias, & quod hostes auxiliis & pecuniâ juverit. *cit. n.*

XII. *Quibus rebus amicitia maximè violatur?* R. His duabus, si socios meos pro hostibus habeas, si hostibus te conjungas. *cit. n.*

XIII. *Quis hostium numero est habendus?* R. Qui, quæ propriè ad bellum usui sunt, hostili exercitui subministrat. Ita M. Acilius Epirotis, qui milite Antiochum non juverant, sed pecuniam ei misisse insimulabantur, negavit, scire se, hostium an pacatorum numero eos habere deberet. *cit. §. n. 2.*

XIV. *Num expedit, cum utraq; parte bellum gerente fœdus inire?* A. Ita, ut cum utriusque bonâ voluntate à bello abstinere, & communia humanitatis officia utrisque exhibere liceat. *cit. §. num. 3.*

CAP. XIIX.

De his, qua in bello publico privatim fiunt?

I.

AN is, qui semel solutus sacramento militia, nullò habitò respectu, ad jurandum aliud, aliò tempore potest pugnare contra hostem, & an tutus est? R. Qui remanere vult, secundò obligari debet sacramento, quia priore amisso, jure cum hostibus pugnare non potest. Sic fecit Catonis Censorii filius, patre sic monente & scribente ad Ducem Exercitus Pompilium. §. I. n. 1. & 2.

II. An illi, qui miles non est, concessum est pugnare? R. Caveat sibi, ne prælium ineat; nam ei nullum est jus, quò miles non est, pugnare cum hostibus. cit. n. 1. & 2.

III. An, signo dato ad receptum, quis adstringitur servare vitam hostis? R. Inutilis dicitur, qui signum receptui datum negligit. Sic laudatur Chryfantas Cyri miles, qui hosti imminens enssem repressit, simul ac receptui canere audie-

audierat. Idem fecit Laco quidam, causam reddens, quod satiùs sit, præfectis parere, quam hostem occidere. *cit. n. 1. & 2.*

IV. *Unde suum ortum hoc habet?* R. Non ex Jure Gentium, sed Lege militari Romana. *cit. n. 2.*

V. *An licitum est privatim hostem occidere?* R. Sicut licitum est cuilibet rem hostilem occupare, ita & occidere: nam illo jure hostes pro nullis habentur. *cit. n. 2. & 3.*

VI. *An is aliquando potest puniri capitale, qui mandata militaria non servat?* A. Licet etiam res benè cesserit. *cit. n.*

VII. *Quomodò cognoscendum, quemdam non observasse mandata?* R. v. g. qui extra ordinem, sine Ducis imperio, in hostem pugnat; quique tardius revocatus prælio excedit. *cit. n.*

VIII. *Quid exinde oritur, & qualem habet exitum non parere?* R. Stationes deseruntur, aut, progrediente licentiâ, exercitus parsve ejus inconsultis præliis implicatur. *cit. n.*

IX. *An privatim hosti nocere licet?* R. Jure naturæ & interno, cuilibet concessum

cessum in bello justo ea facere, quæ parti innocenti, intra justum bellandi modum, confidit profutura. *cit. n. 2. & 3.*

X. *An Jure natura interno sibi res captas attribuere quis potest?* R. Res captas suas facere nequit; quia nihil ipsi debetur: nisi fortè pœnam justam exigat communi hominum Jure. *cit. n. 3.*

XI. *Quotuplex mandatum?* R. Aut generale, aut speciale. *cit. §. n. 4.*

XII. *Quid Generale?* R. Est, ubi Consul dicebat apud Romanos in tumultu: qui Rempublicam salvam vult, me sequatur. Imò quando singulis subditorum jus datur occidendi, extra etiam sui tutelam, si interest & expedit publicè. *cit. n.*

XIII. *Circa quid versatur speciale?* R. Non solùm circa homines, qui stipendia percipiunt, sed & qui suo militanti sumtu. *§. II. n. 1.*

XIV. *Quid respectu hostium licet his, qui suo sumtu militant, aut naves instruant?* R. Per internam justitiam, res hostiles sient eorum; ut tamen non excedatur modus, æquo arbitrato æstimandus. *cit. n. 1. & 2.*

XV.

XV. *An is, qui militat suo sumtu, loco mercedis sibi suas facere potest res captas?*

A. *cit. num. vid. E. III. C. IV. §. XXIV. n. 1. & 8.*

XVI. *Circa quid versatur quoad hanc Justitia interna?* R. Aut circa hostem, aut circa ipsam civitatem, cum qua contrahitur. *cit. n. 2.*

XVII. *An licitum est omnes res auferre hosti sub nullâ lege restituendi?* R. Hosti eripi potest possessio rerum omnium, quæ bellum alere possunt, securitatis causâ, sed hoc sub onere reddendi. *cit. num.*

XIX. *An nulla datur exceptio contra hanc redditionem?* R. Dominium ipsum, ad compensationem usque ejus, quod aut ab initio belli, aut ex postfacto civitati justum bellum gerenti debetur; si ve res sint civitatis hostilis, si ve singulorum, etiam per se innocentium. *cit. n.*

XIX. *Cur nocentibus possunt res auferri & adimi?* R. Ob pœnas in eos exercendas. *cit. n.*

XX. *Quid respectu sua civitatis?* R. Justum id erit, si contractui æqualitas

insit, hoc est, si sumtus & pericula tanti sint, quanti prædæ alca. §. III.

XXI. *Quomodo in his peccabitur adversus Christianæ religionis regulas?* R. Si appareat, talem prædationem non maxime nocituram hostium universitati, aut regi, aut fontibus; sed innocentibus, adeo, ut eos detrusura sit in maximas calamitates. §. IV.

XXII. *An licitum est prædari, si deprædatio, neq; ad finem bello imponendum, accedat, neq; ad hostium publicas vires accidendas ullum notabile habeat momentum?* R. Indignum est Christiano & probo homine, quæstum ex solâ temporum infelicitate facere. cit. §.

XXIII. *An, occasione belli publici, nasci potest bellum privatum?* A. Si quis in hostes incidit, & vitæ & rerum adit periculum. §. V.

XXIV. *Ad qua tenetur miles, aut alius, qui in bello justo adificia hostium incenderit, agros vastaverit, aut id genus damna dederit non iustus?* R. Ad damna refarcienda, si non fuerit necessitas, aut justa causa. §. VI.

XXV.

XXV. *Si justa causa fuerit?* R. Sux civitati tenebitur, cujus leges est transgressus: non hosti, cui nullam fecit injuriam. *cit. §.*

CAP. XIX.

De fide inter hostes.

I.

Quò pertinent hæcenus de bello dicta?
R. Ad formam modumque nudè spectatum. *§. I.*

II. *An adhuc aliquid restat?* A. Scil. quid juris sit, si promissum aliquod ab hoste antecesserit: vel si fidem hostes inter se dederint. *cit. §.*

III. *Quid cunctos, præcipuè verò duces, decet?* R. Religionis & fidei observantes esse atque haberi. *cit. §.*

IV. *Quare verò in pace aliisq; publicis conventionibus servandis maximè spectantur, qui justitia student?* R. Cum nemo sit, qui non hanc affectionem animi probet atque laudet, quâ non modò utilitas nulla quæritur, sed contra utilitatem etiam conservatur fides. *cit. §.*

V. *Quid publica fides inter hostes efficit?*

cit? R. Inter armatos facit inducias, de-
ditarum civitatum jura conservat. *cit.*
§. num. 2.

VI. *Quare fides hostibus promissa est
servanda?* R. Quoniam hostes qui sunt,
homines esse non desinunt. *cit. n.*

VII. *An fides debetur hostibus quibus-
vis?* A. Omnes enim homines, qui ad
rationis usum pervenerunt, capaces
sunt juris ex promisso; unde nascitur
obligatio, quæ jus novum confert ei,
cui promittitur. *cit. n. 2. & 3.*

IIX. *An non verò pari ratione, quâ bo-
sti falsum eloqui licet impune, hoc ad fi-
dem datam referri potest?* N. Nam ve-
rum eloquendi obligatio est ex causâ,
quæ belli fuit anterior, & bello tolli
fortè aliquatenus potest: at promissio
per se jus novum confert. *cit. n. 3.*

IX. *An in Tyranni uxorem adulterium
committitur?* A. Et hunc quidem erro-
rem quidam Judæorum magistri de ali-
enigenis dixerunt, quorum conjugia
pro nullis habebant. §. II. n. 1.

X. *Prædonibus etiam ac tyrannis?* A.
Quamvis enim non habent istam spe-
cialem communionem, quam jus gen-
tium

tium introduxit inter hostes, in bello solenni & pleno; quia tamen sunt homines, habent communionem juris naturalis, ex quo nascitur, ut pacta serventur. Sic belli piratici magnam partem Pompejus confecit pactionibus, vitam illis pollicitus, & sedes, in quibus sine rapto viverent: & tyranni libertatem interdum reddiderunt, impunitatem pacti. *cit. §. n. 2.*

XI. *Num, qui atrociter malefici sunt, neq; pars sunt civitatis, à quovis homine puniri possunt?* A. Si scil. jus naturæ respicimus; jure enim civili poenæ inflictio ad superioritatem territorialem, spectat. *§. III. add. L. II. C. XX. qu. 73.*

XII. *Qui puniri possunt, ut vitam amittant, num bis & res & jura sua possunt auferri?* A. Non est enim contra naturam, spoliare eum, si possis, quem honestum est necare. *cit. §.*

XIII. *An jus ex promisso conquistum, iis auferri potest in poenam?* N. Quia simulac cum iis, quæ talibus, actum est, simul quoque actum cum iis censeri debet de hac poenâ remittendâ. *cit. §.*

XIV.

XIV. *Qua interpretatio precipue sã-
menda? R. Quæ cavet, ne actus in va-
num recidat. cit. §.*

XV. *Num is, qui metu causam dedit
promisso, tenetur liberare promissorem?
A. Quia damnum dedit per injustitiam,
id est, pugnantem & cum naturã liber-
tatis humanæ, & cum naturã actus, qui
liber esse debuit. §. IV.*

XVI. *An hoc semper locum habet? N.
Sed tantum interdum, non igitur ad
omnia promissa prædonibus facta per-
tinet. Nam ut, cui promissum quid est,
ad liberandum promissorem teneatur,
opus est, ipse metu injusto promisso
causam dederit. cit. §.*

XVII. *An ergo, ut vinculis amicum ex-
imeret, pretium promittens tenebitur?
A. Huic enim metus illatus non est, qui
ad contrahendum spontè venit. cit. §.*

XIX. *Num iurijurandi religione acce-
dente is, qui injusta metu coactus promi-
sit, teneri poterit? A. Nam inde homo
homini non tantum, sed & DEO ob-
stringitur, adversus quem metus exce-
ptio non est. §. V.*

XIX. *An ex solo tali vinculo promitten-*

tis heres tenetur? N. Quia in heredem transeunt, quæ in humano sunt commercio ex primævâ dominii lege. At in his non est jus illud DEO quæsitum, quæ tale. *cit. §.*

XX. *Si quis fidem prædoni datam violat, an eo nomine pœnam debet apud gentes alias?* N. Quia prædonum odio placuit, gentibus ea dissimulare, quæ adversus eos etiam vitiosè committuntur. *cit. §.*

XXI. *An subditi bellum gerere possunt adversus Reges aliasq; summas potestates?* N. His enim, etiam si causam per se non injustam habeant, jus tamen per vim agendi deest. §. VI. *add. L. I. C. IV. per tot.*

XXII. *Si subditi bellent adversus superiores, an pœna potest opponi promisso?* N. Si cum iis actum sit quasi cum defectoribus ac rebellibus. *cit. §.*

XXIII. *Num servis quoq; fides est servanda?* A. Ita enim veterum pietas existimavit, crediditque Lacedæmonios iram divinam expertos, quod Tenarenses servos contra pacta occidissent. *cit. §.*

XXIV.

XXIV. *An metus illati exceptio & hic poterit elidi interposito jurejurando ?* A. Sic M. Pomponius Tribunus plebis jurejurando obstrictus servavit, quod L. Manlio metu coactus promiserat. *cit. §.*

XXV. *Cui competit jus supereminens domini ?* R. Civitati, & ejus nomine, à summam potestatem habente exercetur. *§. VII.*

XXVI. *Cum hoc jus spectet ad omnes res subditorum, an etiam ad jus expresso bellico natum ?* N. Hoc enim si concedatur, videntur inanes fore omnes tales pactiones, ac proinde belli, nisi per victoriam, finiendi spes nulla. *cit. §.*

XXVII. *Quando igitur proprie & reverè competit illud jus supereminens domini ?* R. Jus illud non competit promiscuè, sed quatenus communiter expetit; plerumque autem expetit pacta servari. *cit. §.*

XXVIII. *Quid in domini usu observandum ?* R. Ut compensatio postea fiat. *cit. §.*

XXIX. *Annon intercidunt pacta civitatis juramento sancita personarum mutatione ?* N. Hoc enim casu jusjurandum

dum quotannis est repetendum. Id enim si fiat, omninò ne publicæ quidem utilitatis causa recedendum à promisso erit. §. 118.

XXX. *An in causâ subditorum ipsa civitas quoq; potest obstringi?* A. Si ab ipsâ civitate pacta fanciantur jurejurando. Sic in leges suas Lycurgus jurare fecit Lacedæmonios, Solon Athenienses. cit. §.

XXXI. *An tunc à promissò recedi potest, utilitatis publicæ causâ?* N. Civitas enim cedere potuit de suo, & verba posunt esse ita aperta, ut nullam admittant exceptionem. cit. §.

XXXII. *Quas leges Romani sacratas appellabant?* R. Per quas ipse Populus Romanus religione obligabatur. cit. §.

XXXIII. *Quos veteres Juris Interpretes sacrosanctos appellabant?* R. Tribunos Plebis. cit. §. n. 2.

XXXIV. *Annon etiam Ædiles, Judices, Decemviros?* N. Quorum tamen, si cui noceretur; id non jure fieret. cit. n.

XXXV. *Quæ causa est discriminis?* R. Quod Ædiles atque alii lege solâ defendebantur: quod autem postremum Populus

pulus jussisset, id ratum erat. At Tribunos religio publica Populi Rom. tuebatur : nam jusjurandum intercesserat, quod ab his ipsis, qui juraverant, salvâ religione tolli non poterat. *cit. n.*

XXXVI. *An & tertio, qui metum non intulit, promissio validè fiet ?* A. Non enim scrutabimur, quid aut quatenus ejus interfit. Natura enim omnium hominum interest, ut hominibus aliis consulatur. §. IX.

XXXVII. *An, sicut de statu puro in purum, ita & de mixto in mixtum transiri pactis potest ?* A. Ita ut, subditi qui fuerant, incipiant summum Imperium habere, aut certè partem ejus, etiam cum libertate partis ejus vi tuendæ. §. X.

XXXIIX. *Num, quæ in bello, aut ejus finiendi causâ promittuntur, valida sunt ?* A. Adeò, ut ex causâ metûs illati invito eo, cui promissa sunt, in irritum deduci non possint. §. XI.

XXXIX. *An metûs exceptio locum habet in bello solenni, jure gentium ?* N. Metus enim, qui tali bello utrinque inferatur, quemque jus gentium non improbat, justus est ; aliàs enim talibus bel-

lis

lis nec modus nec finis posset imponi.
cit. §.

XL. *Quæ jura hostis in bello retinet?* R. Non tantum naturalia, sed & quædam ex gentium consensu orta. *cit. §.*

XLI. *An qui bello injusto paciscendo aliquid extorsit, illud, salvâ pietate, potest retinere?* N. Intus enim & ipsâ rei naturâ id injustum manet: neque interna hæc injustitia actus tolli potest, nisi ex novo & verè libero consensu. *cit. §. num. 2.*

XLII. *An omnis metus justus habetur in bello solenni?* N. Sed talis tantum, quem jus gentium non improbat: sic si quidpiam sit extortum stupri inferendi metu, aut alio terrore, contra datam fidem, ad talem metum jus gentium non porrigitur. *§. XII.*

XLIII. *An fides quoq; servanda perfidis hostibus?* A. Nisi conditio deficiat; aut alter non steterit parti pactorum; neque si justa compensatio opponatur. Sic Galba à Tribuno Plebis accusatus est, quod perfidiâ perfidiam ultus fuerat, trucidando foedifragos Lusitanos, novâ pactione deceptos. *§. XIII. n. 1. & 2.*

XLIV.

XLIV. *Quomodo verò quis potest perfidià vacare, nec tamen, quod promissit, implere?* R. Duobus modis: Defectu conditionis, & per compensationem. §. XIV.

XLV. *Num defectu conditionis verè liberatur promissor?* N. Sed eventus ostendit, nullam esse obligationem, ut quæ non, nisi sub conditione, contracta erat. *cit.* §.

XLVI. *Nam hùc referendus est casus, si prior alter non implevit, quod ex sua parte implere tenebatur?* A. Nam unius ejusdemque contractus capita singularia aliis inesse videntur per modum conditionis: quasi expressum esset, hæc ita faciam, si & alter faciat, quæ promissit. *cit.* §.

XLVII. *Quod si verò mens alia fuerit?* R. Tunc disertè solet poni, ut, si contra hanc aut illam partem quid fiat, cætera non eò minus rata maneant. *cit.* §.

XLIX. *Quando compensatio locum habet?* R. Si, quod nostrum est, aut quod nobis debetur, consequi aliter non possumus ab eò, qui nostrum habet, aut nobis

nobis debet, tantundem in re quavis accipere possumus. §. XV.

XLIX. *Num ergò id, quod penes nos est, retinere possumus?* A. Sive id sit corporale, sive incorporale. *cit.* §.

L. *An etiam, quod promissimus, præstari non poterit?* A. Si non amplius valet, quàm res nostra, quæ sine jure est penes alterum. *cit.* §.

LI. *Ubi porrò locum invenit?* R. Si ex alio contractu is, qui cum negotium est, plus aut tantundem debet, idque ego aliter consequi non valeo. Si, qui promissum urget, non contraxerit, sed damnum dederit. Id quod ex poenâ debetur, ei, quod promissum est, potest contribui. §. XVI. XVII. & XIX.

LII. *Potestne bello adhuc manente compensari?* N. Negotii enim natura, ne nihil actum sit, ostendit, convenisse sepositis belli controversiis. Nam alioqui nulla esset pactio, quæ non posset cludi. §. XIX. n. 1.

LIII. *Quæ possunt compensari cum eò, quod promissum est?* R. Si quid alter debeat, quamvis ex aliò contractu inter bellum inito; si damnum dedit induciarum

arum tempore, legatos violavit, aliudve fecit, quod jus gentium damnat inter hostes. *cit. §. n. 2.*

LIV. *Inter quas personas fieri debet compensatio?* R. Inter easdem, ne jus tertii cujusquam lædatur; ita tamen, ut subditorum bona pro eo, quod civitas debet, jure gentium obligata intelligantur. *cit. §. n. 3.*

LV. *Num etiam fœderibus standum, post aliquid injuria acceptum?* A. Hoc enim generosi est animi; quo nomine, sapiens Indus Jarchus laudabat Regem, qui læsus à vicino fœderato non discessit à jurata fide, ajens, tam sanctè se jurasse, ut alteri ne post acceptam quidem injuriam nociturus esset. *cit. §. n. 4.*

CAP. XX.

De fide publica, quæ bellum finitur: ubi de pacis pactione, sorte, certamine, condicito, arbitrio, deditioe, obsidibus, pignoribus.

I.

Quotuplex est fides inter hostes? R. Duplex, expressa, aut tacita: illaque publica, aut privata. §. 1.

II.

II. *Quotuplex publica?* R. Duplex, potestatum summarum, aut inferiorum: illa bello finem imponit, aut eo manente vim habet. *cit. §.*

III. *Quenam spectantur in his, qua bellum finiunt?* R. Principalia & accessiones. *cit. §.*

IV. *Qua dicis principalia?* R. Quae bellum finiunt, sive actu suo, ut pactiones; sive ex consensu ad aliud relato, ut sortes, praelii exitus, arbitrii pronuntiatio, quorum illae mere sunt fortuitae, alia duo casum temperant cum viribus animi aut corporis, aut cum facultate judicante. *cit. §.*

V. *Quorum est inire pactiones bellum utrimque publicum finientes?* R. Eorum, quorum est bellum, qui scilicet jus habent exercendi summi imperii. Rei enim suae quisque moderator est. *§. II.*

VI. *Cujus igitur in statu verè regio?* R. Regis, si jus habeat non impeditum. *cit. §.*

VII. *An etiam regis infantis, furiosi, captivi, exsulis?* N. Cum ad hoc requirantur iudicii maturitas, integritas, libertas: sic Regulus recusabat sententi-

am dicere in Senatu, dicens, se non esse senatorem, quamdiu teneretur hostium jurejurando. §. III. n. 1. & 2.

IX. Quale jus habet Rex, cujus regnum ex consensu Populi ortum habet?
R. Hoc casu jus totum non est penes ipsum, sed exercitio & quasi tutela penes Populum aut eum, cui id Populus commiserit. *cit. n. 1.*

IX. Cujus in statu procerum? R. Majoris partis consilii publici. §. IV.

X. Cujus in statu populi? R. Majoris partis civium sententiæ dicendæ jus habentium. *cit. §.*

XI. Num Reges Imperium aut omne, aut ejus partem, paciscendo alienare possunt? N. Plerique enim hodiè regnum non habent in patrimonio, sed tanquam in usufructu. §. V.

XII. Num lege publica Regum actus in futurum planè irriti reddi possunt, ita ut nec ad id, quod interest, obligationem pariant? A. Antequam scil. regnum accipiant, quo tempore populus adhuc ipsis superior est. *cit. §.*

XIII. Unde verò populos id voluisse credibile est? R. Ne alioqui, si ad id, quod

quod interest, salva esset actio contrahenti, subditorum bona pro debito Regis caperentur, ac sic de non alienando imperio vana esset cautio. *cit. §.*

XIV. *Quomodo imperium validè alienatur, pacis causâ?* R. Si adsit consensus totius populi; qui per ordines expeditur. *cit. §. n. 2.*

XV. *Quomodo pars aliqua?* R. Si non tantum corpus consentiat, sed & ea pars: ut quæ invita nequeat avelli. *cit. num.*

XVI. *Quando pars ipsa validè in se imperium transcribit, sine Populi consensu?* R. In summâ atque aliâ inevitabili necessitate, quia eam potestatem credibile est exceptam, cum societas civilis coita est. *cit. n.*

XVII. *An regnum patrimoniale alienari potest?* A. Fieri tamen potest, ut talis Rex partem aliquam imperii alienare non valeat, si nempe regnum sub onere ejus non dividendi in proprietatem acceperit. *cit. §. n. 3.*

XIIX. *Num bona regni in patrimonium Regis venire possunt?* A. Idque duobus

bus modis: aut separabiliter, aut individue cum ipso regno. *cit. n.*

XIX. *Quid si individue?* R. Transcribi poterunt, sed non nisi cum regno. *cit. num.*

XX. *Quid si separabiliter?* R. Scorsim transcribi possunt. *cit. n.*

XXI. *Quomodo promisso Regis populus ac simul successores obligantur?* R. Quatenus obligandi potestas sub imperio comprehensa est. §. VI.

XXII. *Num hoc in infinitum protrahi, & ad angustias nimias arctari debet?* N. Ita enim debet intelligi, ut valeat, quod probabili ratione nititur. *cit. §.*

XXIII. *Quid si Rex simul subditorum dominus sit, neq; tam civile, quam familiare imperium acceperit?* R. Hic jus præter regium accedens efficit, ut ex eò consistat, quod alioqui per se solo regio jure consistere non posset. *cit. §.*

XXIV. *Quid in res singulorum possunt pacis causa statuere, qui Reges sunt, nec in res subditorum aliud jus habent, quam regium?* R. Res subditorum sub eminenti dominio sunt civitatis, ita ut civitas, aut qui civitatis vice fungitur, iis rebus

rebus uti, easque etiam perdere & alienare possit. §. VII. *add. L. II. C. XIV. qu. 22. & seqq.*

XXV. *Quando verò id licet?* R. Non tantum si summa adsit necessitas, quæ privatis quoque jus aliquod in aliena concedit, sed etiam si id exoptulet publica utilitas, cui privatas cedere illi ipsi voluisse censendi sunt, qui in civilem cœtum coierunt. *cit. §. add. L. II. C. II. qu. 44.*

XXVI. *Quomodo regni bona?* R. Si sint in regis patrimonio, aut si adsit consensus legis vel moris. *cit. §. n. 4.*

XXVII. *An subditorum res pace concedi possunt ob utilitatem publicam?* A. Sed civitas tenetur de publico damnum sarcire his, qui suum amittunt: æquum enim est, ut ea communia sint, quæ societatis causâ contingunt. *cit. §. n. 1. & 2. & §. II. X.*

XXIX. *Num hoc onere levabitur civitas, si nunc fortè ei præstationi par non sit?* N. Sed quandocumque copia suppetit, exeret sese quasi sopita obligatio. *cit. n. 2.*

XXIX. *Debetne etiam civitas indistin-*

Et agnoscere damnum illud, quod jam bello datum est, eò, quod jus belli talia permittat? N. Nam jus illud belli populos alios spectat, partim & hostes inter se, non cives inter se, qui jure societatis communia damna habere debent. conf. l. 52. §. 4. ff. pro soc. §. 11X.

XXX. Num lege civili & hoc constitui poterit, ut rei bello amissa causa nulla adversus civitatem actio sit? A. Ut sua quisque eò acriùs defendat. cit. §.

XXXI. An non aliqui discrimen collocant inter ea, quæ civium sunt ex Jure gentium, & ea, quæ eorundem sunt ex Jure civili? A. Ita quidem, ut in hæc jus laxius Regi concedant, etiam auferendi sine causa & compensatione, in illa non item. §. IX.

XXXII. Num verò benè se habet hac distinctio? N. Nam dominium ex qualicumque licet causâ ortum sit, suos semper effectus habet ex ipso jure naturali, ut scil. auferri nequeant, nisi ex causis, quæ aut dominio insunt suapte naturâ, aut ex dominorum facto ortum habent. cit. §. add. l. 11. C. XIV. qu. 22. & seqq.

XXXIII.

XXXIII. *An externis eum Rege contra-*
bentibus sufficit factum regis? A. Ob
præsumtionem, quam personæ dignitas
secum adfert: & jus gentium, quod
bona subditorum obligari patitur ex fa-
cto regis. §. X.

XXXIV. *Quæ est regula generalis in-*
interpretandâ pace? R. Quò quid plus
habet favoris, eò laxius id accipiendum;
quò longius abit, eò strictius. §. XI. *add.*
L. II. C. XVI. qu. 26. & seqq.

XXXV. *Si quæ sint ambigüè posita?* R.
Jure naturæ, justa habens arma conse-
quitur id, ob quod arma sumsit, damna-
que & sumtus recuperat; in eo quippe
summus est favor, ut suum quisque con-
sequatur. *cit. §.*

XXXVI. *Num item, ut pœnæ nomine,*
quicquam lucretur? N. Id enim est odi-
osius. *cit. §.*

XXXVII. *Cum ad pacem veniri vix so-*
leat injuria confessione, quenam sumen-
da est in pactis interpretatio? R. Ea, quæ
partes, quoad belli justitiam, quam
maximè æquet. *cit. §. n. 2.*

XXXIIX. *Incommodum autem alteri*
est injuriam confiteri? R. Ideò possessio

turbata componi solet, aut res manere jubentur, quo sunt loco; hoc autem facilius est illo, nullam inducens mutationem. *cit. n. & §. XII, n. 1.*

XXXIX. *Quomodo hoc interpretandum?* R. Ut transfugæ non reddantur, nisi convenerit: res maneant penes tenentem; agri clausi munitionibus; incorporalia, per res, quibus adhærent, aut personas, quorum sunt. *cit. §. n. 1. & 2.*

XL. *Quomodo illud tenere sumitur?* R. Non civiliter, sed naturaliter: in bellis enim sufficit facti possessio, nec alia attenditur. *cit. n. 2.*

XLI. *Quomodo tenentur agri?* R. Si munitionibus quibusdam clausi sunt: nam temporaria infessio, ut per stativæ, hic non spectatur. *cit. n. add. L. III. C. VI. §. 4. n. 1.*

XLII. *Quomodo tenentur incorporalia?* R. Non nisi per res, quibus adhærent, aut per personas, quarum sunt; dumne in solo, quod hostium fuit, exercenda sint. *cit. n.*

XLIII. *Si omnia restituenda in eum statum, quo fuerunt ante bellum?* R. Possessio

fessio respicitur ultima, quæ fuit ante bellum. §. XIII.

XLIV. *Quomodo verò id fit?* R. Ita ut privatis dejectis interdicto aut vindicatione apud judicem experiri liceat. *cit.* §.

XLV. *An restitutio porrigitur ad eos, qui suâ spontè sese alicui subjecerunt, cum essent sui juris?* N. Hæc enim tantum pertinent ad ea, quæ facta sunt vi, metu, aut dolo non licito nisi in hostem: sic pace inter Græcos factâ, Thebani retinuerunt Plataeam, quæ liberâ voluntate in eorum ditionem venerat. §. XIV.

XLVI. *Si nihil aliud convenerit?* R. Omni pace id actum censeri debet, ut, quæ bello data sunt damna, eorum nomine actio non sit. §. XV.

XLVII. *An remissa censentur omnia damna bello data?* A. Etiam privata: nam & hæc inter effecta belli sunt. *cit.* §.

XLVIII. *Sed unde hoc concludi potest?* R. Exinde, quod in dubio ita censeantur contrahere voluisse bellantes, ut neuter injustitiæ damnaretur. *cit.* §.

XLIX. *An etiam quæ privatim debebantur ante bellum?* N. Hæc enim jure belli

belli non sunt quæsitæ, sed vetita tantum bello exigi: adeoque vim suam retinent impedimento sublato. §. XVI.

L. *Cur jus, quod ante bellum fuit, tam facile nemini adimi debet?* R. Hanc maxime ob causam, ut sua tenerentur, idcoque etiam Respublicas civitatesque constitutas esse dixit Cicero. *cit.* §.

LI. *De quonam verò jure id intelligis?* R. De eo, quod ex rerum inæqualitate nascitur. *cit.* n.

LII. *An jus ad pœnas?* A. Quatenus versatur inter ipsos reges aut populos; ne pax non satis pax sit, si veteres causas ad bellum relinquat. §. XVII.

LIII. *An jus privatorum?* N. Quia hoc sine bello potest expediri judiciis. §. XVIII.

LIV. *Attamen hoc jus non ita nostrum est, ut quod ex inæqualitate nascitur, & pœna semper aliquid odii habent?* R. Levis verborum conjectura sufficit, ut hoc quoque donatum intelligatur. *cit.* §.

LV. *An jus controversum, quod ante bellum obtendebatur?* A. Ut evellantur semina belli. §. XIX.

LVI. *An*

LVI. *An reddenda, quæ captæ sunt post perfectas pactiones?* A. Jus enim belli jam sublatum erat. §. XX.

LVII. *Quæ sunt tenenda regula de pacto reddendarum rerum?* R. Conditiones mutuae laxius sunt interpretandæ, quàm claudicantes: plus favoris habent agentes de hominibus, quàm de rebus; de agris, quàm de mobilibus; existentes penes publicum, quàm penes privatos; privatae possessæ titulo lucrativo, quàm oneroso. §. XXI.

LIIX. *De fructibus?* R. Cui pace conceditur res, ei & fructus, percipiendi à tempore concessionis, non retrò; sic Pompejus concessâ sibi Peloponeso, malè vindicabat tributa pro exactis annis debita. §. XXII.

LIX. *De nominibus regionum?* R. Ea accipienda ex temporis præsentis usu; non tam vulgi, quàm peritorum. Nam à peritis negotia talia tractari solent. §. XXIII.

LX. *Relatione ad pactum antecedens, aut vetus?* R. Repetitæ censentur priori pacto expressæ qualitates, aut conditiones: & pro faciente habendus, qui
facere

facere voluit, si per alterum stetit, quo minus fieret. §. XXIV. *add. l. 39. ff. de R. J.*

LXI. *An mora purgatio intra breve tempus admittitur?* N. Nisi improvisa necessitas impedimento fuerit. §. XXV.

LXII. *Attamen canones nonnulli purgationi tali favent?* R. Hoc mirum non est, cum eorum officium sit, Christianos ad ea permovere, quæ charitati mutuz conveniunt. *cit. §.*

LXIII. *Quid hic de pactis interpretandis quarimus?* R. Non quid melius sit, imò nec quid à quoque religio & pietas exposcat, sed ad quid cogi possit, quod totum versatur in eo jure, quod externum dicitur. *cit. §.*

LXIV. *Contra quem facienda est interpretatio, in sensu dubio?* R. Contra eum, qui conditiones eloctus est: habet enim quod sibi imputet, qui non locutus est apertius. §. XXVI. *add. l. 39. ff. de pact.*

LXV. *Num alter, quod plures sensus recipiebat, id suo jure accipere potuit in partem sibi utiliore?* A. Unde alienum non est, quod Aristoteles dixit: Ubi utili-

utilitatis causa amicitia est, ibi ejus, qui accipit, utilitas ejus, quod debetur, mensura est. *cit.* §.

LXVI. *Num idem est novam bello causam præbere & pacem rumpere?* N. Multum enim inter hæc interest, tum ad committendam pœnam à peccante, tum ad liberandam in cæteris fidem ejus, in quem peccatum est. §. XXVII.

LXVII. *Quot modis rumpitur pax?* R. Faciendo contra id (1) quod omni paci inest. (2) quod in pace dictum est apertè. (3) quod intelligi debet ex pacis cujusque natura speciali. *cit.* §.

LXVIII. *Quo casu rumpitur primo modo?* R. Si vis bellica inferatur, sine novâ causâ. §. XXVIII.

LXIX. *Quod si verò quadam probabiliter afferri possit?* R. Satiùs est, injuriam sine perfidia, quam cum perfidia admissam credi. *cit.* §.

LXX. *Si id socii fecerint?* R. Ex alienò factò nemo fit obnoxius pœnæ, sed pacis ruptæ tenebuntur vim inferentes, non adjuvantibus aliis: ac in eos jus erit bellandi, non in alios. §. XXIX.

LXXI.

LXXI. *Si subditi, sine jussu publico?* R. Videndum, an privatorum factum publicè probetur, ex scientiâ, puniendi potentiâ, & neglectu. §. XXX.

LXXII. *Qui ex scientiâ?* R. Hanc evincunt facta manifesta, aut denunciata. *cit.* §.

LXXIII. *Potentiâ?* R. Hæc præsumitur, nisi appareat rebellio. *cit.* §.

LXXIV. *Neglectu?* R. Hunc ostendit elapsus temporis spatium, quale in quacunque civitate sumi solet ad crimina punienda. *cit.* §.

LXXV. *Si subditi militent aliis?* R. Rectius id non permittitur, nisi probabilibus argumentis appareat actum aliud: sic Ætolis in more erat ex omni prædâ prædam sumere. §. XXXI.

LXXVI. *Si subditis nocitum, sine novâ causâ?* R. Pax censetur rupta; quæ ideo initur, ut omnes subditi sint tuti: est enim actus civitatis pro toto, & pro partibus. §. XXXII.

LXXVII. *Num per pacem licebit se suaque defendere, si nova causa subsit?* A. Naturale enim hoc, ut ait Cassius l. 1. §. 27. ff. de vi & vi arm. arma armis repellere:

lere: ideo inter pares abdicatum non est, ut facile credatur. *cit. §.*

LXXIIX. *An statim ulcisci licet, aut per vim recuperare ablata?* N. Nisi postquam iudicium fuerit negatum. *cit. §.*

LXXIX. *Quid statuis de piratis, in quos iudicium postulari non potest?* R. Ab his & res recuperare & ultionem exposcere licebit, tanquam à deditis, *cit. §. n. 2.*

LXXX. *Quod si ipsi socii non pepigerint, sed alii pro ipsis?* R. Idem statuendum erit, postquam satis constat, eos socios pacem ratam habuisse. Nam, quamdiu adhuc incertum est, an ratam habere velint, hostium loco sunt. *cit. n.*

LXXXI. *An si sociis nocitum?* A. Sed qui in pace comprehensi sunt. §. XXXIII. *num. 1.*

LXXXII. *Si sociis aliis, cognatis, affinitibus, non subditis, nec in pace nominatis?* R. Horum causa separata est, nec ad pacem ruptam vis in eos trahi potest. *cit. §. n. 2.*

LXXXIII. *Qui pax rumpitur secundo modo?* R. Faciendo, aut non faciendo quod, & cum oportet. §. XXXIV.

LXXXIV.

LXXXIV. *Si sit minoris momenti ?* R. Pace comprehensa satis magna videri debent, ut seruentur. Christiana verò bonitas leviores culpas faciliè condonabit, præsertim accedente pœnitentiâ. §. XXXV.

LXXXV. *Quomodo paci cavetur circa talia ?* R. Addendo, pacem non rumpi, si quid adversus talia factum erit : aut prius debere arbitros adiri, quàm arma inferre liceat ; sicut in fœdere Peloponnesiaco conveniebant. *cit.* §.

LXXXVI. *Quando hoc omninò actum videtur ?* R. Si specialis pœna sit adjecta. §. XXXVI.

LXXXVII. *An non potest ita contrahi, ut electio sit ejus, cui facta est injuria, pœnam malit, an à transactione recedere ?* R. Natura tamen negotii hoc, quod prius dictum potius requirit: Illud quidem constat, pacem non rumpere, qui pactis simpliciter factis posterior non stat : neque enim tenebatur, nisi sub conditione. *cit.* §.

LXXXVIII. *Si res perierit, aut ablata sit, aut quid aliud impediatur impleri promissa ?* R. Pax non censetur rupta, sed exple-

expletio est expectanda, æstimatio accipienda, æquivalens præstandum, alio modo satisfaciendum. §. XXXVII.

LXXXIX. *Num post lasam fidem integrum est innocenti pacem servare?* A. Quia contra obligationem faciendæ nemo se obligationi eximit. §. XXXIX.

XC. *Quid si additum est, ut tali facta pax rupta habeatur?* R. Adjectum id censeri debet in commodum innocentis duntaxat, si eò uti velit. *cit.* §.

XCI. *Quæ pax rumpitur tertio modo?* R. Faciendo contra amicitiam, sub cuius lege contracta est. §. XXXIX. & XL.

XCII. *Quæ pugnant cum amicitia?* R. Injuriam & contumeliam: atroces minæ, nullam novam causam præcedente: arces in finibus structæ, non tuendi, sed nocendi causam: insolita copiarum conscriptio, quæ comparata appareat in eum, quicum pax est facta. *cit.* §. XL. n. 3.

XCIII. *An injuria facta personæ conjuncta, aut subdita, censetur facta ei, quicum pax est?* N. Nisi apertè facta sit ad ipsius sugillationem; sic adulterium, aut stuprum, libidini potius imputabitur, quam inimicitiam: & rei alienæ invasio

novæ rerum cupiditati potius, quam
læfæ fidei. *cit.* §. n. 2.

XCIV. *An contra amicitiam est recipere subditos & exules?* N. Si Singuli fuerint; nisi ex sacramento, aut aliter debeant ministerium aut servitutem. A. Si oppida, aut magni cœtus. §. *XXI. n. 1. & 2.*

XCV. *An bellum licet dirimere sorte?* R. Non semper; nam ad subditos defendendos rectores arctius obligantur, quam ut omittere possint ea, quæ ad tutelam naturaliter requiruntur. §. *XLII.*

XCVI. *Quando igitur?* R. Cum de re agitur in quam habemus plenum dominium. *cit.* §.

XCVII. *Cui licet offerre sortem?* R. Qui injusto bello petitus tanto est inferior, ut nulla sit ei spes evadendi: quo certum periculum evadat incerto. *cit.* §. *add. L. II. C. XXIII. qu. 17.*

XCIX. *An condicto certamine?* A. Jure gentium externo; sic inter singulos, Æneam ac Turnum; binos, Ætolos & Eleos; ternos, Horatios & Curia-cios; tricenos, Lacedæmonios & Argi-
vos.

Vos. §. XLIII. *conf. L. II. C. XVI. qu. 14. L. II. C. XXIII. qu. 17.*

XCIX. *An ex justitiâ externâ talia certamina sunt licita?* A. Hostium enim eadem jus gentium externum indiscretè permittit. *cit. §. n. 2.*

C. *An ex justitiâ internâ?* N. Quia nemo vitæ suæ dominus est: & totis viribus nitendum pro salute multorum innocentium. *cit. §. n. 3.*

CI. *An aliquo casu hoc justum esse potest?* A. Ab unâ parte; si alioquî sit omninò expectandum, ut injustam causam fovens victor fiat, cum magnâ strage innocentium; sic Assyrium regem Cyrus provocavit, & Heraclius pugnavit cum Cosroë. *cit. §. n. 4. & 5.*

CII. *Nihil tamen ei imputandum est, qui mavult ea ratione certare, quæ spem ipsi maxime probabilem ostendat?* R. Sed & hoc infiniul taceri non potest, quædam, quæ non rectè sunt, ab aliis tamen rectè non probari, sed permitti, ut graviora mala, quæ aliter vitari non possunt, vitentur. Quomodo multis in locis tolerantur & improba fœnora, & impudicitiam professæ mulieres. *cit. n. 4.*

CIII. *An hic factum regis obligat populum?* N. In non patrimonialibus; sed ut pactio valeat, necessum est accedat consensus populi; & si qui jam nati jus habent ad successionem. §. XLIV.

CIV. *Qui victi censentur in tali pralio?*
R. Qui aut omnes occubuerunt, aut in fugam dati sunt, sequae in fines aut oppida recepere. §. XLV.

CV. *An non v. g. spolia legere, cadauera ad sepulturam concedere, pralio iterum laceffere, ut signa ponuntur victoriae?*

R. Cuncta haec per se nihil probant, nisi quatenus cum aliis indiciis valent ad docendam hostium fugam. Et certè, qui loco cessit, in dubio magis est, ut fugisse credatur. *cit.* §. n. 3.

CVI. *Quot sunt arbitrorum genera?*

R. Proculus duo esse scribit; unum ejusmodi, ut, sive æquum sive iniq̄um, parere debeamus, quod observatur, cum ex promissō ad arbitrum itum est; alterum ejusmodi, ut ad boni viri arbitrium redigi debeat. *l.* 76. *ff. pro Soc.* & *l.* 30. *ff. de oper. libert.* §. XLVI.

CVII. *An in d. l. 30. jurisjurandi interpretatio, ut Romanis legibus induci potuit,*

it, ita verborum simplicitati, per se spectatae, convenit? N. Illud tamen verum manet, utrovis modo arbitrum sumi posse, aut ut conciliatorem tantum, aut ut cujus dicto parendum omninò sit. cit. §.

CIIX. Annon verò lex civilis statuere potest de talibus arbitris in quos commissum est, cum alicubi statuerit, ut ab iis provocare & de injuria queri liceat? R. Hoc tamen inter Reges & populos locum habere non potest. Nulla enim hic est potestas superior, quæ promissi vinculum aut impediatur aut solvat. cit. §. num. 2.

CIX. Num standū est ejus sententia, sive equum sive iniquū pronunciauerit arbitrer? A. Summum enim quisq; causæ suæ judicem facit, quemcunque eligit. cit. n.

CX. Quid in arbitri officio spectandum? R. An electus sit in vicem judicis, an cum laxiore quadam potestate, quæ arbitri debet esse propria. §. XLVII. num. 1.

CXI. Quare melior videtur conditio causa bona, si ad judicem, quam si ad arbitrum mittitur? R. Quia illum formula

la includit, & certos, quos non excedat, terminos ponit; hujus libera & nullis adstricta vinculis religio & detrahere aliquid potest & adjicere, & sententiam suam, non prout lex aut justitia svadet, sed prout humanitas & misericordia impulit, regere. *cit. n.*

CXII. *Quid de hac re prodidit Aristoteles?* R. Hic æqui & commodi hominis esse dicit; malle ire ad arbitrum, quam in jus, rationem adjicens. Nam arbiter id, quod æquum est, respicit; judex legem: imò arbiter ejus rei causâ repertus est, ut valeret æquitas. *cit. num.*

CXIII. *Quid hoc loco æquitas significat?* R. Non propriè partem illam justitiæ, quæ legis fonum generalem ex mente auctoris adductius interpretatur, (nam hæc & judici commissa est) sed omne id, quod rectius fit, quam non fit, etiam extra justitiæ propriè dictæ regulas. *cit. §. n. 2.*

CXIV. *Si non sint firma victoria signa?* R. Res manet eo loco, quo erat ante prælium: atque ad bellum aut novas pactiones redeundum. *cit. n.*

CXV.

CXV. *An arbitri, quibus controversia dirimenda conceditur, intelliguntur juri adstringi?* A. Summam enim potestatem obtinentes censendi sunt eos adstrinxisse iis regulis, quibus officium judicis adstringi solet: quia non habent judicem communem. *cit. n.*

CXVI. *An eorum est pronunciare de possessione?* N. Sed de negotio principali; nam possessionis judicia sunt juris civilis. §. XLIX.

CXVII. *An innovare aliquid licet, dum causa cognoscitur?* N. Tum ne præjudicium fiat, tum quia difficilis est recuperatio. *cit. §.*

CXIX. *Quæ est pura deditio?* R. Quæ dedentem se facit subditum, summam potestatem deferens ei, cui fit deditio. §. XLIX. n. 1.

CXIX. *Quæ est vis ejus, respectu victi?* R. Ut hic nihil non patiendum habeat; quippe jam subditus: & ei nihil non eripi possit, vita, libertas, bona publica & singula. *cit. §. n. 2.*

XX. *Quid intelligitur hisce locutionibus, tradere se in fidem, tradere in fidem & clementiam?* R. Nihil aliud, quam

deditio mera : neque fidei nomen apud Livium multis in locis aliud significat, quam ipsam probitatem victoris, cui se victus committit. *cit. §. n. 3.*

CXXI. *Num refert, si dedens se dicat, se dedere alterius sapientia, an moderati-
oni, an misericordia?* N. Hæ enim omnia blandimenta sunt : res manet, ut victor arbiter fiat. *cit. §. n. 5.*

CXXII. *Quid est victoris officium circa eos, qui sic se dedunt?* R. Spectare, ne quid injustè faciat : neminem occidere, nisi id suo facinore meritum : nihil auferre, nisi in pœnam justam : propendere ad clementiam & liberalitatem, intra modum, quem securitas patitur ; sic Cæsar Octavius Antonio dicebat, cum te & amicos, & exercitum arbitrio nostro permittas, demis mihi iram : ideoque quid me facere par sit, præferam eo, quod vos dignum est pati. §. L. *num. 1. & 2.*

CXXIII. *Quæ sunt accessiones pactio-
num?* R. Obsides & pignora. §. LII.

CXXIV. *Quomodo dantur obsides?* R. Aut sua voluntate, aut ejus, qui imperium habet. Nam in summo civili imperio

perio comprehenditur & jus in actiones subditorum, ut in bona. *cit.* §.

CXXV. *Ad quid tenetur hoc casu civitas aut ejus rector?* R. Incommodum illud ei, qui patitur, aut ejus proximis repensare; & si plures sint, quorum, quis obses erat Reipubl. nihil interfit, danda opera videtur, ut forte res dirimatur. *cit.* §.

CXXVI. *Num dominus feudi jus hoc in vasallum habet?* N. Nisi idem sit subditus: neque enim reverentia & obsequium, quæ debet, huc usque pertingunt. *cit.* §.

CXXVII. *Num Jure gentium obsides interfici possunt?* A. Jure scil. gentium externo. Non etiam interno, nisi par ipsius culpa accedat. §. LIII.

CXXIIX. *Num Jure gentium bona habere & heredibus relinquere possunt?* A. Quanquam Jure Rom. cautum est, ut bona eorum in fiscum cogantur. l. 31. ff. de Jur. Fisc. *cit.* §.

CXXIX. *Quæ sunt conditionate deditiones?* R. Consulentes singulorum vitæ, libertati, bonis; aut universitati. §. LI.

CXXX.

CXXX. *An obsidi fugere licet?* A. Nisi fidem dederit, quo laxiùs haberetur. §. LIV.

CXXXI. *Num videtur is animus fuisse civitatis obligandi civem, ne aufugeret?* N. Sed hosti dandi facultatem, qualis vellet, custodia. Et sic defendi potest Clælia factum. Sed etsi ipsa nihil peccaverat, civitas tamen recipere & retinere obsidem non poterat. *cit.* §.

CXXXII. *Quare odiosa est obsidum obligatio?* R. Tum quia libertati est inimica, tum quia ex facto alieno venit. Ideoque stricta interpretatio hic locum habet. §. LV.

CXXXIII. *An obses rectè retinetur in aliam causam?* N. Nisi in alia causa sit fides violata: non tamen ut obses, sed ut civis alius. *cit.* §.

CXXXIV. *An obses liberatur, mortuo eo, pro quo venit, ut redimat captivum, aut obsidem?* A. Jus enim pignoris extinctum est in eo, dum moritur. l. 15. ff. de Captiv. & Postlim. Sic Demetrius, cognitâ morte fratris, senatum Romanum adiit, dicens obsidem se venisse, fratre

fratre vivo; at eo mortuo, se ignorare
cujus esset obses. §. LVI.

CXXXV. *An adhuc tenetur obses, Rege, qui fœdus fecit, mortuo?* R. Hoc pendet ab eo, an fœdus habendum sit personale, an reale. Nam accessoria non possunt efficere, ut in principali interpretatione à regula recedatur; ejus autem naturam & ipsa sequi debent. §. LVII.

CXXXVI. *An & obsides interdum non sunt accessio obligationis, sed revera pars principalis?* A. Nimirum cum quis ex contractu factum promittit non suum, & quia, eo non præstito, tenetur ad id, quod interest, ejus vice obsides obligantur. §. LIX.

CXXXVII. *Num obsides etiam sine consensu suo alterum ex facto alterius possunt obligari?* N. Quia sententia hæc non dura solum est, sed & iniqua. §.

CXXXVIII. *Quatis est obligatio pignorum?* R. Hæc illud cum obsidibus habent commune, quod & ex alio jure debito retineantur, nisi data fides obstet. §. LIX.

CXXXIX.

CXXXIX. *Quid proprium?* R. Quod non tam strictè sumatur pactio, quæ de iis est, quàm illa de obsidibus; quia odium est inæquale. *cit. §.*

CXL. *Num ullum tempus id efficere potest, ne luitio sit pignoris, si id preste- tur, pro quo pignus suppositum est?* N. Nam qui actus causam veterem & novam habet, non creditur ex nova procedere. Ideò patientia debitoris veteri contractui, non derelictioni, imputatur, nisi certæ conjecturæ aliam interpretationem expriment: ut si quis, luctu cum vellet, impeditus id silentio transmisisset tanto tempore, quod ad consensus conjecturam sufficere possit. §. LX.

CAP. XXI.

De fide manente bello: ubi de induciis, comæatu, captivorum redemptione.

I.

AN à summis potestatibus concedi solent quædam belli commercia? A. Qualia sunt induciæ, comæatus, captivorum redemptio. §. I.

II.

II. *Quid sunt inducie?* R. Conventio, per quam ad tempus abstinendum est actibus bellicis, ipsò belli statu manente. *cit. §.*

III. *Cur dicitur bello manente!* R. Quia inter bellum & pacem nihil est medium; & bellum status est nomen, qui potest esse, etiam cum operationes suas non exferit. *cit. §. add. L. I. C. I. qu. i. seqq.*

IV. *Num, si quid convenit, ut belli tempore valeat, id per inducias quoque valet?* A. Nisi manifestè appareat, non statum spectari, sed ipsas functiones. *cit. §. n. 2.*

V. *Quod si verò quid de pace dictum erit, num id induciarum tempore locum habet?* N. *cit. n.*

VI. *Num rectè induci & in paucos dies dari nonnulli asserunt?* N. Nam & solent in horas dari, imò in annos plures, viginti, triginta, quadraginta, etiam centum. *cit. §. n. 3.*

VII. *An non fieri potest, ut quod de pacis tempore dictum est, per inducias valeat?* A. Si apparet alicujus conventionem rationis unicam & per se moven-

ventem in solidum fuisse cessationem a-
ctuum bellicorum. *cit.* §. n. 4.

IX. *An post inducias opus est novâ in-
dictione ?* N. His enim tanquam impê-
dimento temporali sublatis , ipso jure
sefe exserit belli status sopitus , non
mortuus. §. III.

IX. *Legimus tamen apud Romanos ex
fecialium sententia bellum indictum ?* R.
Istis non necessariis cautionibus Roma-
ni veteres ostendere voluerunt , quan-
topere pacem amarent , & quam justis
de causis in armâ traherentur. *cit.* §.

X. *Quale tempus adscribi solet indu-
ciis ?* R. Continuum , ut centum dies :
aut cum designatione termini , ut usque
ad Calendas Martias. §. IV.

XI. *Si prius , quomodo tunc est facien-
da numeratio ?* R. Ad momenta tem-
porum , non dies civiles : illud enim na-
turæ convenit. *cit.* §.

XII. *Si posterius ?* R. Dies ille erit in-
clusus : magis enim naturale est , ut ille
sumatur terminus , qui sit pars rei ; hu-
jus quoq; temporis productio favorem
in se habet , scilicet inducias , humano
sangvini parcentes. *cit.* §.

XIII. *Quot sunt terminorum genera in rebus naturalibus?* R. Duo, *intra rem*, ut cutis terminus est corporis; *extra rem*, ut flumen terminus est terræ. Ad utrumque hunc modum, etiam quæ voluntate constituuntur, termini constitui possunt. Magis autem naturale videtur, ut terminus sumatur, qui pars sit rei *cit. §. n. 2.*

XIV. *Num, à quo die mensura aliqua temporis incipere dicitur; is dies intra mensuram erit?* N. Quia ejus propositionis vis est discernere, non conjungere. *cit. §. n. 3.*

XV. *Quando incipiunt inducie obligare contrahentes?* R. Statim ex quo contractus absolutus est. *§. V.*

XVI. *Quando subditos?* R. Utrunque, ubi acceperunt formam legis, cui inest exterior publicatio. *cit. §.*

XVII. *Num hæc facta statim incipit habere vim obligandi?* R. Ea vis, si publicatio uno tantum loco facta sit, non per omnem ditionem eodem momento se exserit, sed per tempus sufficiens ad perferendam ad singula loca notitiam *cit. §.*

XIIX. *Quod si quid interea à subditis contra inducias factum sit? R.* Ipsi à poenis immunes erunt; neque tamen eo minus contrahentes damnum resarcire debent *cit. §.*

XIX. *Quid licet per inducias? R.* Ire & redire, ultro citroque; sed cum eo apparatu, qui nullum ostendet periculum: interius recedere cum exercitu: reficere mania: militem conscribere, nisi quid specialius convenerit: occupare loca verè derelicta. §. VI. n. 3. & §. VIII. n. 1. & 2.

XX. *Quid non licet? R.* Exercere actus bellicos in personas, aut res: corruptis hostium præsiidiis invadere loca, quæ ipsi tenebant: occupare loca non verè derelicta, sed tantum præsiidiis nudata. sic Bellisarius malè cavillabatur adversus Gothos, cum tali obtentu loca præsiidiis nudata invaserat per inducias. *cit. §. VIII. n. 1. & 2.*

XXI. *An qui vi majore impeditus, quominus recederet, intra fines hosticos deprehenditur, postquam exierint induciae, jus redendi habeat? A.* Si jus gentium externum respicimus, quia hic par est ei,

ei, qui cum in pace venisset, bello repente exorto inter hostes fato suo deprehenditur, qui captivus manet usque ad pacem. §. IX. n. 1.

XXII. *An etiam si justitiam internam respexeris?* A. Quatenus scilicet bona & actiones hostium pro debito civitatis obligantur & in solutum capiuntur: nec magis, quod queratur, habet, quam tot alii innocentes, in quos bellorum mala recidunt. *cit. n.*

XXIII. *Si dentur inducia hominum tantum sepeliendorum causâ, aut ne oppugnentur obsessi, aut tantum caveatur personis, &c.* R. Per has & similes conventiones speciales illicitum est alia, aut his contraria facere. §. X.

XXIV. *Si obsessis data inducia, tantum ne oppugnentur, num jam auxilia & com-
mentus admittere licet?* N. Nam cum tales induciæ alteri partium profint, non debent interim ejus, qui dedit, causam duriores facere. *cit. §.*

XXV. *Si personis cautum, non verò etiam rebus, atq; ad has defendendas ladan-
tur persone, num contra inducias fit?* N. Nam cum liceat res defendere, perso-

narum securitas ad id , quod principale est , non quod in alicujus consequentiam venit , referenda est. *cit. §.*

XXVI. *An moveri bellum potest , si ab altera partium rupte sint induciarum pactiones ?* A. Etiam sine indictione ; quia conventionis capita ei insunt per modum conditionis ; sic bellum Hetruscis illatum est , quod contra inducias fecissent. §. XI.

XXVII. *An si pœna fuerit addita ?* N. Si persolvatur ab eo , qui contra fecit ; ideò enim pœna solvitur , ut cætera salva maneant. §. XII.

XXIIX. *Quod si bellum moveatur à lèse ?* R. Debet à pœnâ recessum censerì , quando nimirum optio data est. *cit. §.*

XXIX. *An privatorum facta rumpunt inducias ?* N. Nisi publicus actus accedat , imperando , ratum habendo ; reum non puniendo , nec dedendo ; rem non reddendo. §. XIII.

XXX. *Qualis interpretatio sumenda est de jure commeandi , extra inducias ?* R. Laxa magis quàm restricta ; non tantùm intra , sed & extra verborum proprietatem ;

tatem; est enim privilegium tertio non noxium, nec danti grave. §. XIV.

XXXI. *An ergò planè rejicienda stricta interpretatio, etiam quam ferunt verba?*

A. Nisi alioqui absurdum aliquod sequeretur, aut eo ducant probabiles admodum voluntatis conjecturæ. *cit.* §.

XXXII. *Quinam hic veniunt nomine militum?* R. Et gregarii, & duces medii, ac summi; nautæ in classibus; omnes qui dixere sacramentum: nam verbi proprietates eam admittit significationem. §. XV.

XXXIII. *Quomodo accipienda voces ire & abire?* R. Ita ut intelligantur in itinere; abitus tutus, usque dum eo pervenit quis, ubi in tuto sit: sic Alexandri M. fides accusata, quod jussit in itinere interfici eos, quibus indulserat abitum; at cui abire datum, non item redire. §. XVI. n. 1.

XXXIV. *Quomodo venire?* R. Cui venire concessum, non poterit mittere, nec contra; idemque semel veniet, non iterum; nisi temporis adjectio suppeditet aliam conjecturam. *cit.* §. n. 2.

XXXV. *Qualis est extensio ad personas?*

nas ? R. Filius sequitur patrem, uxor maritum, non aliter quàm in iure commorandi : morari enim solemus cum familiâ, sed sine eâ peregrinari ; famulus unus & alter, quamvis non expressus, censetur comprehensus in eo, cui indecorum ire sine tali comitatu. §. XVII.

XXXVI. *Ad bona* ? R. Ut non quævis comprehendantur, sed quæ solita sunt ad iter assumi. §. XIII.

XXXVII. *Ad comites* ? R. Comitibus aut gentis nomine non veniunt piratæ, latrones, transfugæ, desertores : horum enim causa nimis est odiosa. §. XIX.

XXXVIII. *An juris commorandi concessio extinguatur morte concedentis* ? N. Est enim beneficium. §. XX.

XXXIX. *An hoc beneficium durat, si datum sit his verbis, donec voluero ; quamvis non intercedat novus valendi actus* ? A. Quia in dubio præsumitur durare, quod ad juris effectum sufficit. §. XXI.

XL. *An si concedens moriatur* ? N. Quia velle posse desit ; adeoque cessat præsumtio durationis. *cit.* §.

XLI. *An securitas commorandi debetur etiam extra territorium concedentis* ? A. Quia

Quia datur contra jus belli, quod per se non includitur territorio. §. XXII.

XLII. *Qualis debet esse favor redemptionis captivorum?* R. Magnus apud Christianos: ita ut omninò improbandæ sint leges indistinctè vetantes redimi captivos, quales apud Romanos: nisi appareat tali rigore opus esse, ut majora mala evitentur. §. XXIII. & XXIV. n. 1.

XLIII. *Num in his solis salus civitatis consistit, ubi omnia directa ad res bellicas?* N. Si enim rem humanitatis æstimamus, satius sæpè esset, jus, quod bello petitur, amitti, quam plurimos homines, & quidem cognatos aut populares, relinqui in gravissimis ærumnis. cit. §. XXIV. n. 1.

XLIV. *Quando ergò lex talis videtur justa, quæ magnum sapit rigorem?* R. Si appareat hoc modo caveri posse majora aut plura mala, alioqui moraliter inevitabilia. cit. §. n. 2.

XLV. *Num captivi ex charitatis lege suam sortem patienter ferre debent?* A. Scil. Necessitate ita exigente potest hoc eis injungi, & aliis, ne quid contra faciant, præcipi. cit. n.

XLVI. *An jus in captivum alteri cedi potest?* A. Nam & incorporalia jura alienari patitur natura. §. XXV.

XLVII. *An idem pretium potest ab uno pluribus deberi?* A. Si ab uno dimissus, pretio nondum soluto, captus sit ab alio: hæc enim debita diversa sunt, ex diversis causis. §. XXVI.

XLVIII. *An conventio rescindi potest ob ignoratas captivi divitias?* N. Jure enim gentium nemo supplere tenetur, quod in contractu minus æquo pretio promissit, si dolus non intercesserit. §. XXVII.

XLIX. *Quæ bona capti sequuntur captorem?* R. Tantum ea, quæ specialiter apprehenderit: neque acquisitum erit, quod captivus clam secum habet, quia nec possessum. §. XXVIII.

L. *Num res eo modo celata ad redemptionis pretium salvandum prodesse potest?* A. Captivus enim dominium retinuit, cumque captor nescivit, etiam possidere non potuit. add. l. 3. §. 3. ff. de Acquir. poss. cit. §.

LI. *An heres pretium debet, captivo in carcere mortuo?* N. Promisso enim inherat conditio, si liberaretur; mortuus

tuus autem non liberaretur. §. XXIX.

num. 1.

LII. *Si mortuus sit, cum esset in libertate?* A. Jam enim lucratus erat id, pro quo pretium promissum erat. *cit. n.*

LIII. *An etiam conveniri potest, ut ab ipso contractus momento parè debeat pretium & captivus tantum retineatur?*

A. Non jam ut jure belli captus, sed ut à se oppignoratus. *cit. §. n. 2.*

LIV. *Num pactum iniri potest, ut captus liber vivat?* A. Si die præstituto pretii solutio facta fuerit. *cit. n.*

LV. *Quomodo hæc, ut minus naturalia, præsumuntur acta?* R. Non nisi manifestis documentis. *cit. n.*

LVI. *An dimissus, ut alterum liberet, redire debet in carcerem, si alter mortuus fuerit?* N. Hoc enim conventum non est; nec intelligitur actum tacite.

§. XXX.

LVII. *Quomodo factum tertii liberatiter promissum satis impletur?* R. Si nihil omittitur ex parte promissoris: ac in onerosis obligatur promissor ad id, quod tantundem valet. *cit. §. add. L. II.*

C. XI. qu. fin.

LIIX, *An igitur licet libertatem lucrifacere?* N. Sed præstare tenetur æstimationem ejus, quod præstari nequit: utpote magis congruum naturali simplicitati. *cit.* §.

CAP. XXII.

De fide minorum potestatum in bello.

I.

Q*uales sunt conventiones, si duces belli quadam inter se paciscuntur?* R. Publicæ juxta Ulpianum in l. 5. §. 1. D. de Pactis. §. 1.

II. *Quotuplices sunt potestates?* R. Triplices: summæ, summis proximæ, & longius remotæ, *cit.* §.

III. *Minorum potestatum pactia quatenus obligat summam potestatem?* R. Faciendo id, quod probabiliter ipsorum officio contineri censetur: vel etiam ex præpositione specilali, notâ publicè, aut in, quorum res agitur. §. 11.

IV. *An summa potestas obligatur antecedente facto ministrorum?* A. Sed ita, ut id factum non sit causa propriè dicta, sed

sed tantum obligationis occasio: idque per consensum, vel per rem ipsam.

§. III.

V. *Qui per consensum?* R. Expressa, vel tacita ratihabitione. *cit.* §.

VI. *Qui per rem?* R. Ut contractum præstent ex quo commodum volunt, aut de commodo decedant. *cit.* §.

VII. *An ab injustitia excusari possunt, qui, cum pacta improbent, tamen retinent, quod sine pactis non habere possent?* N. *cit.* §.

VIII. *Si quid factum sit contra mandatum?* R. Obligatur qui præposuit, etiam si sit contra mandata arcana; intra limites tamen publicæ functionis. §. IV. *num.* 1.

IX. *Quid dicendum de præposito, de quo palam proscriptum fuit, ne cum ea contrahatur?* R. Is præpositi loco non habebitur; nisi de proscriptione ejus non constet, quo casu tenetur, qui præposuit. *cit.* n.

X. *An equalis est obligatio Regum aut Populorum ex ducum suorum contractibus?* N. Nam alii magis, alii minus ex ducum suorum contractibus teneri possunt,

sunt, si satis notæ sint ipsorum leges atque instituta; de his si non constat, sequendum est, quod conjectura dicat. *cit. §. n. 2.*

XI. *Si minor potestas mandati fines excefferit?* R. Tenebitur ipsa ad æstimationem, si promissum præstare non possit: nisi lex aliqua cognita id impediatur. *cit. §. n. 3.*

XII. *Si præ se tulerit jus majus, quam habebat?* R. Tenebitur etiam de damno culpâ dato: & ex crimine, ad poenam crimini respondentem. *cit. n.*

XIII. *Quomodo ex his oritur obligatio?* R. Ex priorè causa bona obligantur, & si ea deficient opera, aut libertas corporis: ex posteriore quoque persona, aut bona, aut utrumque pro delicti quantitate. *cit. n.*

XIV. *Nonne idem, quod de dolo dictum, dicendum etiam si quis testationem interposuerit, semetipsum obligari vult?* A. Quia & damni dati & poenæ justæ debitum cum delicto non voluntario, sed naturali nexu cõhærent. *cit. n.*

XV. *An dici potest contractum claudicare?* N. Omnino enim obligatur altera

ra

ra pars, aut summa potestas, aut ejus minister. §. V.

XVI. *An dux obligat milites, & magistratus oppidanos?* A. Scilicet intra eos actus qui solent ab ipsis imperari: nam alioqui semper opus esset consensu speciali. §. VI.

XVII. *An factum ducis aut magistratus inferioribus proderit in merè utilibus?* A. Idque omninò: id enim in potestate factis comprehenditur. cit. §.

XIX. *An etiam in his, quæ habent onus annexum?* A. Intra ea, quæ solent imperari omninò: at extra ea, si acceptaverint. cit. §.

XIX. *An ducum est pacem facere?* N. Bellum enim finire non est pars belli gerendi. §. VII.

XX. *An si prepositi sint cum maximâ potestate?* N. Ea enim intelligenda est tantum de belli ductu; sic Senatus rescidit pacem quam A. Albinus fecerat cum Jugurtha Rege, senatus injussu. cit. §.

XXI. *An inducias dare?* A. Nec tantum summorum, sed & minorum: iis nempe quos oppugnant, aut obsessos tenent;

tenent; & se quod attinet, suasque copias. §. II. X.

XXII. *An concedere homines, imperia, agros?* N. Si jam quaesita sunt bello; sic Masinissa non potuit libertatem dare Sophonisbae, & Syria Tigrani est adempta, quam Lucullus dederat. §. IX. n. 1.

XXIII. *Si adhuc quaerenda?* A. Quia pleraque deduntur sub conditionibus vitae salvae, libertatis ac bonorum: de quibus arbitrium summæ potestatis exquiri res plerumque non patitur. *cit.* §. *IIII.* 2.

XXIV. *Quomodo sunt interpretanda talia pacta?* R. Strictè, quatenus patitur natura contractus: ne ex ipsorum facto summa potestas plus obligetur quam vellet: aut ipsi damnum subeant officium faciendo. §. X.

XXV. *Quomodo interpretanda deditio à duce accepta?* R. Ut in deditioem puram censeatur acceptus eo jure, ut de eâ arbitrium sit victoris regis, aut populi; cujus exemplum est in Perseo Macedoniae rege, qui se Paulo dediderat. §. XI.

XXVI. *Quomodo cautio, si regi aut populo*

populo visum ? R. Efficiet ut ratihabitione non secutâ, dux ipse in nihil teneatur, nisi si quâ locupletior factus sit.

§. XII.

XXVII. *Quomodo promissio de oppido tradendo ?* R. Ut promittentes dimittere possint præsidium; sicut fecere Locrenses. §. XIII.

CAP. XXIII.

De fide privatâ in bello.

I.

AN privati singuli, milites, pagani, aut alii obstringuntur, fide hosti datâ? A. Illi enim & privata jura habent, quæ possunt obligare, & hostes capaces sunt juris acquirendi: aliàs autem daretur occasio cædibus & impedimentis libertati. §. I.

II. *An pirata ac latroni ?* A. Maximè si jusjurandum accesserit. §. II.

III. *Quid si metus injustus ab altero incussus impulerit ad promittendum ?* R. Is, qui promisit, petere restitutionem, aut, si alter nolit, sibi eam præstare potest. *cit.* §.

IV.

IV. *An hoc quoq; in metu procedente ex bello publico juris gentium locum habet?* N. cit. §.

V. *An si jusjurandum accesserit, nullatenus liberari potest promittens?* R. Non potest, si perjurii crimen effugere velit. cit. §.

VI. *Quid si perjurium tale commissum sit in hostem publicum?* R. Solet illud ab hominibus puniri. cit. §.

VII. *Si in latrones aut piratas?* R. Solet dissimulari odio eorum, quorum commodum agitur. cit. §.

IX. *An excipiendus minor?* N. Si actum intelligat: nam beneficia minoribus consulentia tantum sunt ex jure civili. §. III.

IX. *Annon error jus dat à contractu recedendi?* A. Sed ita, si id, quod per errorem creditum fuit, in mente agentis vim habuerit conditionis. §. IV. conf. L. II. C. XI. §. 6.

X. *Quousq; extendit sese privatorum potestas paciscendi?* R. Ad ipsorum actiones & res, non ad publicas: cum publica nequeant à privatis alienari. §. V. n. 1.

XI. *An talia pacta non sunt illicita, quia publico damnosa?* N. Magis enim utilia quam damnosa censenda sunt, quæ majus aut certius malum evitant. *cit. §. num. 2.*

XII. *Videntur tamen illicita propter fidem datam & utilitatem publicam?* R. Fides sola, qua quis potestatem ipsam sui & suarum rerum non abdicat, & utilitas publica sine legis autoritate id efficere non possunt, ut, quod factum est, etiamsi contra officium factum esse detur, irritum sit & effectu juris omni careat. *cit. n.*

XIII. *An igitur Lex non potest adimere subditis hanc potestatem?* R. Potest utique, sive illi aut perpetui aut temporarii fuerint: Sed neque lex hoc semper facit: neque semper facere potest: Nam leges humanæ vim obligandi tum demum habent, si latæ sint ad humanum modum, non si onus injungant, quod à ratione & naturâ planè abhorreat. *cit. §. num. 3.*

XIV. *Si verò leges speciales tale quid aperte præ se ferant?* R. Pro legibus haberi non debent. *cit. n.*

XV.

XV. *Si generales?* R. Interpretatione benigna ita accipiendæ sunt, ut casus summæ necessitatis excludatur. *cit. num. 3.*

XVI. *Quid si actus lege aut præcepto interdictus, & valere vetitus interdici æquo jure potuit?* R. Jam irritus erit actus privati, sed & puniri poterit, id eò quod promisit id, quod sui juris non erat. *cit. §. n. 4.*

XVII. *An pacta civibus cum hoste sunt licita?* N. Ob jus supereminens civitatis. *cit. §. n. 1.*

XVIII. *An conductis militibus?* N. Ob fidem sacramento datam. *cit. n.*

XIX. *An toleranda est captivi promissio de redeundo in carcerem?* A. Neque enim conditionem ejus deteriorem reddit: sic M. Attilius Regulus fecit quod debebat. §. VI.

XX. *In certum locum non redeundi, aut non militandi?* A. Cum patriæ causâ non fiat deterior, cui captus jam perisse censendus est, nisi liberetur: sic Lacedæmoniis promittunt Ithomenses, se Peloponneso exituros, nec unquam redituros: & ab Amilcare dimittuntur Numi-

Numidæ sub lege, ne quisquam eorum arma ferret adversus Carthaginenses.

§. VII. n. 1. & 2.

XXI. *Nec fugiendi?* A. Etiam si victi promiserint: nam & sic solet vita servari, & custodia mitior obtineri.

§. IIX.

XXII. *Si verò postea victus sit?* R. Ita demum liber erit, si ideò promiserit, ne vinciretur. *cit.* §.

XXIII. *An captus aliquis potest se dedere alteri?* N. Nemo enim pactione suâ potest adimere jus alteri quæsitum.

§. IX.

XXIV. *An privati cogendi sunt à summis potestatibus, ut impleant promissa?*

A. In bello solenni; ob jus gentium, quo bellum gerentes alter alteri jus reddere obstringuntur; etiam de factis privatorum. §. X.

XXV. *Qualis interpretatio sumenda est in hujusmodi pactis?* R. Non est recedendum à proprietate verborum, nisi absurdi vitandi causâ; aut ex aliâ certâ

mentis conjecturâ. Sic pactus vitam, aut vestes, jus non habet ad libertatem & arma: & auxilium venisse intel-

LI

lige-

ligetur, si sit in conspectu etiam si nihil agat; nam ipsa presentia suam vim habet.

§. XI. & XII.

XXVI. *Quis dicetur ad hostem rediisse?* R. Qui ita rediit, ut iterum sit in ejus potestate: non qui clam rediit, ut statim exiret. §. XIII.

XXVII. *Qua justa auxilia, in pacto ditionis non facienda, si ea advenerint?*

R. Talia, quae periculum cessare faciant. §. XIV.

XXIX. *An conditionem faciunt ea, quae tantum pertinent ad pacti executionem?* N. Si conventum, ut certo loco quid solvatur, non minus solvendum, si locus postea mutaverit dominum. §. XV.

XXIX. *Quid tenendum de talium patrum obsidibus?* R. Maxime naturale est, ut credantur esse tantum accessio principalis actus. §. XVI.

CAP. XXIV.

De fide tacita.

I. **A**N fides quoque tacite interponitur? A.

Cum quaedam conveniuntur silentio in conventionibus publicis, privatis, mixtis: quia juris transferendi vim habet

habet consensus qualitercunque indicatus, & acceptatus. §. I.

. II. *Quae sunt signa consensus?* R. Voces, literæ, & alia. *cit.* §. *adde* L. II. C. IV. §. 3. & L. III. C. I. §. 8.

III. *Quomodo tacitè fidem interponit, qui se dat in fidem alicujus populi?* R. Hic se tacitè obligat, ne quid faciat adversus eum statum, in quo præsidium petit. Sic rectè Virgilius de Sinone, crimine ab uno disce omnes. §. II.

IV. *Num Zepbyri factum à reprehensione est remotum?* N. Fides enim ejus in Regem, perfidiam in eos, ad quos confugerat, non excusat. Idem de Sexto Tarquinii filio, qui ad Gabios se contulerat, dictum esto. *cit.* §.

V. *Quomodo colloquium postulans, aut admittens?* R. Tacitè pollicetur id innoxium fore collocutoribus: adeoque Cn. Domitius egit perfidè, quòd vinxerit Bituitum Avernorum regem, colloquii simulatione accersitum, & exceptum hospitio. §. III.

VI. *Quid verò refert, si hostes per colloqui speciem violentur?* R. Hoc ipso violatur Jus gentium. *cit.* §.

VII. *An licet colloqui specie hostem à belli consiliis auertere, suâq; interim promoverè ?* A. Dum collocutores nihil patiuntur : illud enim caret perfidiâ : quo factò Scipio perdidicit situm castrorum Syphacis ; & Asdrubal exercitum servavit ex Auferanis saltibus. §. IV.

IIX. *Attamen spe pacis Regem Perseum deceptum arguunt ?* R. Hi non tam juris & fidei, quàm animi excelsi & gloriæ bellicæ habebant rationem. *cit.* §.

IX. *An obligant signa muta significantiâ ex consuetudine ?* A. Nec minùs, quàm ipsæ voces : sic vela candida hodiè tacitum habent signum petiti colloqui. §. V.

X. *Qua signa apud Veteres adhibebantur ?* R. Vittæ & rami olivarum ; apud Macedones hastarum erectiõ ; apud Romanos scuta capiti imposita. *cit.* §.

XI. *Qua signa erant supplicis deditiõnis ?* R. Manus post tergum complicatæ ut apud Persas : Scuta & vexilla perversa apud Romanos : herba porrecta apud Germanos & eorum exemplo alios. *cit.* §.

XII. *Quomodo cognoscere possumus, Superio-*

periores tacite approbasse sponſionem à Ducibus factam? R. Si actus fuit cognitus, & aliquid factum, aut non factum, cujus rei alia cauſa extra voluntatem fœderis probandi dari non poſſit. §. VI.

XIII. *An pœna remiſſio colligitur ex ſc-lâ diſſimulatione?* N. Sed neceſſum eſt talis accedat actus, qui oſtendat amicitiam, aut opinionem de tali virtute, cui antefacta meritò debeant condonari. §. VII.

XIV. *Quomodo opinio illa indicatur?* R. Aut verbis, aut rebus, quæ ex more inſtitutæ ſunt ad talem ſignificationem. cit. §.

CAP. XXV.

Concluſio, cum monitis ad fidem & pacem.

I.

Q*uibus monemur ad fidem ſervandam?* R. Inter cætera, ne ſpes pacis adimatur: & quia perfidia facit hominem hominibus infociabilem, ac inviſum Deo. §. I.

II. *Quid fide continetur?* R. Non tantum Republica juxta Ciceronem quæ-

libet, sed & major illa Gentium Societas, quâ sublatâ, tollitur, quod inter homines est, commercium, secundum Aristotelem. *cit. §.*

III. *An nefarium est, uti Cicero ait, fidem frangere?* A. Quia continet vitam, quam tantò magis præstare debent summi hominum Rectores, quantò cæteris impuniùs peccant. *cit. §. n. 2.*

IV. *Sed quibus erunt similes fide sublatâ?* R. Feris, quarum vim omnes exhorrent. *cit. n.*

V. *An fidei vinculum (Justitia) in cæteris suis partibus sæpè aliquid obscuri habet?* N. Illud enim per se manifestum, imò ideò quoque usurpatur, ut de negotiis omnis dematur obscuritas. *cit. n.*

VI. *Cur Regum est sic religiosè hanc colere?* R. Primùm conscientiæ, deinde famæ causâ, quâ stat Regni autoritas. *cit. §. n. 3.*

VII. *Quid semper spectandum in tota belli administratione?* R. In eâ non potest retineri animus securus ac Deo fidens, nisi semper in pacem prospectet. *§. II.*

VIII. *An rectè Aristoteles Gentes accusat,*

fat, quæ bellicas actiones quasi pro ultimo fine sibi proposuerant? A. Ferinum enim quiddam vis est, quæ in bello maximè eminent; quare diligentius curandum est, ut humanitate temperetur, ne nimium, feras imitando, dediscamus hominem. cit. §.

IX. *Si pax fit noxia? R. Si satis tuta potest haberi, non malè constabit condonatione malefactorum, damnorum, ac sumtuum: præcipuè inter Christianos, quibus pacem suam Dominus legavit; quosque Paulus vult pacem quærere cum omnibus, quantum fieri possit. §. III.*

X. *Quidnam in hoc passu est viri boni? R. Initia belli invitum suscipere, extrema non libenter persequi. cit. §.*

XI. *An & utilitas humana trahit eodem? A. Tum validiores, tum minùs valentes. §. IV.*

XII. *Quibus? R. Quia periculosum est longum cum valentiore certamen: & aliquâ jacturâ est redimenda major calamitas, irâ ac spe ommissis; ut fallacibus auctoribus. cit. §.*

XIII. *Qui illos? R. Quia bonis suis re-*

bus ampla & speciosa dantibus pax est, ac melior tutiorque, quam sperata victoria: maxime verò metuenda desperantium audacia, tanquam acerrimi morientium belluarum morsus. §. V.

XIV. *Si uterq, sibi videantur pares?* R. Optimum de pace agendi tempus est, dum sibi uterque confidit. §. VI.


XV. *Quomodo servanda pax facta?* R. Ob dictam fidei sanctimoniam, omnino servanda, qualibuscumque etiam legibus facta: ac non tantum perfidia, sed & quæcunque animos exasperant sollicitè cavenda. §. VII.

XVI. *An rectè aptari possunt privatae amicitiae ad has publicas?* A. Hæ enim, cum omnes summâ religione ac fide tendæ, tum verò eæ maxime, quæ ex inimicitiis revocatæ sunt in gratiam. cit. §.

Inscribat hæc Deus (qui solus hoc potest) cordibus eorum, quorum res Christiana in manu est, & iisdem mentem divini humanique juris intelligentem duit; quæque semper cogitet, lectam se ministram ad regendos homines, Deo charissimum

animal. §. VIII.

F I N I S.



JANI KLENCKII

DISSERTATIO

HISTORICO - POLITICA

De

CIVITATUM

MUTATIONIBUS.

Omniū rerum vicissitudo est : diem excipit nox, æstatem hyems : nata denascuntur, aucta evanescent : homo producit hominem, casibus innumeris, & occasui obnoxium. In quibus ita ludit divina potentia, uti nullus non cœtus continuo sit instabilis. Univerſum si intueor, quot & quàm diversa imperiorum facta oriuntur nova ; orta videntur concuti, consenescere, ac tandem aliquando interire. Quæ dum considero cupido subit animum præcipuas civitatum mutationes, earumq; causas breviter ob oculos ponendi.

PARS

PARS PRIMA.

De variis mutationibus.

I.

CIVITAS, sive Respublica, est cœtus perfectus liberorū hominum, juris fruendi & communis utilitatis causâ sociatus. Ea autem corpore & spiritu constituitur: illud (ex partibus conflatum distantibus; non verò continuis, ut homo; nec juncturâ coactis, ut navis) cœtus hominum est, sive populus; spiritus autem, anima, species, &c, vitæ civilis plena atque perfecta consociatio. Hujus prima productio summum est imperium, certus nimirum ordo in jubendo & parendo; quo magistratus omnes & leges innituntur; cujusque vi ac potestate collegia, corpora, familiæ, singulique cives in unum corpus coguntur; unicum illud vinculum quo respublica cohæret, ac spiritus vitalis quem tot millia trahunt; sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Harum itaque partium

um corruptione & interitu, ipsa quoque civitas ipsique populi dicuntur interire. Corpus aut internecione interit, aut partium dispersione; illo modo, cum omnes è medio tolluntur partes, sine quibus corpus subsistere nequit. Quo modo Atlanticae, Pyrrae, Antissae, Burae, Chryses populi periere, simul cum suis sedibus mari abrepti; Archipenses lacu Fucino; totum genus humanum, excepta Noachi familia, diluvio universali: igne caelesti Sodoma, Gommorra, Adama conflagrarunt. Oelenes & Helice, Graeciae civitates; unaque nocte; tempore Tiberii, duodecim urbes Asiae; & ante aliquot secula Antiochia, Laodicea, Caesarea, Edessa, Tripolis, plurimaeque oppida orientis terrae motu conciderunt. Madianitae, Amorraei, Jebuzaei, Pherizaei ab Israelitis deleti sunt: sicut & Babylon, Ninive, Hiericho, Troja, Mycenae, Thebae, Athenae, Corinthus, Heliopolis, Byzantium, aliaeque civitates infinito penè numero, ferro & igne hostili sunt everse. Sidonii & Saguntini spontè sese dederunt internecioni. Ex antiquo Latio LIII.

po-

populi sine vestigiis periere. Gentes etiam integras à feris animantibus necatas legimus ; Samariæ scilicet & Lybiæ quosdam incolas à Leonibus, Amyclas à serpentibus, Æthiopes à scorpionibus. Partibus dispersis, civibusque spontè, ob pestilentiam, seditionem, aut simile quid à societate discedentibus ; vel vi ab invicem distractis, ita ut coire rursus nequeant, rumpitur societas, & ipsa corporis ratio tollitur. Judæis hoc & Israëlitis contigit : quorum illi à Romanis excisi per orbem terrarum sine republicâ dispersi conspiciuntur ; hi in Assyriam & Mediam translati, nunquam in Palæstinam redierunt, nulla suæ gentis vestigia certa relinquentes.

2. Speciem autem, sive spiritum interire dicimus, cum populo alicui juris communitas omnis, aut perfecta saltem adimitur. Quod contingit iis qui personalem subire servitutem coguntur singuli, aut exuuntur tantum imperio ; quique rediguntur in provinciæ formam, alteriusve populi ditionem subeunt. Mycenæi ab Argivis, Olinthii à Philippo, Thebani ab Alexandro venditi.

ti. Brutii à Romanis publicis mancipati servitiis. Capuæ nulla relicta imago reipublicæ; à Severo Byzantium Perintho, Antiochia Laodiceæ supposita à Theodosio. Campani necessitate coacti populo Romano sese subjecerunt: ut & Falisci, ac Samnites. Epidamnii à Corcyraeis deserti, Corinthiis sese dederunt. Philippus Pydnam dedit Olinthiis; Ægypti rex Salomoni varias urbes dotales, Salomon viginti urbes regi Phænicum, quæ & ipsæ postea illi sunt redditæ, Hercules Tyndareo Spartam, Otho Bætis Maurorum civitates. Amphipolis in dotem data Acamanti. Anaxagoras duas regni partes dono dedit Melampadi. Agamemnon septem urbes Achilli promittit. Acarnania & Amphilochia fuisse ditionis Ætolorum, Perea & Caunus Rhodiorum, Cothyra Synopensium, Nicea Massiliensium, Pithenusâ Neopolitanorum, Calatum Capuensium, Caudium Beneventanorum. Mediolanenses ab imperio Germanorum liberi, permiserunt sese ducis Eliprandi potestati. Mammelucci, cæsis plurimis Sultanis, Campioni Caramaniæ Principi, exter-

no

no & retinenti subjecerunt Ægyptum. Thebani ac Phocenses, urbem à se conditam Platoni permiserunt legibus informandam. Asiæ, Alpium, Cyrenensium, Pergami, Bithyniæ, Ponti, Ægypti regna Romanis relicta sunt ex testamento. Imperium in Asiæ regiones, quæ nunc sub Turcâ & Sopho sunt, initio rerum stetit penes Babylonios & Assyrios; quod dein per Arbacem ad Medos devolutum est; ac per Cyrum translatum ad Persas; iisque ab Alexandro magno ereptum; hujus postea pars cessit Romanis, pars à Parthis fuit occupata; donec à Saracenis ac Turcis cuncta subjugarentur. Persæ tamen Ismaële Sopho auctore, rursus emergentes, illorum sese subduxerunt imperio, regnumque Sophorum condiderunt. Albania verò, Iberia, Colchis, Armenia, Cappadocia, Galatia, Pontus; Bithynia, Asia propria, Lycia, Pamphilia, Cilicia, Syria, Mesopotamia, Babylonia, Arabia, aliæque civitates Turcarum dominio subjectæ jacent adhuc everse. Quæ fors eadem Ægypti est, postquam suos aliquando, Persas, Alexandrum magnum, etiam

etiam Romanos dominos habuit. In Græcia suis sibi regibus, ducibus, ac magistratibus quinquaginta discreti populi ac civitates egerunt. Quorum imperia celeberrima Sicyoniorum, Argivorum, Mycenarum, Spartanorum, Messeniorum, Corinthiorum, Athenensium, Ætolorum, Thebanorum, Cretensium, Achæorum, Syracusanorum, Corcyræorum, Samiorum, Chiorum, Rhodiorum, aliorumque à Philippo Macedone Macedonico, ac deinde Romano imperio subjecta fuere; posteaque à Gothis & Hunnis vastata sunt; donec etiam tandem, cum supra memoratis, ut & Epirotis, Thessalis, Macedonibus, Thracibus, Mæsis, Dacis, plurimisque aliis gentibus à Saracenis ac Turcis devicti, eorum imperio subesse cogentur.

3. Quemadmodum naturale corpus idem esse non desinit, si unâ eademque manente specie, particulæ paulatim commutentur; nec naves aut domus, aliave arte facta, si veteres partes, novis paulatim suffectis, restaurentur; nec flumina, quanquam alia subeat semper
aqua,

aqua, alia decedat : ita homines iidem in senectute sumus, qui in juvenata : ita & populus idem hoc tempore dicendus, qui ab hinc multis seculis est, qui loco migravit, cujus urbis muri disjecti sunt; quique à legibus, religione, aliisve quibusdam circumstantiis mutatis, insigniter concuritur : quamdiu communio populum faciens, ac mutuis vincens nexibus, jus unitatis suæ servaverit. Ad eoque Israëlita, Athenienses, Phocenses mansere iidem ; cum illi relicta Ægypto, novâque institutâ republicâ, diversas à prioribus possiderent sedes ; isti adversus Xerxem pugnaturi, ex urbe in naves, è solo in salum ; hi ab Harpago obsessi, in Corsicam transferrent rempubl. Sic etiam suffossis quibusdam oppidis, in Hispania à cuniculis, in Thessalia à talpis, in Gallia à ranis, in Africa à locustis, incolæ in loca tutiora sese contulerunt iidem. Quod & facere coacti sunt Abderites, Nervi, Trerientes, à serpentibus fugati, à ranis cælo delapsis Attarioræ & Prones, à muribus Troades & Chalcidenses, à locustis Cyreniaci, à passeribus Medi, ab araneis Æthio-

Æthiopes, à culicibus Myontii, **Ionæ**,
Aternites, à cuniculis Balearides, à per-
dicibus Anaphes. Neque muros, at
homines eosdem, eandem constituere
civitatem, rectè à reliquis judicatum
fociis contra Lacedæmonios, qui ad pa-
cem Græciæ jurandam admittendos ne-
gabant Messenios, quia urbis eorum
muri essent diruti. Religionis etiam
immutationem, sine reipubl. eversione,
aut formæ mutatione, fieri multarum
gentium à Paganismo, aut Judaismo, ad
Christianam, vel Mahumeticam religi-
onem conversiones docent: multæque
per Germaniam, Galliam, Angliam, Bel-
gium, aliasque terras, propter defe-
ctum ab Ecclesiâ Romanâ, vel diverso-
rum dogmatum introductionem exor-
tæ concussiones. Sæpè plura regna ita
inter se verâ unitate junguntur, ut ju-
ribus utrinque communicatis, unum
aliquod è pluribus coalescat; sæpè ex
adverso respubl. plures oriuntur ex unâ,
civitate dissectâ in partes, idque vel mu-
tuo consensu, vel vi bellicâ, vel arte
aliâ: tunc autem non unum idemque
summum remanet imperium; sed ex-

istunt plura, quorum singula in singulas partes jus habent. Sæpè in colonias fit decessio, noviq; tunc oriuntur populi, qui & ipsi sui sunt juris. Cum igitur ex antiquâ Romanâ & Sabinâ republ. nova Quiritium orta est, eique & juncta Albana, jura antea diversa, non amissa hac unione censenda sunt, sed utrique populo communicata. Romano imperio in oriens & occidentes, ac dein in partes varias, varia divisio contigit. Alexandri magni duces, quibus singulis partem imperii dederat curandam, post ejus excessum, creditam sibi quisque provinciam, Saleucus Syriam, Ptolemæus Ægyptum, Antigonus Asiam, Caspander Græciam occuparunt. Cum Helvetiorum ac Rhætorum provincie ab imperio Germanico deficerent, octodecim exstiterunt respubl. imperii summi potestate à se invicem divisæ. Dido, Æneas, Bato, aliique lares deferentes patrios, cum novi soli occupatione, nova imperia, alterius humanæ voluntati non subjecta condiderunt.

4. Atque ita quidem vario modo civitates intereunt; varioque modo eadem

dem alterantur, populo & regiminis modo manentibus iisdem. Iisdem quoque remanentibus, formas earum alias in alias mutari videmus, & vario modo converti. Forma verò regiminis omnino triplex est, monarchia, aristocratia, & democratia. Monarchia sive principatus dicitur, cum reipubl. majestas versatur in dominatu unius principis, domini, regis, dictatoris, imperatoris, ducis, gubernatoris, protectoris, & quocunque is tandem vocetur nomine; cui soli in singulos & universos cives summa & absoluta potestas imperandi competit. Aristocratia, sive status optimatum est, cum ex universo civium numero paucioribus quibusdam summum jus est in reliquos omnes. Democratia, sive populi status est, cum cives omnes, vel major eorum pars simul collecta, summum obtinent imperium. Quidquid autem scrutere, nec coetum aliquem socialem sine ullâ harum reperias, nec in eo aliam præter istas. Errant igitur qui è formis his tribus mixtum aliquod imperii genus constituunt; majestas enim est quiddam individuum,

quod regi, optimatibus, & populo, divisim sumtis concedi nequit: universis enim & singulis civibus leges dare, iisque imperare hoc summæ potestatis atque majestatis est; quæ si penes regem sit, ea esse non potest penes optimates, aut populum: si optimates imperent, nullum est imperium regis, aut populi: si populus leges præscribat regi & optimatibus, penes eum solum est summum imperium; cum idem simul non possit leges condere, & iisdem subesse: si summa potestas sit penes conventum, qui ex rege & optimatibus constituitur, est aristocratia; si ex rege, optimatibus, & populo, est democratia. Sed imperandi ratio variat, formam manente eadem, ita ut in unaquaque forma regimen triplex reperiat, dominicum, regium, tyrannicum; dominicum dicitur cum ii penes quos est summa potestas, domini sunt subditorum suorum libertatis & bonorum omnium, civesque suos ut domini servos regunt; regium est in quo subditi libertate ac dominio rerum suarum fruuntur, principum suorum ut filii parentum imperiis subsunt & ob-

sequun-

sequuntur; tyrannicum verò, cum re-
ctores, spretis legibus omnibus divinis
& humanis, subditorum suorum bonis,
libertate, & vitâ pro lubitu ad suam li-
bidinem abutuntur. Dominatus tales
antiquitus fuere regna Assyriorum,
Medorum, Persarum aliorumque. Græ-
ci quoque & Romani, aliique populi
bello captos sæpè libertatis, & bonorum
damno mulctabant. hodiè Moscovi-
ta, Turca, aliique in Asiâ & Africâ princi-
pes tale dominium exercent; reliqui
verò principes & populi, humanitatis
artibus exculti, patrioquæ & regali re-
giminis genere contenti, personalem
libertatem ac bonorum possessionem
civibus relinquunt. Hæ verò civita-
tum formæ seximodè inter sese conver-
tuntur: monarchia enim in aristocra-
tiam convertitur, vel democratiam;
aristocratiâ in democratiam, vel mo-
narchiam; democratia in monarchiam,
vel aristocratiâ. Imperia verò prima
monarchica fuere; alia quidem vi con-
stituta, per Nimrodum aliosve poten-
tes, alia voluntate populi, judicem sibi
ac ducem eligentis, virtute insignem,

justitiam administrandi, & vim externam arcendi causâ ; quæ imperia inoptimè meritorum posteris continuabantur ; donec facti tyranni ejicerentur, vel occiderentur, & republ. committeretur optimatibus pluribus ; ne rursus tyrannidem incurrerent, per facilem unius in vitia lapsum ; his paulatim etiam degenerantibus, ideoque à plebe tumultuante expulsis, vel necatis, regimen democraticum placuit ; judicatumque res tutius universo populo credi, quàm uni aut paucis ; ex horum deinde regimine confusione ortâ, astutissimus quisque ac potentissimus rempubl. invadens, monarchicam tandem restituit rem. Nec tamen omnes eodem modo civitates immutantur : sed monarchiam sæpè recta in democratiam, democratiam in aristocratiam ; alias uno, alias pluribus, alias modis omnibus ; has violenter, illas spontè ; has sensibiliter, illas insensibiliter ; has facilè, illas difficulter ; has adultas & adhuc florentes, illas ætate confectas converti videmus : imò & infantia primoque ortus sui momento, simul

simul in ortu aboriri Syllana dictatura, Joh. Leidenſis regnum, Th. Anielli dominatus, & Cromvelli protectura docent. Nulla verò conversionum eſt facilior eâ, quæ imperantis pariter & ſubditorum conſenſu ac voluntate fit; ſi quidem is qui ſummum imperium habet, optimatibus aut populo ſubeſſe quam imperare malit; ſic Sylla imperium Romano populo violenter ereptum eidem reddidit, & Senenſes optimates idem communi conſenſu populo tradiderunt.

5. Conversionum varietate illuſtres fuère Romani; quorum urbem à principio reges habuere: quibus exactis ſtatus placuit popularis, non autem extriplici mixtus: cum nullum in conſulibus monarchiæ, nullum in ſenatu ariſtocratix indicium fuerit. Conſules enim injuſſu populi nec legem ferre, nec foedus inire, nec damnatos reſtituere, nec verberibus civem cædere, nec tributa imperare, nec de publicis pecuniis ſtatuerre potuerunt: imò ſtantes ipſi coram ſedente populo orationem habere debebant, ac ſubmittere faſces:

Senatus nec in universos, nec in singulos cives, nec in aliquos magistratus ullum habuit imperium; sed auctoritate tantum atque consilio valebat; maxima verò potestas, summumque imperium fuit penes populum: à quo omne imperium peti debebat ac impetrari; ad quem adversus magistratus omnes liberè provocabatur; in quo omne jus belli ac pacis erat. Interea tamen modo plures, modo pauciores dominabantur; usque ad Augustum, cuncta nomine principis sub imperium accipientem. Quem secuti imperatores varii, optimi, pessimi; singulis, binis, pluribus, quandoque simul imperantibus; donec post varios casus, regiâ sede translata Byzantium, imperioque in oriens & occidentis distincto, posteaque à Gothis, Græcis, Gallis, Germanis, Hispanis, Turcis vexato, toto orbe augustissima, quæque plurimum civitatum accessu in stupendam excreverat magnitudinem, respubl. pristinâ illâ dignitate orbata sit; & ex monarchicâ in aristocraticam transmutata; non verò eversa: cum idem omnino adhuc sit populus

pulus Romanus qui fuit ante, quam extraneorum accessione mixtus; idemque imperium penes eos manserit, neque ad Germanos sit devolutum; quanquam collapsâ Carolingorum auctoritate, Saxones, Francones, Suevi, Barbari, tandemque Austriaci fuerint Imperatores electi. Quod verò idem utriusque populi rex sit & imperator, hoc ab utroque populo pendet seorsim: à Germanis enim electus, sit princeps Germanorum; at ex Romani populi approbatione, atque electione, horum rex & imperator, sive rex regni Italiæ; quæ approbatio per episcopum, utpote civem primarium solebat edici, & peculiari coronatione testata fieri.

6. Athenienses expulsis regibus, habuerunt archontes perpetuos, decennales, annuos; ad Pisistrati tyrannidem; cujus filiis remotis, democratia constituitur à Solone; & eversâ aristocratia Periclis ochlocratiam sequente, restituitur: à victoribus Lacedæmoniis dati primores triginta; quibus deturbatis populus, optimates, Polyorctes tyrannus, populus, dominium exercuerunt.

Lycur-

Lycurgus excusso Spartani regis jugo, statum instituit popularem, Theopompus aristocraticum: cujus adeo amantes fuere ut eum per universam Græciam, universumque suum dominatum voluerint introductum. Achæi casu regum ultimo Sige, statum primorum eligunt; ac subsecutam tyrannidē dant eversum. Reliquæ etiam Græciæ civitates, tyrannis occisis vel remotis, aliæ optimatum, aliæ populi regimen amplectebantur. Carthaginienses Didone mortuâ, constituunt aristocraticum imperium, summâ potestate in Suffetes collatâ: postea verò duces & reges fuere creati.

7. Israëliticum imperium monarchicum fuisse constat, Mose imperatore, injussu populi vel optimatum, leges, senatum, magistratus, pontificem, imò quod majus est; Josuam successorem, constituente: his defunctis optimates imperarunt; quorum pertæsus populus, regem à Deo impetravit, & quidem qualem vicinæ haberent gentes, hoc est libertatis, ac bonorum omnium suorum dominum absolutissimum. Quos
inter

inter David Palæstinos, Moabitas, Amalecitas, Edumæos, Ammonitas aliosque populos subegit, ac tributarios reddidit. Sub Rehabeamo autem regnum, in Judaicum divisum fuit atque Israëliticum, decem tribubus regem sibi Roboamum eligentibus; quorum hoc eversum est à Salmanassare, civibus in Assyriam ac Mediam translatis. Judæi autem à migratione Babilonicâ redeuntes in Palæstinam, Persarum, aut Syriæ, aut Ægypti regibus tam diu parere, quoad Judas Maccabæus à Syro defecit, ac in suam familiam imperium & pontificatum transtulit; in qua tam diu regnatum donec à Romanis subjugarentur, tandemque illorum respubl. everteretur: ita ut excisis Hierosolymis, fame, peste, ferro, igne consumptis undecies centenis millibus, reliqua civitatis membra sint in servitutem abducta.

8. Germani per summam libertatem vitam transfegerunt, usi imperio primorum; adjuncto tamen aliquo principe, sive perpetuo, nomine regis; sive ducis nomine temporario: qui tamen,
reges

reges primi tantum essent optimatum, & in concilio audirentur auctoritate, svadendi magis, quam jubendi potestate. Quorum reges cum & Romanis, præessent, unius dominatu res eorum, tandiu stetit quoad intermortuâ Caroli stirpe, imperatores cæperunt suffragiis creari; quibus potestate ab utentibus datæ sunt imperandi leges; ex quo sensim dilapsa monarchia, primorumq; collapsa potestas in hunc usque diem restaurata: trecentis circiter principibus ac civitatum legatis, imperatore præside convenientibus, penes quos jura Germanicæ potestatis: ii enim jus habent singulis principibus ac civitatibus, imò & imperatori leges præscribendi, de bello ac pace decernendi, vestigalia ac tributa imperandi, judicesque dandi curiæ imperiali, qui de capite, famâ ac fortunis imperatoris, principum ac civitatum possunt judicare.

9. Gallia sub regibus primùm diu fuit, qui universam penè Europam & Asiam minorem armis domuerunt, deduxere colonias, & urbes condiderunt: qui

qui cum impotenter nimis dominarentur, optimates imperium susceperunt. Ad extremum respublica diuturno Julii Cæsaris bello fracta Romanis cessit; eâ tamen lege ut magna pars civitatum suo jure ac libertate uteretur; postea Romanis, Gothicis, ac Hungaris dissidentibus, paulatim Franci, Germaniæ populi, coloniæ veterum Gallorum, universam Galliam invadentes, hanc monarchiæ formam instituerunt; à Pharamundi familia ad Meroveos, tum ad Carolum magnum (qui Galliam, Germaniam & Italiam conjunxit, Longobardos & Saxones debellavit, partemque Hispaniæ, Syriamque & Cyprum occupavit, primusque Occidentis imperator est salutatus, cum aliquot seculis nullus fuisset) postremo ad Capetigentem delatam, in Valesios & Borbonios distinctam; quorum illi adjuncto Delphinatu, à quo regio primogenito nomen, tercentum annos regnarunt; hi Navarræ regnum addentes, imperant seculum. Gallicum autem imperium omnium Christianorum (si Moscoviticum dominatum excipias) in universos & sin-

& singulos cives est absolutissimum ; nulli senatui, nulli conventui, nullis ordinibus, nullis humanis legibus subiectum : ita ut omnia omnium magistratum & conciliorum imperia & potestas ab uno rege fluant, atque ad eundem refluant : eoque jubente vim habeant, nolente nulla sint ; ab eo uno leges & limites mandatorum præscribantur, mutantur, tollantur, nemine obtinente jus & potestatem contradicendi.

10. In Hispaniam diverso tempore diversi populi ingressi, plurium regnorum auctores fuere ; quæ postea parvè Carthaginensibus : quibus profligatis, ex concursu Romanorum, Gothorum, Vandalorum, Arabum, Gallorum, Maurorum, regna pullulabant quatuordecim : quæ deinde in tria, Castiliam, Arragoniam, & Portugalliam ; & postea in unum coaluere ; Castellanis universam Hispaniam variaque in Indiâ & Americâ regna occupantibus. Nuper autem ea rursus divisa sunt, Lusitanis regem sibi Briganziam ducem constituentibus, simulque Indiæ loca & Brasili-

am

am sibi afferentibus. Hujus autem filio Alphonso imperium nuperrimè est ereptum à fratre.

II. Angli post longam regum suorum seriem à Cæsare victi, annos quingentos Romanis devoti fuère; quorum deinde legionibus ad tutelam Galliæ evocatis, à Pictis & Scotis premuntur: quare Anglos, Germaniæ populos, Juttosque & Saxones in auxilium evocant: hi oppressoribus fugatis, suos hospites in Waliam trans mare compulere, imperium ipsi occupantes; quod in varia regna distinctum reges varii, continuis bellis se mutuò vexantibus habuere. Dein à Danis & Scotis diripitur, usque ad Eduardi magni tempora, Danis pulsus imperium arripientis. Postea bello flagrante intestino Guilielmo Normanno sceptrum tradita, qui eadem successione ad suos detulit; eos inter Henricus Secundus Hiberniam, regulorum ejus ac populi discordiæ occasione motus, suo adjecit imperio. Eduardus tertius universam penè Galliâ occupatâ, captoque rege, tituli & insignium Francicorum usurpationem posteris reliquit. Nuper autem

tem Anglia & Hibernia, jure successio-
nis, ad Scotiae regem Jacobum sextum
pervenerunt; cujus filio Carolo, inau-
dita justitiae exercendae specie, carnifi-
cis manu occiso, Anglia, cum Scotia &
Hibernia audiit aristocratia; Protecto-
re interim summam, & ulli regum con-
cessa majorem, in populum & proceres
usurpante potestatem. At haec pater-
na dignitas per temporis exigui tractu
filio primogenito concessa: eoque de-
turbato, dum de occupando imperio ac
regiminis forma stabilienda delibera-
tur, legitimus avitorum regnorum ha-
eres Carolus secundus, toto terrarum
orbè obstupescente, nihilque tale cogi-
tante miraculose restituitur.

12. Dania duces regesque suos etiam
habuit, donec ab Henrico Aucupe re-
digeretur in provinciam: ab hoc defi-
ciens, ab Othone vincitur; denuoque
rebellat. Norvania post suos reges, ju-
re matrimonii, Danorum aliquando fu-
it: quorum excusso dominio, suos sibi
reges denuo constituerunt. Sveciam
continua & certa serie antiquissimum
ferunt in orbe terrarum imperium, a
Sveoni-

Sveonibus semper possessum ; hi suis Regibus subjecti fuere, nullis exceptionibus, non precario jure, antiquitus imperantibus: Margaretha verò, Daniæ regis filia, & Norvagi uxor, regnum occupans, trium regnorum domina salutata est ; post Christierno tyranno rejecto, Dani & Norvagi Holsatiæ ducem sibi regem creavere; Nobilitate Regem jurejurando obstringente, ne de bello vel pace, nec de capite Nobilium ac Patriciorum, Senatus injussu statuere, posset ; qui tamen Reges, bello nupero Svecico finito in omnis generis cives liberiùs imperium recuperarunt. Svedica sceptrà Gustavo data à proceribus; ejusque nepoti Sigismundo, ad imperium Poloniæ. evedto, & absenti, extorta sunt à patruo Carolo, Sudermannia duce ; ac nuper Gustavo, Caroli ex filia nepoti, à Regina Christinâ tradita. Hæc autem regna, aliquamdiu per electionem deferri solita, nunc per successionem ad posteros transfundendi jure possidentur.

13. Bohæmiam ab initio Germani possederunt ; hos pepulere Boji, Galli;

N n

hos

hos Marcomanni, Germani ; hos denique gens Slavonica, Czechi : qui primò duces ac deinde reges suos habuère ; donec Regiâ stirpe intermortuâ ad Austriacos , electionis titulo imperium est devolutum ; sub quo & Moravia, Silesia, Lusatia continentur.

14. Hungariæ regnum Celtis, Romanis, Gothis, Hunnis, Langobardis, paruit ; his oppressis Scythæ occupant, suis & aliunde, certâ lege atque suffragio acceptis Regibus usi ; postea ad Bohæmos Reges pervenit ; quibus majorem partem eripuit Solymanus Turca : reliquum cessit genti Austriacæ, quæ id sibi fecit hæreditarium.

15. Polonico imperio, finibus arctis antea incluso, cum Lithuania, Prussia, Livonia, aliæque plures regiones sese subjecissent, Sveci Livoniam nuper occuparunt ; maximaque Prussiæ pars cessit Electori Brandenburgico. Lechi autem, Slavi, Regis primi, stirpe deficiente, Waivvodæ duodecim, sive primores gubernarunt : dein Reges restituti ; rursus optimates ; denuò Reges ; at sub certis imperandi legibus, adeò ut aristocratia

cratia veriùs, quàm monarchia videatur; exterorum autem, quos aliquot seculis elegerant, Regum ultimo regnũ abdicante, Poloniæ Nobilitati placuit è civibus eligere civibus imperatorum.

16. Quæ antea diversa regna, ducatus, dominia, magno numero, suis quæque principibus, potestatem absolutam, aut legibus limitatam; successione hæreditariam, aut per electionem delatam, obtinentibus paruére, nunc uni Moscovitico Monarchæ subjiciuntur; cui major quam ulli Regum Christianorum, potestas in subditos est concessa, imperium herile exercenti; quo Czarem suum libertatis, ac bonorum suorum omnium, dominum absolutissimum omnis generis atque conditionis cives agnoscunt.

17. Italia post collapsum imperium Romanum, in varia regna, principatus, ac Republicas divisa fuit; è quibus Romano Pontifici Roma aliæque civitates subsunt, nomine status Ecclesiæ. Neapolitanum regnum primitùs tenuére, Normanni, postea duces Sueviæ, duces

Andegavenſes, Regesque Arragoniæ & Galliarum: nunc his creptum paret Regibus Hispaniarum. Sicut & Sicilia, quam post varios Reges suos ac tyrannos, Phænices, Romani, Vandali, Sarceni habuerunt, hisque Suevi, his Galli, his Arragoniæ Reges eripuerunt. Itidemque Mediolanum, cujus vicarii, duces & principes, imperii Germanici vassalli fuere; quibus amotis imperium democraticum aliquamdiu valuit; dein cessit Gallis, postea Hispanis.

18. Veneta Respublica primùm popularis fuit, cum ab omnibus magistratibus ad populum esset provocatio: post creati duces, qui cum antea pro lubitù regerent, postea sine ullâ potestate eos creari placuit, ac imperium purè aristocraticum constitui; quo nunc annos quadringentos subsistunt. Falluntur verò docentes in duce regiam esse potestatem, in Senatu aristocraticam, in maximo Concilio democraticam, adeoque mixtam regiminis formam: cum enim patriciorum ferè mille & quingentorum cœtus omnium legum & magistratum, belli ac pacis, extremæ
pre-

provocationis vitæque ac necis jus habeat, quis non videt penes hunc cœtum summam esse potestatem? Senatus autem & reliqui magistratus nullam nisi ab hoc optimatum concilio precariam obtinent potestatem; dux autem solus omni vacat imperio.

19. Florentini, Imperatore & summo Pontifice de imperio Italiæ contententibus, regimen procerum institunt; idemque, secuto populari everso, restitunt: dein duces volunt perpetuos; sequuntur democratia, anarchia, aristocratia, democratia; usque ad tempora Caroli imperatoris, Mediceæ domus authoritatem stabilientis. Sabaudia Imperii Germanici provincia & feudum existit, ejusque comites fiduciarii, postea duces facti, vicarii fuere Imperatorum: qui nunc sui juris sunt, & jura majestatis obtinent.

20. Genuam everfam à Pænis, & à sociis Romanis restauratam, Gothi occuparunt: quorum, ut & Cæsarum Græcorum, Regum Langobardorum, Caroli magni, Regis Neapolitani, Gallorum, Mediolanensium comitum dominatu
N n 3 rejecto,

rejectione, valuit imperium democraticum; usque aetate ab Andrea Doria aristocraticum redderetur. Rhagusii post eversum à Gothis Epidaurum, Rhagusiam eodem proxime loco fundarunt: cumque ab Albaniae Regibus descivissent, aristocratiae formam ex nobilissimis civibus instituerunt, omnium purissimam, & ab omni populari temperie remotissimam. Eodem quoque statu Lucensium civitas moderatur, antiquiores tantum familias ad imperii societatem admittens.

. 21. Helvetiorum omnium una aliquando fuit imperii Germanici provincia, quae ab Imperatorum vicariis regeretur: propter quorum tyrannidem, ante trecentos annos, tribus primum, deinde pluribus paulatim civitatibus deficientibus, tredecim diversae Respublicae sunt exortae; aliae optimatum, aliae populi statum amplectentes: omnes libertatem se conservaturos, nulliusque Principis imperium admissuros promittentes. Quibuscum Helvetiis sociale foedus inierunt Genevates, ejecto Pontifice libertatem sibi asserentes; concilium-

liumque ducentum virorum stabilientes, cum summâ perpetuâque potestate: populo tamen legis jubendæ, majorum magistratum creandorum, pacisque ac belli jus sibi reservante.

22. Batavi, pars ante Cattorum, Germanorum omnium prudentissimæ, artibusque imperandi & parendi nobilissimæ gentis, loca sine domino jacentia occupantes, justissima liberæ reipubl. initia posuere; formam regiminis aristocraticam amplectentes; eamque adhuc usque tempora (quod sine exemplo omni dignum admiratione) conservantes immutatam; variis quidem modis vehementer concussa est illorum Respublica, bellisque cruentissimis fatigata; invicta tamen, & à nemine vi occupata, nemini spontè subjecta, nunquam eversa, libertatem suam hactenus fortissimè tuetur. Romanorum Majestatis reverentes quamvis aliquando fuerint, non tamen eorum imperio fuerunt obnoxii; sed socii & æquali fœdere fœderati, fratres iis dicti & amici. Germanici etiam Imperii pars, legibusve aut judiciis Cæsarum subjecta nun-

quam fuit Hollandia : comites autem eorum Romanorum, Germanorum, Gallorum, Hispanorum, Bohæmorum, Hungarorum, multorumque aliorum populorum Imperatores, Reges, Principes fuerint; fuerint aliqui, nomine suo, principibus aliis obstricti fide, imperium tamen in se & sua semper summum obtinuerunt, à quocunque alio diversum; comites etiam, principes & gubernatores, non fuere monarchiæ; sed justitiæ præsidēs, militiæ terrestri & maritimæ præfecti, ac præsidiorum gubernatores: potestatem autem ordinibus obnoxiam habentes, pro temporum ratione majorem vel minorem, perpetuam vel temporariam, successione vel suffragiis delatam, certis semper legibus obstrictam: quibus fastidiosè spretis, si invisam liberæ genti dominationem, aliave invitæ rectoribus nova molirentur, in ordinem redacti sunt, orbati potestate, civitate ejecti, ab ipsis ordinibus: qui sunt incerto numero nobilitatem referentes viri, & octodecim primariarum civitatum senatores, alibi viginti, alibi triginta, alibi quadra-

draginta, per legatos suos convenire soliti. Cum Hollandis Gelri, Zelandi, Frisii, Trajectenses, Transisalani, & Groningani arctissimo mutui auxilii foedere junguntur, omnes similiter imperio gaudentes aristocratico, non democratico, nec mixto. qui cum aliquando suos etiam Reges, duces, comites, principes & gubernatores habuerint, nunc soli Frisii & Groningani praesidem suum, praefectum & gubernatorem agnoscunt; quem in posterum se non admissuros Hollandiae proceres praestito juramento se invicem nuper obstrinxerunt. Hae autem septem Belgico-Germaniae nationes quamquam aeterno illo societatis vinculo arctissime colligantur: non tamen in unum idemque corpus coaluere; at iidem omnino qui ante septem diversi populi sunt, eadem quae ante septem diversa imperia; adeoque corpore & spiritu diversissimae gentes, quarum singulis, suum in sua dominium, suae leges & jura, suaeque summa & nulli subjecta potestas, libertas, ac majestas est reservata.

PARS

P A R S A L T E R A.

De causis mutationum.

I.

SED ad enarranda mutationum primordia & causas accedamus. Causarum Princeps Deus Opt. Max. est, Prometheus universi, & Atlas; qui cum actionibus rerum naturalibus, moralibus, omnibus ac singulis, non modò concurrat potentissimè; sed simul eas sapientissimè dirigit ad finem, statum, ultimum, optimum, seipsum. Hic humani generis & societatis auctor primus, omnia imperia constituit, mutat, vertit: ejus voluntas fatum illud est, cujus immutabili lege imòobilis rerum humanarum ordo seritur, quodque inevitabile esse antiquitùs etiam rectè creditum: quis enim sanæ mentis certam illam naturæ legem à causis secundis, naturâ, astris, numero petet? quis naturæ legisque dominum servum constituat naturæ, legis dicto obedienti? quis neget cuncta gubernans, ac dirigens æternum Numen ab æterno in æternum cuncta providere ac decernere? Idem
inspe-

inspector & iudex humanorum operum, præmia bonis malisque distribuit, eique fini causis secundis utitur administris; ingens hæc machina universi, omnisque cælestis exercitus, æther, aër, aqua, terra, venti, imbres, nives, grandines, ignes, tonitrua, fulmina, terræ motus, inundationes, noxia animalia, sterilitas, morbi, mortes, mala omnia ab eodem Deo profecta, iræ divinæ sunt instrumenta. Divinæ tandem ultioni mores hominum inserviunt & ingenia, pro suâ ipsius indole, vario temperamento, loci naturâ, siderum influxu, admodum diversa: inserviunt horum odia, simultates, seditiones, bella civilia, bella externa; & quæ has postes, hæc monstra comitantur individuo nexu, cædes, incendia, rapinæ, excidia, & id genus enormia scelera.

2. Populo verò adversus Imperantes concitando, & mutandis imperiis, odium & contentus validi motus: Imperantes enim subditi metuunt, ob injurias ac damna sub exemplum inferenda; dolentque ac ulcisci cupiunt ob illata; execranturque, insidiantur, opprimunt:

munt : ob eorum sævitiam , ac frequentia & atrocia supplicia , uberamque sanguinis innocentis effusionem : ob eorum avaritiam , grandiaque , aspera , ac frequentia nimis , & populo intolerabilia tributa : ob eorum indomitam tyrannidem , cum scilicet rectores , spretis legibus omnibus , vitâ , libertate , & fortunis civium ad suam solius abutuntur libidinem. Imperium verò læne , leve , solum , adversa fortuna , libido , luxus , temulentia aliaque naturæ & fortunæ mala , pariunt contemptum : à quo tardum ex se & inaudax odium armatur ; & metus sæpe continet eos , qui magis cupiunt , quam audent : hoc frænum contemptus excurit , efficitque ut non solum velis , sed audeas ac tentes. Arbaces Medorum præfectus , Sardanapalum conspiciens oculis pictis , fucatâ facie , habitu muliebri , inter scorta & eunuchos pensa trahentem , adeo indignabatur ut cum Belocho , Babyloniorum sacerdote , in perniciem voluptuosi illius monstri conjuravit , eumque regno expulerit. Quid exitium attulit Dionysio , principi Syracusæ ; Hipparcho , &

Hip-

Hippiæ, Athenarum; Hieronymo, Sicilia; Tarquinio & Heliogabolo, Romæ; Andronico, Constantinopolis; Childerico, Franciæ; Eothio, Gothorum; Hegezilocho, Rhodiorum; Rhoderico, Hispanorum; Sfortiæ, Mediolanensium; Alexandro Medici, Florentinorum; Lugtaco & Megalo, Scortorum Regibus; quid Canadem, Amyntam, Perian drum, Pisistratum, Aristocratem, Timocratem, Appiū Claudium, Patricium Senensem pessumdedit, iniquum in ci ves dominium, & per omnia dissolutæ vitæ genera absolutissimus luxus? Amasis, Ægypti; Phrahartes, Parthiæ; Prusias, Bithyniæ; Hiero Syracusæ; Caligula, Nero, Domitianus, Vitellius, Commodus, Romæ; Childebertus, Franciæ; Ecelinus, Patavii; Maria, Mediolani, Christiernus, Daniæ tyranni propter crudelitatem perierunt. Intolerandâ servitute pressi Israelitæ, deficiunt ab Ægyptiis: ac moti filiorum Eli insolentiâ, aristocratiam vertunt in monachiam: eorumque decem tribus Rehabeamum, propter nimias exactiones rejicientes, Roboamum principem constitu-

stituunt. Romanorum decemviri, trigintaviri Atheniensium, ejecti vel occisi, similem quoque ob causam. Helvetii, cum acerbissimos Imperatorum legatos diu pertulissent, societate inita, armis prospiciunt suæ libertati. Cum Hispani in Belgio nimis impotenter dominarentur, spretisque Ordinibus multa nova atque crudelia moverent, post longam patientiam, & viginti millium innocentium crudelem mactationem, carnificis manu institutam; Ordines repulso jugo imminenti imperium sibi asseruerunt; libertatemq; per integrum ferè seculum oppugnatum fortiter ac feliciter defenderunt. Neque tantum in universum populum exercita tyrannis; sed injuriæ etiam, & contumeliæ, optimatibus, aut plebi, aut aliquibus horum illatæ, inferentibus summam attulere perniciem. Bodilus regem trucidavit Childericum, cujus jussu erat cæsus. Attila Justinum Imperatorem exitio dedit, ob filium necatum, & uxorem servis defloratam. Henricus Suecorum Rex manu sua civem occiderat, ob rogationem; quapropter populus Regno eum exiit.

In

In Lucretiam scelus commissum Tarquinio regnum eripuit. Roma exusta, quod non puniverit raptorem conjugis Aruntii Hetrusci; qui eâ de causâ Gallos concitavit vindices. Corinthus excisa quod cives, legatos Romanorum perfundentes lotio dimisisset impunitos. Mitylenensium optimatum status versus in popularem est, cum prætereuntes plebeji fuste à nobilibus peterentur.

- Dictatoris** potestas aliquando summa. 1. 3. 53.
- ad eum Diem** exclusive, an inclusive intelligendum. 3. 21. 12.
- Dierum** vox in fœderibus quomodo intelligenda. 2. 16. 12.
- Dignitas** regis leditur in legato. 2. 18. 41.
- Diis** adscripta quæ Juris sunt Gentium. 2. 19. 2.
- Dilectionis** lex distinguitur à lege Evangelica. 2. 1. 35. proprie tamen Jus non dat ei, cui hinc aliquid debetur 2. 17. 24. itaque nec debitum hujusmodi armis exigere licet 2. 22. 31. An obliget omnes homines æqualiter. 1. 2. 19. præcipit multa, quæ non tantum laudabilia sunt, sed etiam omitti sine culpa nequeunt 2. 1. 27. Vetat multa quæ ex Jure stricto licita 2. 1. 33. *st.* 3. 13. 13. ut capere res subditorum pro debito Magistratus 3. 13. 16. res coëmere quæ pluris vendantur etiam pretio haud iniquo pro tempore 2. 12. 39. non indicare merces plures in via esse, quo tuas carius vendas 2. 12. 17. persequi rem suam cum cæde alterius. 3. 2. 18.
- Diligendorum** gradus. 1. 2. 19.
- Diligere** proximum juxta se quomodo intelligendum 1. 3. 19. lex Christi de diligendis singulis quam habeat exceptionem. 1. 2. 19.

Dimi.

Index Rerum

- Dimicatio* singularis quibus casibus licita. 3. 1. 72.
Dimicationes sine fructu illicitæ. 3. 11. 25.
Dimidium navium de integris intelligendum. 2. 16. 12.
Direptiones quæ vitandæ Christianis. 3. 12. 22.
Disciplina militaris an ea severitate custodire possit, ut in itinere, in castris & similibus, miles ne minimum quidem auferat 3. 17. 5. 8. Servatur provisione rerum necessariarum & bene solutis stipendiis & vigore disciplinæ. 3. 17. 6.
Dispensandi in lege pœnali causæ quæ 2. 20. 100. cum seqq.
Dissimulatio an licita. 3. 1. 29.
Divisio rerum ad bellum vitandum. 2. 8. 2. & 3.
Divisio rerum prima causa efficiens proprietatis. 2. 2. 5. & 6.
Divortia olim licita Christianis prohibita. 2. 5. 37. & 41.
Do ut des. 2. 12. 10.
Dogmata nova non sunt metuenda si nihil habeant, quod honestati & obedientiæ erga Magistratum adversatur. 2. 20. 170.
Dolo in bello licet uti, qui perfidia caret 3. 5. 15. non uti generosum est non etiam necessarium 3. 1. 79. Christiani imprimis uti non debent quantum fieri potest. 3. 1. 82.
Dolore alieno satiari contra Jus est naturale. 2. 10. 23. & 24.
Dolus bonus quis. 3. 1. 27.
Dolus in bello an licitus & quis. 2. 10. 29.
Doli mali vox. 2. 10. 16.
Dolo

Dolo contrahens ad quam restitutionem teneatur. 2. 17. 40.

Dolis abstinere generosum. 3. 1. 79.

Domus fructus distinguendi à domanio. 2. 6. 30.

Dominium externum. 3. 6. 4.

Dominium naturaliter & per alium acquiritur. 3. 6. 19.

Dominium Furiosi unde. 2. 3. 11.

Dominium quid & quod duplex. 1. 1. 14. 15. non amittitur nec Jure Naturali ob relictum per se 2. 8. 32. nec ob possessionem amissam licet ex possessione incipiat. 2. 8. 5.

Dominium ante vertere potest lex Civilis, quod

Jure Naturali licitum est 2. 2. 37. ut auferatur alicui sine probabili Causa injuria est 2. 7. 2. 11.

2. 14. 25. non auferatur per adjectam conditionem 2. 3. 40. ex quibus causis alicui auferri potest 3. 20. 32. Jure Naturali us tantum datur, qui utuntur rationo 2. 3. 10. quando definet 2. 9. 1. & 2. per totum distinguitur ab Imperio 2. 3. 6. exceptionem habet necessitatis summae 2. 2. 41. & 43. 44. fines & effectus suos semper habet, sive ex Civ. Jure sive Gentium seu Naturali oriatur 2. 10. 9. 11. 3. 20. 22. quare

introducitur 2. 10. 14. Ei introducit non esset an quis alteri injuriam inferre potuisset in bonis 1. 2. 12. natum unde primum fit & quo modo processerit 2. 2. 5. non nascitur ex solo actu animi 2. 2. 16. nec ex aptitudine ad rem 2. 12. 9. nec ex intellectus perfectione 2. 22. 16. nec ex virtute Sola mentis aut religiosa ibid.

pro-

Index Rerum

- prodel potest ex sola lege Civilis 2. 18. 34. & 2.
8. 1. & 2. ut totum vel ex parte tantum transfe-
ratur Juris Naturalis est 2. 6. 2. 3. & 4. an trans-
feratur in eum qui rem alienam loco suae sibi
debitae cepit. 2. 7. 4. & 6.
Dominium captarum rerum in bello solenni
non est sine omni conditione. 3. 9. 13. stare
potest cum interna obligatione restituendi si
bellum fuerit injustum. 3. 10. 20. Eminens quid
1. 1. 18. & 2. 3. 29. comprehendit Cives & res
eorum. *ibid.* & 3. 20. 24. & 25. in res subdito-
rum civitati competit. 3. 19. 25. ut ex eo alic-
nare res eorum liceat illi & perdere 3. 20. 24.
& factum solum sufficiat ad rem transferen-
dam. 3. 20. 33. utilitatis causa introductum.
2. 14. 23. igitur non competit nisi quatenus
communiter expedit. 3. 19. 27. supereminen-
ti dominio beneficia subditis liberaliter con-
cessa possunt auferri. 2. 14. 38. 39. & 40. falsum
ipsis dici 3. 1. 70. Jus ipsis quaesitum auferri.
3. 14. 22. quae autem singulis auferuntur sic,
eorum compensatio fieri debet ex communi.
2. 14. 23. Generale manere potest, etiam par-
tes sit distributum. 2. 3. 40.
Dominia quomodo intendant sublato subjecto
2. 9. 1. & 2.
Dominica potestas quid. 1. 11. 15.
Dominus qui in culpa non est naturaliter ad nihil
tenetur 2. 17. 50. quicum possidente contrahit
ut cum domino, dominium amittit. 2. 4. 14.
Domi-

- Domino deficiente res redit in statum suum naturalem.** 2. 31. 39.
- Dominum rei, quam possidet, ignorans nemini tenetur.** 2. 10. 34.
- Domini rerum, quæ de navi jactæ sunt, partem ab aliis repetunt.** 2. 10. 32.
- Domos incendere inhumanum.** 3. 12. 10.
- Domuncula seu Tuguriolum momentaneum in littore occupato ponere licet transeunti** 2. 2. 67. **de domo constituere Jus est solius mariti.** 2. 5. 28.
- Dona & per internuncios absentibus mitti possunt.** 2. 11. 56.
- Donare in bello quibus licet.** 1. 3. 58. **duci belli non licet, si jam sunt quaesita, si verò nec dum quaesita, licet.** 3. 22. 22. & 23.
- Donatio an acceptari possit mortuo donatore.** 2. 11. 56.
- Donatio, quæ causam expressam non habet, naturaliter non est irrita.** 2. 11. 70. **Ejus, qui Jure Civili non tenetur interpretanda ex dicto.** 2. 16. 25.
- in Dubio bello flumen occupasse populus censetur.** 2. 8. 19. **pacis leges quædam.** 3. 20. 57. **sequimur quod minimum est.** 2. 23. 4. **& quod tutissimum.** 2. 23. 9. 11. 2. 26. 12.
- in Dubio bello pax præferenda.** 2. 23. 10.
- Dubitatio unde in moralibus.** 2. 23. 1.
- Dubitare quis potest contemplativè non activè.** 2. 26. 13.
- Duellum seu certamen singulare unde natum.** 2.

Index Rerum

20. 35. & 36. non repudiandum, si parati sint certare, ubi alioqui totus populus gravissimis malis se implicaturus erat. 2. 23. 17. peccant autem certantes contra justitiam internam, uno casu excepto. 1. 3. 20. 100. & 104.
- Dux** milites quatenus obliget. 3. 22. 16.
- Dux** de belli causis transigere non potest. 3. 22. 19. & 20. inducias dare potest. 3. 22. 21.
- Dux** homines, imperia, agros, jam quæ sita concedere non potest. 3. 22. 22.
- Dux** condonare potest nondum quæ sita. 3. 22. 23.
- Duces** belli quomodo obligentur ex bello injusto. 3. 16. 14. 15. & 16.
- Ducum** pacta quam recipiant interpretationem. 3. 22. 25.
- Duratio** rei naturam non mutat. 1. 3. 52.

E.

- E**cclesia jus an habeat in infideles. 2. 22. 28.
- Educatio** liberorum quare a quibusdam ad Jus Naturale referatur. 2. 7. 12.
- Effectus** ut non sequatur satis est unicam deesse causarum. 2. 16. 54.
- Egestatis** evitandæ causa quæ injustè fiunt maxime sunt excusabilia. 2. 20. 112.
- Electio** non semper infert subditorum libertatem civilem. 1. 3. 51.
- Eligens** indignum, Reipublicæ tenetur. 2. 17. 13.
- Emendi** Jus res ad vitam necessarias nemini negari potest. 2. 2. 73.
- Emens**

ac Verborum.

Emens rem alienam, restituere eam venditori non potest. 2. 10. 33.

Emphyteusis sine scriptura à Rege facta non valet. 2. 14. 15.

**Emtio Venditio rei alienæ quatenus obliget Em-
torem.** 2. 10. 30. In Emptione venditione do-
minium etiam sine traditione transfertur. 2.

12. 33.

Emtori rei alienæ quatenus obligetur Dominus.

2. 10. 30.

Emi pluris res potest in gratiam alterius. 2. 12. 32.

**Emtor rei captæ bello injusto an quid impendii
deducat.** 3. 16. 8.

**Episcopus qua talis jus non habet regendi huma-
no more.** 2. 22. 29.

Error an irritum actum faciat. 2. 11. 26.

Error quotiens liberet fide. 3. 23. 9.

**Excursus inutiles in bello, id est ii, qui tantum vi-
rium ostentationem habent, injustæ sunt.** 3.

11. 25.

**Executionis ad modum quod pertinet conditio-
nem non facit.** 3. 23. 28.

Exercitoria actio unde. 2. 11. 44.

**Exercitores an teneantur in solidum ex facto Ma-
gistri.** 2. 11. 48. & 49.

Exercitus quid. 2. 16. 7.

**Exercitus insolida conscriptio si justis iudiciis ap-
pareat non fieri se tuendi gratia, rumpit pa-
cem.** 3. 20. 91. & 92. cautio, ne exercitus ali-
quò ducatur, quomodo intelligenda. 2. 16.

63.

R r 2

Exha-

Index Rerum

Exheredari filius à Patre in totum an possit. 2. 7.
12. 16. & 17. anne in regnum succedat. 2. 7. 53.

Exilium fidejussoris damnati ex fidejussione propriè pœna non est. 2. 21. 42.

Exitus liber cum itinere libero intelligendus. 2.
16. 12.

Exploratores graviter puniendi causa. 3. 4. 29.

Expugnationes urbium & direptiones violentas
Christiani permittere non debent. 3. 12. 21.

Exules non tenentur imperiis civitatis. 2. 5. 105.

Exteri quomodo de rebus bello captis judicare
debeant. 3. 6. 44. & 45.

Exteris quomodo Jus nascitur ex Lege Civili. 2.
8. 42.

Exteriorum res retinentur pro jure nostro, aut
civis nostri. 3. 2. 16.

Externi an teneantur legibus loci ejus, in quo
degunt. 2. 2. 38. *it.* 2. 11. 24. an pro hostibus
habendi, si in loco hostili deprehendantur.
3. 4. 13.

Exules ejus suscipere, cum quo pax initur, an
pacem violet. 3. 20. 91. & 94. penes Reges ex-
ules manet Jus regni, etiamsi possessionem
amiserint. 2. 16. 47.

Exulibus pulsis sedibus suis habitatio non dene-
ganda sub certa conditione. 2. 2. 68. nec tran-
situs negandus ad quærendas sedes alias. 2.
2. 54. & 55.

F.

F *Acinorosi* an sepeliendi.

1. 19. 8.

Factum

- Factum* alienum neminem obligat nisi successorem. 3. 2. 2.
- Factum* singulorum non obligat comunitatem civilem 2. 21. 6. ex facto obligatur quis vel ad reparationem vel ad pœnam. 2. 10. 1.
- Facultas*, Juris species, quid & quotuplex. 1. 1. 14. & 15.
- Facultas* eminens quid. 1. 1. 17.
- Facultatis* meræ quæ sunt, an tempore amittantur. 2. 4. 53.
- Falsum* dicere conceditur imperium habentibus. 3. 1. 70. 3. 1. 63.
- Fama* naturaliter homini suum. 2. 17. 6.
- Favor* in promissis. 2. 16. 21.
- Favorabilia* quomodo interpretanda. 2. 16. 27.
- Federatus* an defendendus contra federatum. 2. 15. 32. & 33.
- Fedus* an duret parte violatâ. 2. 15. 38.
- Fedus* antiquius quando præferendum. 2. 15. 36.
- Fedus* cum populo reale. 2. 16. 37. & 39.
- Fedus* jus dat Regi qui regno pulsus est. 2. 16. 47.
- Fedus* cum Populo aut justo Rege, invasori sive tyranno non prodest. 2. 16. 48.
- Fœdus* inæquale propriè jurisdictionem non dat. 1. 3. 75.
- Fedus* à sponsione differt. 2. 15. 3.
- Federis* rumpendi materia odiosa. 2. 16. 32.
- Federa* quædam idem statuunt, quod jus naturæ. 2. 15. 5.
- Federis* princeps imperium in quibus rebus habeat. 1. 3. 75.

Index Rerum

- Federis inæqualis pericula unde.** 1. 3. 84.
- Federa inæqualia contrahuntur etiam ubi Bellum non fuit.** 2. 15. 12. & 13.
- Federa an contrahi possint cum his qui alieni sint à vera religione.** 2. 15. 19.
- Federa favorabilia & quæ odiosa.** 2. 16. 41.
- Federa inæqualia.** 2. 15. 13.
- Federa personalia & realia.** 2. 16. 37.
- Federa faciendi jus ut summæ majestatis pars.** 1. 2. 29.
- Federa quæ duas civitates jungunt an impediunt Statum perfectæ civitatis.** 1. 3. 33.
- Federum finis qualis.** 2. 15. 16.
- Federum fundamentum non est juramentum.** 2. 16. 45.
- Federibus stat. animus generosus quanquam læsus.** 3. 17. 55.
- Federatus utrique cui opem ferre debeat si bellum inter se gerant.** 2. 15. 32.
- Federati inæquales jus legandi habent.** 2. 18. 4.
- Federum distinctio circa jus postliminii.** 3. 9. 44.
- Femine sexu vindicari debent ab injuria.** 3. 11. 17.
- Femine captivæ: Hebræorum lex pro illis.** 3. 4. 35.
- Fera quorum fiat.** 2. 2. 37.
- Feræ in sylvis privatis non sunt nullius.** 2. 8. 4.
- Feræ quamdiu nullius esse sunt dicendæ.** 2. 8. 5.
- Feuda longæva possessione adquiruntur.** 2. 4. 35.
- Feuda adiri possunt hæreditate separatim ab aliorum bonorum hæreditate.** 2. 7. 39.
- Feudalis obligatio non tollit summum imperium.** 1. 3. 86.
- Feu-**

- Feudalia regna quâ successione deferantur. 2. 7. 43.
 Feudalis rei concessio beneficium est. 2. 12. 12.
 Feudorum judicatio non semper facienda ex Le-
 ge Longobardica. 27. 44.
 Fidei jussionis periculum miserabile. 3. 15. 14.
 Fides in Bello. 3. 19. 2.
 Fides Prædoni & tyranno debetur. 3. 19. 0.
 Fides perfido servanda. 3. 19. 48.
 Fides compensando quomodo liberetur. 3. 19. 48.
 Fides tacita quæ. 3. 24. 1.
 Fides quæ vim habet juramenti. 2. 13. 67.
 Fides si frangatur à Rege ut tunc regno cadat,
 hæc conditio non destruit summum imperium. 1. 3. 65.
 Fides promissa, dat jus ei cui promittitur. 2. 19. 7.
 Fides servis quoque servanda 3. 19. 23. etiam Ty-
 rannis. 3. 19. 10. quibus casibus non servari
 potest. 19. 44. an jure supereminens domini
 possit non servari, quæ subditis est data. 3. 19. 22.
 Fides expressa 3. 20. 1. publica *ib.* in fide esse ali-
 quid 1. 3. 76. bona fide rem alienam qui emit,
 pretium an repetat. 2. 10. 33.
 Fidei bellicæ partitio 3. 20. 1. Bonæ fidei & stri-
 cti juris discrimen an valeat inter Populos di-
 versos 2. 16. 24. bonæ fidei possessor non tene-
 tur de re quæ periit 2. 10. 21. neque de re dona-
 tâ. 2. 10. 27. imò nec de vendita. 2. 10. 28. an
 autem naturaliter fructus suos faciat. 2. 8. 37.
 & ad restitutionem teneatur. 2. 10. 21. rectè
 impendia an repetat. 2. 8. 37. malæ fidei pos-
 sessor

Index Rerum

- essor an speciem perdat.* 2. 8. 32. an impendia
repetat. 2. 8. 38.
- Fidejubens & solvens pro aliquo contemplatione
tertiū actionem habet in eum, qui liberatus
est.* 2. 10. 17.
- Fidejussio qualis actus.* 2. 12. 13.
- Fidejussor ad mortem obligari non potest, ad exi-
lium potest.* 2. 21. 40. & 42.
- Filii Fratris majoris an preferenda fratri minori
in regni successione.* 2. 7. 68.
- Filius instrumentum Patris. 1. 5. 9. non sequitur
Patrem, nisi jure commorandi. 3. 21. 35. post-
liminio non redit in Potestatem parentis Jur.
Civ.* 3. 9. 22.
- Finis est semper bonum aliquod aut declinatio
mali. 2. 24. 8. quæ ad finem ducunt in mo-
rali materiâ æstimationem intrinsecam acci-
piunt.* 3. 1. 2.
- Fisco cedere bona captivi non capta Jur. est Civ.
Rom. 3. 9. 27. bona naufragorum est planè in-
justum. 2. 7. 2. & bona oblidis.* 3. 20. 128.
- Flaccii dolus.* 3. 1. 65.
- Flumen totum interdum ripam alteram sequitur.*
2. 3. 38.
- Flumen quod mutavit alveum an idem. 2. 3. 36.
naturalis terminus est Regionis. 2. 3. 33. Ob-
structione fluminis qui tenetur, tenetur etiam
de damno eam secuto.* 2. 17. 28.
- Flumina non sunt nullius idè quod singulos
dominos non habeant. 2. 2. 36. sunt Populi.
2. 2. 52. quomodo occupari potuerint. 2. 3. 13.*
Flumi-

Fluminis cursu mutato an Imperii Fines mutentur.	2. 3. 34.
Ad <i>Fœnera</i> improba quomodo & quare Leges Civiles soleant connivere.	3. 5. 15.
Fœnus nauticum.	2. 12. 12.
<i>Forme</i> in moralibus solent habere interjectum aliquod, quod modo ad hoc, modo ad illud extremum propius accedit.	2. 23. 1.
<i>Fortuna</i> & injuria quomodo distingvantur,	2. 21. 23.
<i>Francici</i> juris successio in regnis.	2. 17. 43.
<i>Francorum</i> mos ad bellum vitandum.	2. 23. 15.
Francorum moderatio in Bello circa res sacras.	3. 12. 19.
Francorum mos circa prædam.	3. 6. 20.
<i>Frater</i> minor an præferatur fratris majoris filio.	2. 7. 67.
Fratris filius an Patruo Regis præferatur in successione.	2. 7. 68.
Fratris filiam uxorem ducere non est prohibitum.	2. 5. 73.
<i>Fraudantes</i> virgines aut vectigalia.	2. 17. 36. & 39.
<i>Fretum</i> maris potest occupari.	2. 3. 16.
<i>Fructus</i> ut uni populo vendantur pacto an licita.	2. 2. 84.
Fructus qui restituendi.	2. 10. 23.
Fructus industriales rei non debentur.	2. 10. 24.
Fructus consumti an restituendi.	2. 10. 25.
Fructus in Pace qui concessi intelligantur.	3. 20. 58.
Fructus cum Re restituendi.	2. 10. 21
Fructus	

Index Rerum

- Fructus restituendi ex damno dato. 2. 17. 15. & 16.
- Fructus duplices industriz & Rei. 2. 10. 23.
- Fructuum dominus est naturaliter qui Dominus est rei. 2. 10. 23.
- Functionem* res, numero, & mensurâ constantes quomodo recipiant. 2. 10. 36.
- Fur* ad quid teneatur. 2. 17. 37.
- Furem fugientem cum re nostra occidere non possumus. 2. 1. 50. & lex quæ furem impune dicit interfici non dat jus interficiendi eum. 2. 1. 51.
- Furis nocturni & diurni distinctio. 2. 1. 44. & seqq.
- Furiosum* promittendo non obligatur. 2. 11. 19.
- Furtum quomodo punitum sit à Grecis & Judæis. 2. 20. 12. & 5.
- Furtum non semper committitur ereptione rei alienæ: 2. 1. 34. non committit is qui bello injusto captus res suas domino subducit. 2. 7. 14.
- G.
- G** *Abagnitarum* controversia. 2. 13. 17.
- G** *Gallis* Hercules justè Bellum infert, quia carnes humanas epulabantur. 2. 20. 146.
- Generatio* parit Jus in Rem. 2. 5. 3. & personam. 2. 5. 25.
- Genero* cum focu matrimonium est illicitum. 2. 5. 70. & seqq.
- Generis* nomen sæpè adhæret speciei. 2. 6. 17.
- Germani* sunt orientales. 2. 9. 15.
- Germania* non fuit Pars Rom. Imperii. 2. 9. 25.
- Gladio

as Verborum.

- Gladio* bella minus acerbè gerenda. 3. 11. 13.
Gladium accipiens gladio peribit, quo sensu dictum. 1. 3. 18.
Gladios gesserunt Apostoli. 1. 3. 17.
Gothorum moderatio in Bello circa Res sacras. 3. 12. 19.
Gradus qui in levitico per interpretationem prohibiti censeantur. 2. 5. 64.
Græcorum mos bellorum causas certamini comittere duorum. 2. 23. 19.
Gratia mortuis quomodo reddatur. 2. 7. 21.
Gratiâ quod debetur armis peti nequit. 2. 22. 31.
Gratiam referre prius quam beneficium conferre. 2. 7. 21.
Gravia eximenda à verborum universitate. 2. 16. 72.

H.

- H**abitatio an concedenda exteris & quibus Legibus. 2. 2. 68.
Habitatio cum iis qui à verâ Religione sunt alieni Lege Evangelica permessa est. 2. 15. 25.
Hæres non tenetur ex vi solâ juramenti facti à defuncto. 2. 13. 47.
Hæres an de pœna teneatur. 2. 21. 48.
Hæreticus Augustino quis. 2. 20. 174. & seqq.
Harmonica Proportio an in pœnis locum habeat. 2. 20. 128.
Hasta sanguinea. 3. 3. 31.
Hastarum erectio. 3. 24. 10.
Hebræi jussi sacra gentium abolere. 3. 5. 10.
Hebræis

Index Rerum

Hebræis an licuerit beneficia dare extraneis aut
ab iis accipere. 2. 15. 20.

Hebræorum Lex pro fœminis captivis. 3. 4. 35.

Hebræorum mos de corona victi Regis. 3. 6. 39.

Hebræorum Jus circa Servos. 3. 7. 18.

Hebræorum Jus in Liberos. 2. 5. 16.

Hebræorum Jus de arboribus in bello. 3. 12. 8.

Hebræus deficiens à religione à quolibet alio He-
bræo potest interfici. 2. 20. 48.

Hæreditas etiam re recusari potest. 2. 4. 13. rectè
relinquitur liberis quibuscunque. 2. 7. 13. hæ-
reditates quædam diversæ ab hæreditate bo-
norum. 2. 7. 39.

Hæres personam defuncti refert. 2. 9. 29. in bo-
nis tantum non in meritis. 2. 21. 58. tenetur
ex facto defuncti. 3. 2. 2. ex jurejurando de-
functi vi expresso non tenetur. 3. 19. 18. regni
patrimonialis in quantum teneatur coheredi-
bus. 2. 27. 30.

Hæreticus quis sit. 2. 20. 173. & an justo bello pos-
sit impugnari. 2. 20. 175.

Herodis magni liberorum controversia. 2. 7. 61.

Hollandia mos circa obligationes exercitorum.
2. 11. 49.

Homicida injustus. 2. 17. 29. in quantum tenea-
tur occisi parentibus. *ibid.* quid restituere te-
neatur. *ibid.*

Homicidas occidere ut liceat, unde ortum. 1. 2.
17.

Homicidas primis temporibus capitis supplicio
affici Deus prohibuit. 1. 2. 17.
Homicidæ

- Homini** homine non est prodigè utendum. 2. 24.
19.
- Homo** hominem ut adjuvet juris naturalis est. 2. 20. 36.
- Homo** hominem ut tueatur juris naturalis est. 1. 5. 7.
- Homo** ad quæ jus habet. 2. 17. 6.
- Homo** homini Instrumentum. 1. 5. 9.
- Hominum** omnium naturâ interest ut aliis hominibus consulatur. 3. 19. 36.
- Hominum** reddendorum pactum de vivis intelligendum. 2. 16. 12.
- Honestatis** generale præceptum in Evangelio. 1. 2. 19.
- Honestum** quid & quotuplex. 1. 2. 3.
- Honestum** vel in puncto consistit, vel admittit quandam laxitatem. 1. 2. 6.
- Honor** quid. 2. 1. 37. adversus honorem quibusmodis damnum datur. 2. 7. 52. naturaliter homini suum. 2. 17. 6. honoris recuperandi gratia lædere alium an liceat. 2. 1. 37.
- Honoribus** arcentur nocentum liberi. 2. 21. 54.
- Horatiorum** & Curiatorum duellum an fuerit justum. 3. 20. 98.
- Hospitis** Jus fœderibus iniri solet. 2. 15. 60.
- Hostis** est qui facit quod placet hosti 3. 17. 13. in hostem Jure gentium omnia licent 3. 4. 7. privatim potest interfici etiam in territorio alieno & pacato 3. 4. 14. ex Hostibus Romani justè & prudenter faciunt Amicos. 3. 15. 11.
- Hostis** occisio indistincta quo sensu licita. 3. 4. 2.
Hosti

Index Rerum.

Hosti subministrans Res an pro hoste habendus.	3. 1. 14.
Hosti mentiri licere qui senserint.	3. 1. 27.
Hostem spoliare an liceat 3. 5. 1. Res ad Hostem missæ quatenus intercipi possunt.	3. 1. 17.
Hostes sepeliendi.	2. 19. 7.
Hostes qui.	3. 3. 3.
Hostium subditi hostes.	3. 3. 37.
Hostium subditi ubique offenduntur jure belli.	3. 4. 14.

I.

J acobus foedus inicit cum Idolatra.	2. 15. 20.
I dem morali æstimatione censetur tantundem.	2. 7. 4.
I dola Hostium evertere aut diruere an liceat iis qui eadem religione tenentur.	3. 5. 4 & 8.
Idolorum cultores an hoc nomine bello possint impugnari.	2. 20. 164.
I ephis controversia cum Ammonitis.	2. 4. 6.
I gnoscere an liceat interdum 2. 20. 88. an liceat posita lege pœnali.	2. 20. 100.
I gnorantia quæ delictum minuat.	2. 20. 193.
I llicita eximenda à verborum universalitate.	2. 16. 72.
Illicita non obligant.	2. 16. 69.
Illicitum factum non semper caret effectu Juris.	2. 11. 40. & 41.
Illiciti facti promissio non valet. 2. 11. 37. etiã jurata 2. 11. 24. verba quæ illiciti quid continent quomodo interpretanda.	2. 16. 69.

In

- In *Imaginibus* gentiles arbitrabantur habitare aut
 Dei Spiritum aut bonos Angelos. 3. 5. 10.
- Immunitas* rerum ad agri culturam pertinentium. 3. 13. 17.
- Immunitatis concessio* quibus casibus definat. 2. 16. 72.
- Impediens* aliquem à petendi munere quando te-
 neatur. 2. 17. 15.
- Impendens* in rem alienam receptu difficilem
 sumptus servat. 2. 10. 30. & seqq.
- Impensorum* loco justè retinentur quæ durante
 bello capta sunt ab iis qui justum bellum ges-
 serunt. 3. 13. 12.
- Imperare* non semper involvit Subditos. 1. 3. 74.
 & seqq.
- Imperandi jus* non semper subditorum arbitrio
 relinquitur. 1. 3. 38.
- Imperandi ordo* inservit nostro bono etiam tum
 cum patimur injurias ab Imperante. 1. 4. 8.
 an utile esset ut unus aliquis toti mundo im-
 peraret. 2. 22. 25.
- Imperator Romanus* non jus habet in ea omnia
 quæ quondam fuere Populi Romani 2. 22. 26.
- Princeps foederis electus* contra Turcam. 2. 15. 31.
- Imperator Romanus* qua talis unde jus suum
 habeat. 2. 9. 25.
- Imperium* quatenus adquiri possit. 3. 15. 2.
- Imperium in victos accipi* rectè ad sui Tutelam. 3. 15. 6.
- Imperium Bello* adquiritur. 3. 8. 3.

Impe

Index Rerum

Imperium à Rege alienari potest consensu Populi.

2. 6. 16.

Imperium Romanum distinctum est à Germania magna.

2. 9. 28.

Imperium Jure nat. acquiritur non ultra quam fert debiti modus 3. 15. 2. alienari potest 1. 3. 58. ut alienetur quibus opus sit 2. 6. 13. non amittitur delinquendo 2. 1. 29. in corpore non est divisibiliter in plura corpora 2. 6. 19. dari à Deo utile est ut credatur. 1. 3. 46. & seqq. derelinquitur aliquando 2. 4. 30. desinit derelictione 2. 9. 1. distingvitur interdum à Dominio 2. 3. 6. dividi potest ut pars sit penes Populum, reliqua penes Regem 1. 3. 66. divisum an censeatur si Rex irrita fore promiserit, in qua Senatus non consentiet.

1. 3. 68.

Imperii divisi Exempla 1. 3. 72. proprietas pleno jure potest haberi 1. 3. 54. hocq; imperium patrimoniale dicitur 1. 3. 56. quod per Regem exercetur non desinit esse imperium Populi 2. 16. 38. quod est in Rege ut in capite, in Populo manet ut in toto 2. 9. 18. vi partum ex voluntate etiam tacitâ potest jus accipere 2. 4. 50. materia prima & secunda.

2. 3. 7.

Imperium herile quod ad utilitatem regentis instituitur, quo jure haberi possit 3. 8. 10. status mixtus. 3. 19. 37. & est cum servitus miscetur cum personali libertate 3. 8. 11. summum res est nobilissima 2. 4. 41. quod producit Societas civilis tantum juri nat. subjacet 2. 4. 38. non amittitur ab iis qui acta sua à minoribus Magistrati-

- stratibus volunt confirmari 1. 3. 68. continet
Jus ut in bona sic in actiones subditorum. 3.
20. 124. & potestatem eos dijudicandi. 2. 25. 25.
habetur vel jure temperario vel usufructuario,
vel proprietatis. 1. 3. 51. habentes in quos bel-
lare possint. 1. 4. 1. penes populum an semper
sit. 1. 3. 38. redit ad Populum in Regnis ele-
ctivis mortuo Rege. 2. 9. 18.
- Imperii summi exempla & testimonia per omnes
Rerumpubl. formas. 1. 3. 38.
- Imperii summitas distinguenda ab habendi ple-
nitudine. 1. 3. 60.
- Imperii Pars non potest recedere à corpore nisi
in extrema necessitate. 2. 6. 17. tunc enim va-
lidè imperium alterius in se recipit. 3. 20. 17.
- Societatem continentis reverentia æquipara-
tur vitæ. 1. 2. 17.
- Imperii transactio jus dat & potestatem obligan-
di cœtum. 2. 14. 29.
- Imperii Romani nunc non sunt omnia, quæ olim
fuerunt. 2. 22. 26.
- Imperii summi jus tam à populo, quàm Regi
longa possessione acquiritur. 2. 4. 38.
- Imperii subjecta personæ & territorium. 2. 3. 7.
- Imperii pars pignori dari non potest. 2. 6. 25.
- Imperii proprii exempla. 1. 3. 58.
- Imperii summi partitio quomodo fiat. 1. 3. 66.
- Imperii vox improprie sumpta pro ductu & po-
stulato. 1. 3. 75.
- Imperio partito singuli imperantes pro sua parte
jus belli habent. 1. 4. 28.

Index Rerum

- Imperia magna difficulter custodiuntur.** 2. 22.
25. & seqq.
- Imperia successiva non semper summa.** 1. 3. 58.
- Imperia non summa plenè haberi & in patrimonio esse possunt.** 1. 3. 60.
- Imperia electiva quædam summa.** 1. 3. 51.
- Imperia quædam in patrimonio & alienabilia.** 1. 3. 60.
- Imperia quomodo intereant sublato subjecto.** 2. 9. 1.
- Imperia prophanorum spontè non subeunda.** 2. 15. 27.
- Impietatis autores jure gentium punibiles.** 2. 20. 164. & seqq.
- Impossibile dupliciter quid dicitur.** 2. 13. 29. ad omninò impossibile nemo obligatur. 2. 13. 28.
- Impossibilitas facti promissi excusat, nè pax rumpatur.** 3. 20. 88.
- Inæqualitas in contractu naturaliter jus dat minus habenti.** 2. 12. 15. Non si in eum consensus est jure Gentium. 2. 12. 70. aut juramentum intercesserit. 2. 13. 25.
- In incendio ædes vicinas quo jure liceat diruere.** 2. 2. 41. In incendio puniendo multorum etiam spectandæ sunt calamitates. 2. 20. 118.
- Incestum jure Gentium.** 1. 2. 5. 60.
- Incorporata cum persona acquiruntur.** 3. 7. 4.
- Indefinita pro universali quando sumantur.** 2. 16. 26.
- Indictum bellum principali, simul indictum subditis & sociis.** 3. 3. 32.
- Indictio**

- Indictio belli.** 3. 3. 14.
Indictio specialis requiritur, si focii per se & apud se bello impetantur. 3. 3. 34.
Indictio Belli ad quos respiciat. 3. 3. 32. **in quem finem instituat.** 3. 3. 36. **quotuplex.** 3. 3. 27.
an necessaria post inducias. 3. 21. 8. **quando Jur. Nat. & Gent. necessaria.** 3. 3. 15. **an statim post indictionem Bellum possit inferri.** 3. 3. 40.
Indigentia naturalis mensura ejus quod res quæque valere debet. 2. 12. 31.
Indirecte licent quædam, quæ directe non licent. 3. 1. 9.
Inducia quid 3. 21. 2. **quando incipiunt obligare** 3. 21. 15.
certum finem & earum effectus. 3. 21. 19. & 20.
Inducia per centum annos etiam esse possunt 3. 21. 6. **non rumpuntur à privatis nisi publica auctoritas iis accesserit** 3. 21. 29. **vim omnem prohibent.** 3. 21. 20.
Induciarum tempus an includat nominatum terminum. 3. 21. 11. & 12.
Induciarum tempore si quid convenit idem valet ac quod belli tempore. 3. 21. 4.
Induciarum tempore non est postliminium. 3. 9. 15.
loca relicta non licet occupare. 3. 21. 20.
Inducis quæ personis tantum dantur res defendere etiam cum cæde personarum licet. 3. 21. 25.
Induciarum tempus an veniat sub belli, an pacis nomine. 3. 21. 3.
Induciarum tempus quomodo computandum. 3. 21. 34.

Index Rerum

- Induciis finitis nova indictione non opus.** 3. 21. 8.
earū tempore quid liceat, quid non. 3. 21. 19. & 20.
- Induciis elapsis qui sine culpa apud hostem reperitur an capi possit.** 3. 21. 21.
- Induciis ab altera parte ruptis indictione non opus est.** 3. 21. 26.
- Inermibus percendum.** 3. 11. 17.
- Infans promittendo non obligatur.** 2. 11. 19.
- Infantes occiduntur jure belli.** 3. 4. 18. quo sensu non occidi debeant. 3. 11. 17.
- Infantis dominium unde.** 2. 3. 16.
- Infeudatio est alienatio.** 2. 6. 24.
- Infortunati in bello qui.** 3. 11. 3.
- Infortunium & injuriæ quo distent.** 2. 21. 23. 2. 3. 21. 6.
- Inhonesti facti promissio an valeat.** 2. 11. 37.
- Inimicis fratribus Judæi benefaciant.** 2. 20. 18.
- Inimici sepeliendi.** 2. 19. 7.
- Injuria qualis Christiano non repellenda.** 1. 2. 19. quæ in nostram personam committitur spernenda est. 2. 24. 3.
- Injuriæ vindicta jure naturali concessa, cui inferitur.** 1. 4. 3. sed prohibita lege societatis *ibid.* nimia si sit, sit injusta. 3. 14. 2.
- Injuriam non facio cum utor meo jure.** 2. 1. 45. facienti non resistit, an dicatur universaliter 1. 3. 18. levem judicio persequi lege Evangelica prohibitum. 1. 2. 19.
- Abinjuria imperantium subditos defendere alienos etiam vi & bello utrum liceat** 2. 25. 24. **Populus populum ab injuria defendere non tenetur**

- tur si manifestam sit periculum. 2. 25. 22. qui injuriâ me afficit & ipse mihi jus dat adversus se in infinitum. 2. 1. 24.
- Injuriz, culpæ, infortunii discrimen. 3. 11. 24.
- Injuriz quædam ferendæ & quales. 1. 2. 19.
- Quædam *injusta* non sunt & tamen cum caritate pugnant. 2. 12. 39.
- Injustitia* admiffa communiter etiam à civitate non facit, ne sit justa societas 3. 3. 6. eo major, quo magis alteri damnû infertur 2. 20. 114. committi potest in bello justo. 3. 11. 1.
- Injustum* quid. 1. 1. 7.
- Injusti iudices*, testes, accusatores ad quid teneantur. 2. 17. 39.
- Innocens* interdum non injustè occidi potest. 2. 1. 16.
- Innocens civis* ut se hosti dedat eum petenti etiam à civitate cogi potest. 2. 25. 7.
- Innocenti insultans princeps* non ideò statim princeps esse definit. 2. 1. 29.
- Innocentem* an teneamur defendere & quando, 2. 26. 19.
- Ob inopiam publicam perigrini semel admiffi* rectè expelluntur. 2. 2. 74.
- In inopia seu defectu cibariòrum*, quo jure quod quisque habet conferre cogitur. 2. 2. 43.
- Insignia Regia* non semper demonstrant regiam potestatem. 1. 3. 50.
- Institoria actio* unde. 2. 11. 46.
- Instrumentum* etiam homo est & quale. 1. 5. 9.
- Insula* quomodo distingvatur ab alluvione 2. 8. 24.

Index Rerum

- Insulæ cujus.** 2. 8. 15. & 16:
In Insulis vacuis cessat iudicium. 1. 3. 11.
Intentio mala per se ad restitutionem non obligat
 2. 22. 28.
Interesse mercatorum an sit iustum & quatenus.
 2. 12. 52. & 53.
Internecino bello pax qualiscunque præferenda.
 2. 24. 13.
Interpretatio ea sumenda est, quæ cavet, ne actus
 in vanum recidat. 3. 19. 14.
Interpretationis mensura quæ sit. 2. 16. 2. **regulæ**
 in conditionibus pacis si dubia oriuntur. 3. 20.
 57. in pactis inter privatos tempore belli. 3.
 23. 25.
Interpretandi regulæ. 2. 16. 4.
Invasio alieni si de pace rumpenda agatur, cen-
 setur magna esse cupiditas. 3. 20. 93.
Invasor imperii populum obligare nequit. 2. 14. 41.
Invasorem bello petere an liceat populo, cui cum
 subditis invasoris foedus est, volente verò re-
 ge. 2. 16. 48.
Invasorem occidere non licet, si ei fides data sit,
 aut pactum intervenerit. 1. 4. 32.
Invasor imperii præceptis suis quatenus obliget.
 1. 4. 30. **quomodo possit interfici belli iure.**
 1. 4. 32. & **ex lege antecedente.** 1. 4. 33. **ex au-**
 thoritate jus imperandi habentis. 1. 4. 34. **Sur**
 extra casus exceptos interfici à privato non
 possit. 1. 4. 35.
Qui invenit rem alienam ad quid teneatur do-
 mino. 2. 10. 2.
 Innun-

Inundatione dominium regulariter non amittitur. 2. 8. 17.

Joca. 3. 1. 74.

Josephi Patriarchæ monopolium. 2. 12. 37.

La homini cum bestiis communis. 2. 20. 13. quod ex ira committitur magis excusabile, quam quod ex voluptate. 2. 20. 122. & 124.

Iracundi sunt in quibus bilis prævalet. 2. 20. 121.

Irrigiosi etiam in falsos Deos justè puniuntur, bello impugnantur. 2. 20. 176.

Irriti actus quinam jure naturæ. 2. 5. 44.

Irritum facere diversum est à prohibere. 2. 5. 84. quæ actum irritum faciunt sunt odiosa. 2. 16. 22.

Irritum facere quid Rex antecedenter potest, non etiam consequenter. 2. 14. 11. & 12.

Itus quomodo reditum comprehendat. 3. 21. 23.

Qui jubet tenetur de damno factò ab eo, quem jussit. 2. 17. 20. & 2. 21. 5. id quod jubet an id quod permittit in dubio præferendum. 2. 16. 75.

Ubi iudex expectari non potest sine certo periculo aut damno, cessare judicium intelligitur. 1. 3. 9. idem intelligitur, ubi rejicit judicium. *ibid.*

Judicandi libertas homini ab homine quomodo debeat. 3. 1. 58.

Judicare an possit de regni successione sive Rex sive populus. 2. 7. 57.

Judicia in subditos cuique potestati. 2. 25. 25.

Judices cur eligendi qui prudentissimi. 2. 20. 46.

Judicium Zeli. 2. 20. 48.

Index Rerum

- Judicium respicit meritum personarum non jus
promiscuum. 3. 4. 17.
- Judicii cessatio momentanea aut continua. 1. 3. 7.
& 8. jure aut facto. 1. 3. 10. seqq.
- Judicia capitalia an permiffa Christianis. 2. 20. 73.
non sunt affectanda. 2. 20. 76.
- Judicia publica non à natura sed facto. 1. 3. 6.
- Jurans* non daturum se, potest repetitionem ere-
pti omittere. 2. 13. 22.
- Jurans* prædoni datum non rectè repetit. 3. 13. 44.
- Jurans* redire ad hostem, si clam redeat, non sa-
tisfacit. *ibid.*
- Jurans* quando Deo tantum obligatur, quando
& homini. 2. 13. 38. & 39.
- Jurans* non tenetur, si is, cui juratum est eum
liberet. 2. 13. 48.
- Jurans* implere debet contractum, cui inest in-
æqualitas. 2. 13. 46.
- Jurare* volens obligatur, etsi obligare se nolit. 2.
13. 60.
- Jurans* deliberato animo se non obligandi, tamen
obligatur. 2. 13. 7.
- Juramentum* per caput, principem & similia. 2.
13. 32.
- Juramentum* per falsos Deos an obliget. 2. 13. 35.
- Juramentum* piratæ aut tyranno præstitum obli-
gat. 2. 13. 42.
- Juramentum* metu extortum obligat: & quate-
nus. 2. 13. 40.
- Juramentum* de præda non intervettenda. 3. 6.
34.
- Jura-*

ac Verborum.

Juramentum per res creatas an licitum & quo sensu. 2. 13. 32.

Juramentum de re impossibili nihil operatur. 2. 13. 28. de re pro tempore impossibili quid operetur. 2. 13. 29.

Juramentum impediens majus bonum morale non valet. 2. 13. 25.

Juramentum violatum. 2. 13. 2.

Juramentum quomodo ex lege actui in valido validitatem conferat. 2. 13. 64.

Juramentum de re illicita non valet. 2. 13. 24.

Juramentum non extendendum ultra consuetam significationem. 2. 13. 21.

Juramentum dolo elicitum quam vim habeat. 2. 13. 15.

Juramentum non intelligendum sub conditione tacita. 2. 13. 14.

Juramentum per coelum, terram & similia an Christiano licitum. 2. 13. 22. ab incredulo per falsos Deos conceptum an quis debeat accipere. 2. 13. 35. dissolvi an queat superiorum actu. 2. 13. 52. *seqq.* an omne lege evangelica improbetur. 2. 13. 65. irritum reddi potest antecesser à privato & rege. 2. 14. 11. consequenter verò non nisi respectu superiorum. 2. 13. 55. & 2. 14. 12.

Forma Juramenti. 2. 13. 30.

Juramenti vis. 2. 13. 1.

Juramenti violati poena ad posteros maneat. 2. 13. 2.

Juramenti obligatio ex animo deliberato. 2. 13. 7.

Jura-

Index Rerum

- Juramento promissum non potest retineri ob peccatum alterius antecedens.** 2. 13. 61. & 3. 19. 13.
- Juramento convenit maxima simplicitas.** 2. 13. 16.
- Juramento testis & ultor Deus.** 2. 13. 31.
- A Juramento absoluti unde vim habeat.** 2. 13. 57.
- Circa Juramenta quid possunt superiores.** 2. 13. 52. *seqq.*
- Juramento fallere viros ut pueros an liceat** 3. 1. 78.
- in juramento negotio cum Deo est** 2. 13. 41. *an*
- ex juramento haeredes etiam obligentur.** 2. 13. 47.
- Juramenta à Christo quae prohibita.** 2. 13. 65.
- Juramenta regum.** 2. 14. 11.
- Jura acquiri an possint bello solenni.** 3. 7. 4. *acquiri nequeunt*, quae sunt inalienabilia *ibid.* multa sunt qui tantum exterius judicium spectant animo autem religionis vinculum non injiciunt. 3. 7. 11.
- Pactum juratum fortius non jurato.** 2. 16. 75.
- Jurisdictiones summâ inferiores concedi jure hereditario possunt populi consensu.** 2. 6. 26.
- Juris natura dictata alia magis, alia minus manifesta.** 2. 20. 152.
- Jure gentium bona subditorum obligantur ex facto superiorum.** 3. 2. 4.
- Jurigentium dicuntur multa; quae communia sunt populis sine mutua obligatione.** 3. 1. 35.
- Juris derelicti signa ex verbis, factis & non factis.** 2. 4. 11. *seqq.*
- Jura quaedam ad summum imperium pertinent sepeparabiliter aut communicabiliter.** 2. 14. 48.

Juris

- Juris gentium multa improprie dicuntur.** 2. 8. 1. § 9.
- Juris quaesiti jure naturali ab jure civili distinctio repudianda.** 2. 14. 24.
- Juris capax non est nisi naturae praeceptis utens generalibus** 1. 1. 44. **dictio non est nisi apud superiorem** 2. 7. 57. **effectus interni** *Proh.* 60. § 99. **nemo plus juris transferre potest, in alium, quam ipse habet.** 2. 16. 30.
- Juris etiam alieni quis vindex naturaliter.** 1. 5. 6. § 99.
- Juris externi efficacia qualis.** 3. 7. 17.
- Jura quaedam realia quo sensu dicantur.** 1. 1. 12.
- Juris societas aliqua cum praedone.** 3. 19. 10.
- Jurisjurandi effectus est praecidere controversias** 2. 13. 26 **forma qualis** 2. 13. 30. **Obligatio personam tantum obstringere potest, promissio etiam ipsum heredem** 2. 16. 45. **verba quomodo intelligenda.** 2. 13. 21.
- Jus jurandum a civitate factum, & repetitum.** 3. 19. 29.
- Jus pro eo quod justum.** 1. 1. 6.
- Jus pro qualitate sumtum quid sit.** 1. 1. 11.
- Jus pro lege.** 1. 1. 25.
- Jus pro lege ad aliarum a justitia virtutum materiam pertinet.** 1. 1. 28.
- Jus naturale** 1. 1. 30. **quomodo differat a divino voluntario.** 1. 1. 31. & 72.
- Jus naturale a Deo immutabile & quare** 1. 1. 36. **est aliquid consequens actum humanum** 1. 1. 34. **sumitur aliquando pro eo, quod est honestum** 1. 1. 33. **videtur mutari propter materiae mutationem.** 1. 1. 38.

Index Rerum

esse aliquid jurisnaturalis probatur à priori
& posteriori 1.1. 48. & 49. jurisnaturalis redu-
ctive quæ sint. I. 1. 32.

Jus naturæ pro certo statu. I. 1. 34.

Jus naturæ quomodo à Ictis sumatur & an recte.
I. 1. 44.

Jus rectorium & æquatorium. I. 1. 8.

Jus non est in brutis animantibus. I. 1. 44.

Jus voluntarium humanum vel divinum. I. 1. 62.

Jus voluntarium humanum civile, civili arctius,
civili latius. I. 1. 64.

Jus divinum voluntarium I. 1. 72. aut est unius po-
puli aut omnium. I. 1. 74.

Jus divinum Hebraicum alios populos non obli-
gat I. 1. 75. quoad nos abrogatum non rectè di-
citur I. 1. 76. quem usum nunc habeat I. 1. 77.
seqq. nihil continet juri naturæ contrarium.
I. 1. 77.

Jus gentium quid I. 1. 68. quomodo probatur
I. 1. 71. non est commune omnibus populis.
I. 1. 70.

Jus externum quale. I. 4. 3. & I. 10. 1.

Jus regum & populorum quando pace remissum
censeatur. 3. 20. 46

Jus gentium circa inæqualitatem in contractibus.
2. 12. 70.

Jus internum ab externo distinctum. 2. 12. 22. 3. 7.
II. & 3. 10. 2.

Jus exterorum supereminenti dominio non subest.
2. 14. 26.

Jus naturæ sporibus obliteratur. 2. 15. 10.
Ius

ac Verborum.

- Jus gentium de bello captis.** 3. 6. 4. *seqq.*
Jus gentium vetat permiffa jure naturæ. 3. 4. 21.
Jus gentium apud populos quosdam. 3. 4. 33.
Jus gentium improprie quod multi populi ufurpant fine mutua obligatione. 2. 3. 9. & 3. 1. 35.
Jus fæpe remittendum ut bellum vitetur. 2. 24. 1.
Jus non obligat in fuma neceffitate. 2. 18. 35.
Jus neceffitatis 2. 2. 49. **Personale** 1. 1. 12. in personam ex quibus rebus 2. 5. 25. præcipui acquiri potest cum hæreditate, etiam cum bonorum hæreditas non aditur. 2. 7. 39.
Jus protectionis. 1. 3. 85.
Jus quo fensu dicatur id quod placet validiori *prol.* 59. dicere fibi illicitum. 2. 7. 7.
Jus ftrictum diftinctum à juftitia 3. 10. 4. opponitur armis. *Prol.* 3.
Jus ortum à Jove cur dicatur. *Prol.* 36. & 37.
an metu injuriæ accipiendæ fit fancitum *Prol.* 37. **an utilitatis tantum gratia, quod Carneades putavit** *Prol.* 10. **subditis quæfitum an rex auferre poffit** 2. 7. 22. **quæfitum in regem per promiffionem & fimilia, quo cafu juftè ipsis auferatur** 2. 14. 27. **legitimo modo partum ne cui auferatur fine caufa juris naturalis** 2. 14. 25. **cur in populo aut rectore ejus quidam habeant.** *Prol.* 67.
Jus belli pro eo quod naturaliter æquum eft & confvetum à mitius viventibus 3. 11. 19. **pro eo, quod fit impune, per fe tamen non omnî culpâ caret** 3. 4. 7. **ſpectatur non tantum ex prin-**

Index Rerum

principio , sed & ex causis subnascantibus 3. 1.
8. certum moraliter quid dicatur. 2. 7. 9.

Jus Civile quid 1. 1. 65. favet his , qui parere ne-
cesse habent, sed non iis , quæ atrocitatem ha-
bent facineris 2. 26. 6. *seqq.* oritur vel ex obli-
gatione vel ex consensu *Prolog.* 43. ad quos non
pertinet 1. 1. *princ.* aliquod civile multarum
gentium 1. 1. 70. 2. 3. 9. hoc improprie jus
gentium 2. 8. 1. multari potest etiam à singulis
2. 3. 9. jus quæsitum ex lege civili non magis,
quam quod ex jure naturali sine causa alicui
auferri potest 2. 14. 24. commercii jus ex con-
sensu in personam unde. 2. 5. 25.

Jus divinum duplex. 1. 1. 74. quomodo differat à
naturalii. 1. 1. 31. perfectius alio nomine lex
evangelica vocatur. 1. 1. 17. eo omnes tenen-
tur, etiam reges. 1. 3. 61. quoad effectus quos-
dam. 3. 7. 11. externum eminens. 2. 3. 40. ex-
ternum 3. 13. 3. non tam late patet quam id
quod ex delicto. 3. 14. 4.

Jus gentium quid. 1. 1. 68. unde. *prolog.* 51. aliud
naturale aliud voluntarium. 2. 8. 1. proprie di-
citur quod habet vim pacti inter gentes &
quod pertinet ad societatem. 2. 8. 2. minus
proprie dicitur quod multis quidem commu-
ne est, non tamen humanæ societatis vinculu-
lum constituit. 2. 8. 41. jus gentium dicitur id,
quod singulis gentibus placuit sine obligatio-
ne & quod mutuan obligationem continet. 3.

135.

Jus

Jus naturale quid. 1. 1. 30. unde fit. *prol.* 20. quæ ei putantur contraria. *prol.* 3. non omnia irrita facit, quæ ei repugnant. 2. 5. 44. quando irritum quid reddat. *ibid.* minui potest à Deo per leges. 2. 1. 35. & 38. mutari nequit, res tamen mutantur. 1. 1. 38. contractus innominatos à nominatis non distingvit. 2. 12. 10. religionis discrimen ignorat. 2. 15. 29. aliud novum est aliud sequitur introductum dominum. 2. 8. 1. de iis agit, quæ voluntatis humanæ actum consequuntur. 1. 1. 34. qui jus naturale immaniter violat à quovis rege aut eo qui par jus habet, puniri potest. 2. 20. 146. naturaliter etiam à quovis homine. 3. 19. 11. Juris naturalis communionem habent omnes homines, etiam tyranni & piratæ. 3. 19. 10.

Jus strictum usurpare non licet, nisi multo majus sit bonum quo tendit nostra actio, quam malum quod in omne futurum metuitur. 3. 1. 10. *seqq.* juris sui naturaliter quisque vindex 1. 5. 2. imo alieni 1. 5. 3. & 2. 25. 1. vitæ & necis alteri in se dare solo consensu nemo potest. 3. 11. 23. in servos unde videatur originem ducere 3. 4. 18. interna justitia dominus non habet 2. 5. 11. & 2. 14. 9. voluntarium duplex est humanum vel divinum. 1. 1. 62.

Jus rectorium 1. 1. 8. in rem 2. 5. 1. originariè ex tribus causis. 2. 5. 3.

Justitia expletrix. 1. 1. 20.

Justitia attributrix, DIAGNOSTICA 1. 1. 21.

Justitia attributrix an tantum circa res communes,

Index Rerum

nes, expletrix circa res singulorum versetur.

1. 1. 24.

Justitiam vè ἀντιστοιχίαν seu parem passionem in pœnis esse quomodo intelligendum. 2. 20.

125. an solum pœnz metu exercenda 2. 20. 17.

in piratarum coetu exercita an coetum eum civitatem constituat 3. 3. 6. non consistit in mediocritate sicut aliz quædam virtutes ut putavit

Aristoteles.

Prolog. 119.

Justitia assignatrix aptitudinem spectat. 1. 1. 21. an toties locum habeat, quoties proportionem geometrica sit opus. 1. 1. 23.

Justum aliud est ex æquo inter se viventium, aliud ejus qui regit & regitur, quæ tales sunt

1. 1. 8. seqq.

Justum id est solenne.

1. 3. 20. seqq.

L.

Liber injunctus an sit pœna. 2. 20. 3.

Latrocinari olim licitum 2. 15. 10. ex latrocinii tenentur magistratus, si ea remedia neglexerint adhibere quæ poterant. 2. 17. 46.

Latroni fides servanda. 3. 19. 10.

Latrones jus legationis non habent. 2. 18. 9.

Latrones qui 3. 3. 3. civitatem non faciunt 2. 18. 9.

qui ita invaluere ut formidabiles se fecerint, rectè recipi & defendi à quovis possunt, quoad pœnam 2. 21. 28. restituere non tenentur,

quod vi aut metu expresserunt, si jusjurandum intercesserit 2. 17. 45. societates legitime fieri possunt. 3. 3. 10.

Qui

- Qui laudat tenetur damni dati. 2. 17. 21. & 2. 21. 5.
 Legatio apud inimicos praefictam habet juris
 Gentium. 2. 18. 42.
 Legationes assiduae rejici possunt. 2. 18. 16.
 Legationis Jus quid contineat 2. 18. 16. inter eun-
 dem populum in bellis civilibus 1. 18. 7. intro-
 ductum à jure gentium: 2. 18. 1.
 Legatus municipalis non regitur jure gentium,
 sed civili 1. 18. 3. à pignorationibus subditorum
 pro civitate excipitur 2. 2. 19. provincialis non
 regitur jure gentium sed civili 3. 18. 3. puniri
 an possit ex omnibus causis, quae sunt contra
 jus Gentium 2. 18. 20. an si quid commiserit con-
 tra statum reipublicae 2. 18. 11. per eum, à quo
 mittitur poena exigi aut bello peti 2. 18. 27. ra-
 tionem reddere factorum suorum nemini co-
 gitur nisi à quo mittitur. 2. 18. 29. à subdito-
 rum numero excipitur jure gentium: 3. 2. 19.
 Legatus Jurisdictionem habeat. 2. 18. 47.
 Legatus si quid debeat, quomodo compellan-
 dus. 2. 18. 49.
 Legati mittentem obligant etiam contra arcana
 mandata. 2. 11. 45.
 Legatus quando sponte domum redire possit.
 2. 16. 44.
 Legati qui jure gentium utantur. 2. 18. 2. *Seq.*
 Legati in bellis civilibus, quo jure sint. 2. 18. 7. *Seq.*
 Legati an admittendi. 2. 18. 11.
 Legati delictum per quem patiendum. 2. 18. 33.
 Legati per modum defensionis occidi aut repel-
 li possunt. 2. 18. 36.

Index Rerum

- Legati an subiaceant juri talionis. 2. 18. 43.
Legati domus an pro asylo. 2. 18. 47.
Legati capacitas jus quoddam est, quod qui impedit damni dati tenetur. 2. 17. 15.
Legatorum violatio durante bello compensari potest. 3. 19 53.
Legatorum jus an valeat apud eos ad quos non mittantur. 2. 18. 40.
Legatorum comites an inviolabiles. 2. 18. 44.
Legatorum bona an possint pro debito capi. 2. 18. 48.
Ob legatos violatos bella. 2. 18. 51.
Lex quid. 1. 1. 25.
Lex de sabbatho & decimis quomodo ad Christianos pertinent. 1. 1. 80.
Lex in præsumptione facti non existentis fundata an obliget. 2. 11. 27.
Lex occidi aliquem permittens an conscientiam liberet. 2. 1. 51.
Lex quæ feras, pisces, aves Regi addicit nō in justa. 2. 3. 8.
Lex justa, quæ vetat quod jure naturæ licet. 2. 2. 37. & 2. 3. 8.
Lex de usucapione pertineat ad summum imperium, aut ejus partes. 2. 4. 41.
Lex dicitur commune pactum populi 2. 11. 1. & quo sensu dicatur regina divinarum humanarumque rerum 2. 20. 155. *scqq.* facit ut quod per se laudabile tantum est incipiat deberi 1. 2. 6. iniqua quomodo tollat 2. 12. 23. obligat, & ad quid. 1. 1. 25. & 28. obligat etiam si causa particula-

culariter cesset 2. 20. 105. legis autorem ut partem civitatis 2. 4. 42. & 2. 20. 96. ex lege tamen nemini jus adversus Principem 2. 14. 27. nō obligat amor cui eū, a magistratu permittitur aut imperatur id, quod nisi solutus facere non potest 2. 4. 15. nec eos quibus data non est 1. 1. 75. lex, quæ fundatur in præsumptione facti non obligat si factum aliter se habeat 2. 11. 28. tolli non debet nisi probabili de causa 2. 20. 98. tollendi eā aut mutandi jus potestatem habet autor ejus 2. 4. 41. & 44. & 2. 20. 97. tollendo eam si-ve ex justa, si-ve injusta causa, aut revocando, Rex nemini facit injuriam. 2. 14. 27.

Lex civilis multarum nationum 2. 8. 1. *vide* jus civile multarum gentium.

Leges civiles jus vitæ & necis non habent ex quo-
vis delicto 2. 1. 51. in promissionum materia
quid efficiant. 2. 11. 21. & 26.

Lex commissoria. 1. 3. 63. seqq.

Lex humana a voluntate pendet in origine & du-
ratione 2. 20. 97. si quæ prohibita humana tan-
tum lege fiant, non sunt irrita nisi lex hoc addi-
derit 2. 5. 79. injusta etiam interdum non nisi
male publico tollitur. 1. 4. 10. *Proleg.* 138.

Lex Mojsaica imperfecta est respectu legis Evan-
gelicæ 1. 1. 79. impleta à Christo quo sensa di-
catur 1. 1. 76. an sit eadem cum lege naturæ
Proleg. 136. non obligat peregrinos & alios quam
judæos. 1. 1. 75.

Leges illæ tantum à Christo sunt sublatae, quæ alias
gentes, ab Hebræis distinguebant. 2. 5. 67.

Index Rerum.

Legem Hebraeam transgredientibus poena sunt mors violenta & similia. 2. 20. 62.

Lex nature pro lege consuetudinis generalis 3. 7. 6. circa naturæ leges, par est eos excusari, quibus aut ratiocinationis imbecillitas, aut prava educatio obstat. 2. 20. 153.

Lex poenalis non obligat actus principis etiam privatos. 2. 14. 10.

Lex Regni. 2. 3. 63 seqq.

